ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI SECUNDI

Vol. I: Periodus prima

Vol. II: Periodus secunda

Vol. III: Periodus tertia

Vol. IV: Periodus quarta


CURA ET STUDIO
ARCHIVI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN I
PERIODUS PRIMA

PARS II

CONGREGATIONES GENERALES X-XVIII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXX

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS X
30 octobris 1962

CONGREGATIO GENERALIS X

30 octobris 1962

Exc.mus D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis*:

Hodiernae congregationi generali praeest em.mus ac rev.mus D. card. Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis.

Loqui postulaverunt: em.mi DD. cardd. Villelmus Godfrey, arch. Vestmonasteriensis in Anglia; Valerianus card. Gracias; Bernardus Alfrink, ut Pater Conciliaris; Alfredus Ottaviani; Augustinus Bea; exc.mi DD. Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia; Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis in Sinis; Custodius Alvim Pereira, arch. de Lourenço Marques in Mozambique; Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis in Sinis; Paulus Rusch, ep. admin. apost. Oenipontanus in Austria; Georgius Dwyer, ep. Loidensis in Anglia; Emmanuel Trindade Salgueiro, arch. Eborensis in Lusitania; Carmelus Zazinović, ep. aux. Vegliensis in Jugoslavia; Michaël Arattukulam, ep. Alleppeyensis in India; Ioannes Carolus McQuaid, arch. Dublinensis in Hibernia; Angelus Fernandes, ep. tit. coad. Karachi in India; Carolus Helmsing, ep. Kansanopolitanus in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Hadrianus Ddungu, ep. Masakaënsis in Uganda; Sighardus Kleiner, abbas generalis Ordinis Cisterciensis; Bernardus Stein, ep. aux. Trevirensis in Germania; Ildefonsus Sansierra, ep. aux. S. Ioannis de Cuyo in Argentina; Placidus Cambiaghi, ep. Cremensis in Italia; Petrus Martinus Ngo-Dinh-Thûc, arch. Huéensis in Vietnam; Raymundus Iglesias, ep. Urgellensis in Hispania; Ioannes Nuer, ep. tit. Phatanensis in Aegypto; Narcisius Jubany, ep. aux. Barcinonensis in Hispania; Ioannes Baptista Przyklenk, ep. Ianuariensis; Albertus Devoto, ep. Goyanensis in Argentina; Laurentius Nagae, ep. Urawaënsis in Japonia; Paulus Ioannes Hallinan, arch. Atlantensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis in Germania; Aloisius da Cunha Marelim, ep. Caxiensis in Brasilia; Ioannes Iulianus Weber, arch. Argentinensis in Gallia; Arthurus Elchinger, ep. coad. Argentinensis in Gallia.

Supremum Consilium regendae Civitati Vaticanae praepositum emisit hodie seriem pictaciorum vehiculariorum (francobolli), quam seriem laetum offert primo Patribus Conciliaribus in hac congregatione generali.

1 *

Em.mus P. D. VILLELMUS card. GODFREY
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Em.mi et exc.mi Patres, venerabiles Fratres,

De *hoc* [1] cap. II aliquid velim vel breviter dicere. Varia dicta sunt in sermonibus in priore capite *habitis* [2] de vita pastorali, et bene omnino est attentionem nostram dirigere ad hunc aspectum vitae nostrae. Attamen in hoc cap. II, quantum videtur, aliqua video quae difficultates faciunt pro parochis et aliis qui fidelibus ministrant, ex. gr.:

1. Sub nn. 39 et 40 mentio fit de homilia uti parte ipsius Liturgiae, et dicitur: « Homilia ... valde commendatur », et post hanc « oratio communis ... redintegretur ». Liceat observare homiliam esse de consuetudine in regione nostra diebus dominicis et de praecepto, dico homilia brevis, i. e. durans minus quam decem momenta. Nulla autem fit oratio communis nisi pro infirmis et defunctis, quae fit ante homiliam die dominica quando publicantur notitiae hebdomadariae paroeciales.

Notandum est quod, iuxta praxim nostram, Missae sibi succedunt una post aliam per totum tempus antemeridianum. Quapropter difficile esset pro fidelibus si manere deberent in ecclesiis plus quam tria quadrantia horae: nisi in Missa principali, quae durat per unam horam. Oratio communis, si fiat, deberet igitur esse brevissima omnino, in commodum populi.

Propono ergo ut in n. 39 post verba « valde commendatur » addantur verba « ubi commode fieri possit ». Cogita de crescenti numero communicantium etiam in Missa serotina. Item in n. 40, addantur verba « ubi commode fieri possit ».

2. De lingua vernacula. Uti aliqui Patres *Concilii* [3] dixerunt, locus congruus non est inter orationes ab ipso sacerdote prolatas, sed inter preces fidelium. Meo submisso iudicio, non deberent *illae orationes fieri multae,* [4] secus nullus erit relictus locus pro oratione tranquilla personali, id quod magnus fidelium numerus, ni fallor, valde desiderat. Hoc bene scimus, qui noscunt greges nostros.

3. De Communione sub utraque specie. Imprimis est difficultas doctrinalis, quia non desunt qui protestantur contra nostram praxim

---

* Secretarii generalis monitum et tres primae Patrum orationes circa cap. II schematis *de sacra Liturgia* habentur in parte I (congregatione generali IX), pp. 598-603.

distributionis sacrae Communionis sub unica specie. Si praesens praxis mutaretur, periculum esset ne interpretetur tamquam admissio erroris ex parte nostra in materia doctrinali.

Difficultates etiam sunt practicae, quia si talis fiat mutatio, *uti* [5] censeo quod limitatio stricte fieri deberet pro tota Ecclesia occidentali, secus, si relinquatur episcopis, habebitur magna confusio, ex praxi diversa in diversis regionibus necnon dioecesibus.

Deinde si sumatur sacra species ex calice, nemo est qui non videt difficultates et obiectiones posse oriri propter rationes hygienicas. Ulterius cogitandum est de mulieribus et puellis accedentibus ad sacram synaxim quarum labia tincta sunt notis illis ornamentis hodiernis rubri coloris. Difficultas evidens est.

Clarum etiam est quod administratio sacrae Communionis sub utraque specie magno fidelium numero crearet magnam difficultatem.

Denique meminisse iuvat quod sunt qui vinum vel alcoholica in quacumque circumstantia sumere nolunt.

Quibus de causis standum est praesenti praxi in Ecclesia latina.

4. Sub n. 43, de Liturgia verbi et Eucharistiae. Nonne semper implicite intellecta fuit haec doctrina? Nova sunt verba, nova phrasis, sed non nova idea.

5. De concelebratione sacramentali. De extensione concelebrationis ad Missam Chrismatis non video difficultatem. *Loquor de iis sacerdotibus qui immediate adsistunt episcopo.* [6]

Quod attinet ad facultatem extendendam ad conventus sacerdotum, dicerem quod stricte interpretari deberet conditio indicata in schemate, *cum illis verbis* [7] « si ad celebrationes aliter provideri non possit et de iudicio Ordinarii ». *Sed etiam in hoc* [8] anceps maneo.

Notari debet etiam quod si stipendium recipiatur ab unoquoque concelebrante, quantum mihi videtur, fideles non essent ita contenti de Missa a concelebrantibus oblata ac de Missa a sacerdote singulari celebrata, quae pro iis videretur esse magis intima, *illa Missa singularis, magis intima* [9] et personalis. Nonne etiam esset saltem apparentia celebrationis lucri gratia, quando magnus numerus concelebrat pro sat magna denarii summa, eo magis quod, *secundum schema, numerus precum et gestus* [10] diminui deberet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] fieri multae istae orationes communes. [5] deest. [6] Agitur de sacerdotibus immediate episcopo inservientibus. [7] nempe. [8] Etiam hic. [9] deest. [10] numerus precum et gestus, iuxta schema.

2

EM.MUS P. D. VALERIANUS CARD. GRACIAS
Archiepiscopus Bombayensis

Em.me Praeses et venerabiles Patres Concilii,

Nequaquam sub cap. II loqui volebam. *Sed sunt duae rationes propter quas petii licentiam a secretario generali loquendi hodie, etiamsi secundum normas non dedi notitiam trium dierum.*

Prima ratio est ratio liturgica. Sed haec ratio non est magni momenti. Nam prius est vivere, deinde philosophari.

Altera ratio est ratio maioris momenti, de qua loquar in fine huius brevis orationis.

Equidem puto, mea humili sententia, esse necessarium publice declarare quod modus [1] procedendi in nostris disceptationibus sub hac sectione de Liturgia sufficienter logicum non esse. Liceat mihi explicare.

1. In lingua anglica habemus dictum: " To put the cart before the horse ". Non est tam facile dare versionem genuinam huius dicti, sicut ex. gr. non est facile vertere anglice illud dictum in lingua italica: « Se non è vero è ben trovato ». Sed sensus huius dicti est hic: quod in modo disceptationis *super sectionem de Liturgia* [2] deficit logica. Nisi quaestiones in cap. I pertractatae, quae sunt maioris momenti, solvantur, videlicet: *a*) utrum usus linguae vernacularis in Liturgia permittatur et quantum; *b*) utrum « adaptatio » rituum et caeremoniarum permittatur, et secundum quas normas; *c*) utrum *Conferentiae episcopali* [3] in aliquo loco permittatur auctoritative sumere omnes commissiones in cap. I enumeratas; *mihi videtur:* [4] impossibile est exprimere aliquam opinionem ponderatam sub punctis in cap. II consideratis, v. gr. utrum ordo Missae mutare sinatur. In capitulis subsequentibus, ut in capp. III, IV, VI, VII, continuo referentia fit Conferentiis episcopalibus; ex. gr. in artt. 47, 49, 62, 87 et 97. In omnibus his articulis agitur de Conferentia episcopali functionem particularium commissionum sumente; v. gr. Ritualia particularia (art. 47), Baptismus (art. 49), Matrimonium (art. 62), supellectiles (art. 87), musica sacra (art. 97), etc.

2. Si ex suffragio, ultimatim a Summo Pontifice approbato, cognoscimus linguam vernacularem permissam iri, « adaptationem » etiam permissam iri, et episcopalem Conferentiam auctoritatem necessariam habituram iri, tunc, logice, et cum magno lucro, possumus omnia puncta a cap. II ad cap. VII considerare.

3. Puto vos mecum concordaturos necessarium esse ut Concilium primo determinet quid practice significetur his verbis: « prudenter, ...[5] serio quid in negotio aptationis proponere Sanctae Sedi vel statuere, etc. ». Si Concilium sincere vellet ut Conferentia episcopalis tali munere sese incumbat, logice exspectandum foret ut in schemate adhibeantur non verba vaga, sed verba praecisa, sicut ex. gr. « committimus officium Conferentiae », vel « deputamus munus Conferentiae », et quid simile.

4. Si tale officium vel munus committatur Conferentiae episcopali, tunc ipsa haberet ius stricte dictum huic muneri incumbendi, quia officia et iura sunt correlativa. Si Conferentia habet ius, eius auctoritas coram episcopis nationis vel provinciae esset plus quam mere moralis — ita ut singuli episcopi, etiamsi forte non tenentur legaliter accipere vel adimplere conclusiones vel proposita Conferentiae, tamen propter bonum animarum moraliter tenerentur tales conclusiones accipere vel adimplere...[6]

5. Mea humili sententia, ergo, logice antequam iudicium nostrum super articulos omnium horum capitum in sectione Liturgiae feramus, clare statui debet qualis sit character vel status Conferentiae episcopalis...[7]

6. Dolendum est quod in n. 44, cap. II, principium concelebrationis ad duos casus taxative, non exemplative inductos restrictum est. Erunt enim alii casus, in quibus concelebratio, iudicio Ordinarii, erit valde optabilis. Mihi videtur quod, pro his et similibus casibus, bene provisum erit si post verbum « placet », ad finem lin. 3 in art. 44, verba « exempli gratia » inserantur, ita ut casus in hoc numero adducti considerentur « exemplative, non taxative ». Non mihi placet omnino art. 42, tum propter rationes hygienicas, sicut animadvertit heri em.mus card. Ruffini, tum, saltem in Indiis orientalibus, propter restrictiones ex parte gubernii circa vinum et liquores.

Altera ratio,[8] gravis, maioris momenti, est haec. Hodie in hac hora, situatio politica in India est valde gravis. Hodie nos episcopi Indiae, septuaginta duo, debemus sumere decisionem: esse hic vel esse alibi. Esse hic, in aula conciliari, gustando delicias orationum sine termine et disceptationum, vel redire statim in Indiam et esse cum populo nostro in hac hora critica. Forsan non omnes, sed certissime aliqui, et certissime duo episcopi, episcopus de Shillong in Assam, exc.mus Ferrando, et episcopus de Dibrugarh, exc.mus Marengo, duo episcopi salesiani, optimi missionarii inter nos, quia, secundum notitiam quam recepi heri, exercitus de China est solum 160 Km. distans a Tezpur, et Tezpur est civitas in dioecesi de Assam.

Ergo, sumo hanc occasionem rogandi a vobis venerabilibus Patribus Concilii, ut oretis pro nostra republica, quae recepit independentiam

15 annis abhinc, pro salute nostrae reipublicae et consequenter pro Ecclesia catholica in India. Est quaestio nunc esse vel non esse, vivere vel mori, quia, sicut noster dux, Nehru, dixit, situatio pro India hac hora est sicut situatio erat pro Anglia in ultimo bello, situatio de « banco ». Et Nehru, mihi videtur, vult agere eodem modo in hac hora sicut Churchill egit in illa hora pro salute Angliae. Adprecor ergo, et genibus flexis impetror, ut oretis pro nobis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Tamen puto me publice declarare debere modum. [2] deest. [3] Conferentia episcopalis. [4] deest. [5] et. [6] etiam quando ipsis episcopis singulis persuasum non esset conclusiones necessarias vel utiles esse. [7] Ni fallor, hodie nulla Conferentia episcopalis habet plus quam auctoritatem moralem. Et sicut Concilium provinciale vel plenarium habet ius legislandi et ex iure committendi aliquod officium vel munus qualicumque coetui nationali; eodem modo, mihi videtur, Concilium Oecumenicum potest legem ferre, si placuerit vobis, ut Conferentia episcopalis ius habeat faciendi omnia quae sunt proposita in variis capitibus. Secus, ut dictum est anglice, " we are putting the cart before the horse ". Qui vult finem vult media. [8] [*Omnia reliqua desunt*].

3

EM.MUS P. D. IOSEPH M. CARD. BUENO Y MONREAL
Archiepiscopus Hispalensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi gaudium et gratulationem exprimere ob huius capitis II tenorem, quem integre adprobandum habeo, maxime si ratio habeatur animadversionum em.mi Ruffini, quoad Communionem sub utraque specie, et em.mi Léger quoad usum concelebrationis, quibus plene adhaereo.

Liceat etiam mihi aliam vel minimam animadversionem proponere. Nihil in hoc schemate habetur de hora qua sacerdotibus Missam celebrare et christifidelibus ad sacram liceat Synaxim accedere. Fortasse huiusmodi determinatio iuridica vel disciplinaris magis quam liturgica habetur; ut coniici potest ex eo quod e novis Missalis generalibus rubricis exsulat praeceptum quod de hac re exprimebant anteriores rubricae, sub par. XV.

Quidquid sit, existimo tamen rem aliquale habere momentum in pastorali Liturgiae consideratione, ut videre est in miro illo incremento adsistentiae fidelium ad Missae sacrificium et frequentationis etiam quotidianae sacrae Communionis, quod omnes nos laetanter probavimus, ex quo, mitigata ieiunii eucharistici disciplina, iam celebratio Missarum horis vespertinis in usum venit.

Ex quo, iam primis temporibus, cena eucharistica a vulgari cena separata fuit, inducto ieiunio ob reverentiam erga caelestem alimoniam, determinatio horae celebrationis Missae in functione fuit triplicis elementi, nempe: ieiunii eucharistici, *conventualis* [1] recitationis divini officii, et supputationis diei, inde ab aurora ad solis occasum.

Consuetudine, potius quam lege ecclesiastica, inde iam a saeculo IV, tempus *magis* [2] aptum ad Missae celebrationem fuit inde ab aurora, initio nempe diei, cum corpus adhuc ieiunum inveniebatur, et recitatis laudibus matutinis, usque ad horam prandii qua ieiunium, ut patet, non amplius servatur.

Abs re erit historiam huius disciplinae nunc revocare. Sufficiat recolere Constitutionem S. Pii V, *Ad cuius* (29 martii 1566), qua, sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, omnino prohibebantur in Ecclesia latina Missae vespertinae et post cenam.

Indulta vero apostolica saepius concessa ob speciales rationes hanc rigidam disciplinam in dies mitigabant, viam parando novae benigniori disciplinae.

Felicis recordationis Pius Papa XII, cum « ea quibus vivimus tempora — sunt verba Constitutionis Apostolicae *Christus Dominus* diei 6 ianuarii 1953 —, *cum ea quibus vivimus tempora* [3] eorumque peculiares conditiones multa in societatis usum in communisque vitae actionem induxisse, ex quibus graves difficultates oriantur, quae possint homines a divinis participandis mysteriis abstrahere, etc. », iam concessit ut certis diebus, in quibus magnus populi concursus esse solet, Missas celebrare liceret horis vespertinis, non tamen ante horam quartam postmeridianam nec post cenam, ut patet; mitigato ad hunc effectum ieiunio eucharistico ad spatium trium horarum.

Adhuc, idem Pontifex, anno 1957, « attendentes — *ait* [4] — ad notabiles mutationes, quas ordinatio laborum ac munerum publicorum necnon universae vitae societatis passa est » (Motu proprio *Sacram Communionem,* die 19 martii 1957), facultatem litandi ampliavit horis vespertinis ad omnes dies, « si bonum spirituale notabilis partis christifidelium id postulet », et ieiunium trium horarum ad omnes casus extendit.

Memoratae vero conditiones temporum difficultates pariunt non raro sacerdotibus, qui, vel ratione itineris vel alicuius ministerii explendi, Missam mane celebrare nequeunt, nec forte est causa boni spiritualis notabilis partis fidelium ad Missam vespere celebrandam. Talis est benigna concessio qua nos, Patres Conciliares, nunc fruimur et ob quam grates ex animo Papae Ioanni rependimus.

Quae cum ita sint, puto quod non absonum esset si omnes anxietates

tollerentur hac iam definitiva concessione, nempe quod « sacerdotibus Missam celebrare et christifidelibus ad sacram liceat Synaxim accedere qualibet diei hora (matutina nempe, vespertina aut nocturna), cauto tamen quod eucharisticum ieiunium sancte, prout nunc est, servetur, et salva peculiari Hebdomadis Maioris disciplina » ob suam specialem significationem.

Dies enim liturgicus, in quo nempe actiones sacrae peraguntur, protenditur a media nocte ad mediam noctem, iuxta novas rubricas Missalis; nec aliunde celebratio Missae necessario alligatur ad quamdam determinatam officii divini partem.

Quod ergo, his vel similibus verbis, addendum propono sub nova paragrapho post n. 41 huius cap. II. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] monachalis. [2] deest. [3] deest. [4] deest.

Em.mus D. card. TISSERANT: Em.mus card. Alfrink desiderat loqui, non ut praeses.

4

EM.MUS P. D. BERNARDUS CARD. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Fratres,

Pauca quaedam dicere *liceat* [1] de hoc cap. II schematis nostri de Liturgia, et quidem de communione sub utraque specie, in n. 42.

Non loquar de diversis aspectibus huius quaestionis, nec de aspectu theologico-dogmatico, nec de aspectu historico, nec de aspectu ut ita dicam practico et hygienico. Haec omnia enim omnibus nobis optime sunt cognita, ita ut haec iterum iterumque iterare ac repetere *vix necessarium videatur.* [2] Loqui vellem solummodo pauca verba de aspectu biblico.

Ut Sacra Scriptura nobis narrat, Christus Dominus in Cena accepit panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: « Accipite et manducate ». Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens: « Bibite ex hoc omnes ». Haec tres Evangelistae, Matthaeus, Marcus et Lucas, simul cum S. Paulo, indiscriminatim Ecclesiae tradiderunt.

Clarum est ex vocabulis a Sacra Scriptura adhibitis, quod Dominus Iesus hoc Sacramentum mirabile instituit ut sacrificium et epulas sacrificales Novi Testamenti, quo omnia sacrificia et epulae sacrificales Veteris

Testamenti ad culmen et ad perfectionem adducuntur. Clarum est etiam quod — secundum intentionem Christi Domini — epulae hae sacrificales eucharisticae duobus elementis constant — sicut de cetero omnes epulae humanae plus minusve completae — scilicet ex manducatione et ex potu: « Manducate » *et* « Bibite ».

Bene novimus Sacramentum hoc non esse in sua essentia incompletum, si non omnes qui participant sub utraque specie communicant. Incompletum ...[3] esset in sua essentia si nemo sub utraque specie communicaret.

In sua *forma externa* autem, quae secundum intentiones Christi Domini, in Sacra Scriptura indicatas, convivium cibi *et* potus continet, remanet hoc Sacramentum quodam modo incompletum, si solus sacerdos celebrans sub utraque specie communicat, etsi Ecclesia optimas habuit rationes, *et habet optimas rationes,*[4] sic agendi.

Nisi fallor, nemo est qui in omnibus casibus communionem sub utraque specie introducere vellet. Numerus permagnus communicantium hoc plerumque impossibile reddit. Desideratur autem ut haec forma *externa completa,* quae et manducationem Corporis et sumptionem Sanguinis includit, saepius in Ecclesia demonstretur quam nunc fit, dum solummodo in consecratione episcopi et concelebratio et communio sub utraque specie locum habet. Desideratur ut haec plena forma externa convivii in Ecclesia saepius realisetur, ut intentio Christi Domini clarius ad oculos fidelium demonstretur.

Ideoque rogatur ut, pro casibus quibusdam bene *determinandis*[5] et in circumstantiis clare *circumscribendis*[6] et in modo praecise *indicando,*[7] communio sub utraque specie concedatur.

In n. 42 huius schematis — si bene intelligo — practica ordinatio huius concessionis nec Ordinariis loci, nec Conferentiis episcoporum relinquatur, sed soli Sanctae Sedi.

Verba « iudicio episcoporum », quae in hoc numero inveniuntur, nihil aliud dicere velle videntur quam quod, si communio sub utraque specie in quibusdam casibus determinatis etc. conceditur, Ordinarii loci iudicant an pro loci conditionibus utile sit hac concessione uti.

Ideoque, nisi fallor, hoc prudenti et sapienti modo loquendi omnes abusus a priori sunt praevisi et praecauti.

Addere vellem quod, in hoc periodo oecumenico, introductio communionis sub utraque specie non videtur esse sine momento. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] vellem. [2] plane superfluum videtur. Potius videtur perditio temporis quam elucidatio utilis. [3] autem. [4] deest. [5] determinatis. [6] circumscriptis. [7] indicato.

5

Em.mus P. D. ALFREDUS card. OTTAVIANI

Venerabiles Patres,

In art. 37 huius capitis legitur: Ordo Missae sive in sua dispositione generali, sive in singulis partibus, esset recognoscendus. Quid sibi volunt haec verba? Nunc, num revolutio quaedam fieri vult de tota Missa? Quia si ordo Missae reformandus est tum in sua dispositione generali, tum in suis singulis partibus, quid manebit? Quaenam sunt haec verba quae sunt ita ampla, ita larga, ut possint quam libenter reformationem autorizare? Mihi videntur esse omnino expungenda haec verba, aut saltem clarificanda. Ordo Missae est in possessione a pluribus saeculis, Missa est centrum totius cultus liturgici; res sanctissima, bene cognita a singulis fidelibus qui cognoscunt, nunc praesertim ob pastoralem laborem liturgicum, bene cognoscunt singulas partes, et periculum est ne aliqua admiratio, si non scandalum, habeatur ex nimia immutatione. Agitur de re sanctissima, quae non ad libitum potest in singulis generationibus mutari: res sanctissima quae tractanda est sancte et venerande, et nonnisi difficulter tangenda. Veniunt nunc in mentem verba Dei facta ad Moysen, appropinquantem rubo ardenti: « Solve calceamentum de pedibus tuis, nam locus in quo stas terra sancta est ». Igitur simus cauti in proponendis reformationibus Missae.

In art. 42, postea, sermo est de communione sub utraque specie. Miror hanc propositionem factam esse postquam in commissione centrali, mihi videtur, si bene meminiscor, hanc propositionem prorsus quasi unanimiter reiectam esse. Miror quia, dum omissae sunt quaedam quae proposita bene fuerant approbata, et approbata a commissione centrali, dum omissa sunt quaedam ita approbata, nunc insistitur in re quae non tulit suffragium ipsius commissionis centralis, saltem maximae maioritatis. Verbi gratia fuerat propositum ab em.mo card. Decano Tisserant, verbis paucis et lapidariis: « Martyrologium reformetur », et omnes Patres qui erant praesentes in commissione centrali approbaverunt. De hac re ab omnibus approbata nihil in hac constitutione. De alia quae non fuit approbata, saltem a largissima maioritate, est propositio. Sed pruritus innovationum insistit — est verus pruritus innovationum, videtis — pruritus innovationum insistit etiam in rebus quae non sunt non solum necessaria, sed nec etiam utilia, immo possunt esse etiam damnosa.

Non sunt necessaria. Argumentum biblicum nunc allatum nimis

probat, et igitur, iuxta effatum notum, nihil probat. Secus deberemus semper, quotidie, non solum Missam celebrare sub utraque specie, sed etiam communionem omnibus diebus dare fidelibus sub utraque specie. Et, ceterum, non potest negari quod quando datur Sanctissima Eucharistia fidelibus, datur Corpus et Sanguis sumendus. Modus est res accidentalis, substantia est illa.

Sed est periculosum. Nam in ipsa constitutione sic proposita, in art. 42, dicitur « remoto fidei periculo ». Quomodo potest proponi res in qua debet haec clausula poni: « remoto fidei periculo »? Et intelligo hoc, quia scimus quaenam factae sint difficultates a Ioanne Huss, et quaenam luctae factae sunt in Ecclesia. Ceterum, in ipsa quaestione de communione sub utraque specie, subest igitur periculum falsae interpretationis, sed sunt etiam, sicuti iam propositum est et non insisto, quaestiones practicae, difficultates practicae quae sunt in Liturgia pastorali maxime habenda prae oculis, quae non debemus facere doctrinam liturgicam, quae non sit in praxi deducenda, quae non possit in praxi deduci.

Dein, art. 44, proposueram quaedam etiam de illo articulo, in quo agitur de lingua vulgari in Missa, sed omitto, oboediens commendationi factae ne amplius loquatur de ista re.

Unum tantum volo addere. Multi adduxerunt auctoritatem Pii Papae XII, qui vere largus et liberalis fuit in admittendis aptationibus Liturgiae in lingua vulgari. Utique. Sed isti qui adduxerunt auctoritatem Summi Pontificis Pii XII non meminerunt, videtur ipsos non meminisse, Summum Pontificem ipsum, in sua allocutione anno 1956 facta membris Congressus internationalis liturgici Assisii habiti, Summum Pontificem dixisse: « L'Eglise a de graves motifs de maintenir fermement l'usage inconditionné — notate verba " fermement ", " inconditionné " — de la langue latine dans la Messe célébrée dans le rite latin ». Scilicet Ecclesia habet motiva gravia retinendi firmiter usum linguae latinae in Missa latina, usum linguae latinae sine ulla demissione, remissione. Hoc debemus habere prae oculis, quia auctoritas Pontificis non debet adduci pro his quae favent, et non pro illis quae non favent.

Demum quod attinet ad concelebrationem. Ego intelligo, esse quamdam formam externam, ne me accusetis si dico etiam theatralem, celebrationis Missae, sed est etiam ibi periculum quoddam erroris. Iam error qui serpit est hic, quasi in Missa concelebrata detur maior gloria et habeatur maior efficacia supra Missam privatam. Vos scitis Summum Pontificem Pium XII, in Encyclicis Litteris *Mediator Dei,* reprobasse theoriam eorum, qui extenuant et sunt contrarii Missae in privato celebratae. Nolo ut isti qui sunt contra Missam privatam velint quodammodo extollere concelebrationem contra usum Missae privatae. Ceterum,

praetermissis eis quae iam optime dicta sunt ab em.mis qui me praecesserunt, praetermissis illis, ego dico quod est etiam periculum hoc: quia in ipsa constitutione proposita, dicitur posse omitti quaedam, quasdam preces posse omitti. Nolim quod etiam indicetur posse omitti a concelebrantibus, dicente tantummodo illo qui praesidet concelebrationi, verba consecrationis, aliis tacentibus; omittant ipsi. Quia haec theoria iam probata est, et a Sancta Sede reprobata. Utique. Sunt qui sustinuerant posse in concelebratione solummodo praeses concelebrationis dicere verba consecrationis, aliis tacentibus. Sunt quaedam noviter deducta, quae secumferunt confusionem etiam doctrinalem.

Ceterum, rationibus adductis iam addo unam: in Missa concelebrata, sacerdotes, qui conveniunt, non celebrant Missam in paroeciis, in oratoriis, ubi fideles exspectant Missam. Missa concelebrata privat fideles multis Missis privatis.

Quod attinet, facta est quaedam allusio, etiam iam a card. Godfrey, facta est quaedam allusio stipendio. Fuit quidam cardinalis valde intelligens, qui in commissione centrali dixit — quia ibi, in primo schemate, dicebatur posse sacerdotes concelebrantes sumere etiam eleemosynam Missae. Commissarii commissionis centralis rogaverunt ut tolleretur ista phrasis, quia dixit cardinalis ille intelligentissimus: « Tollatis hoc, videatis quod non sunt multi sacerdotes qui volunt concelebrare ». Igitur..., sed commissio quae praeparavit istam constitutionem...

Praeses card. ALFRINK: Eminentia Vestra habeat me excusatum; quindecim momenta praeterierunt.

Orator: Ego iam finivi, iam finivi, iam finivi!
[*In Aula fit plausus*].

Textus scripto traditus:

1) In articulo 37 Ordo Missae dicitur esse recognoscendus « sive in generali dispositione sive in singulis partibus ». Quid sibi volunt haec verba? nonne videtur exaggeratio proponere reformationem Missae tum in generali dispositione tum in singulis partibus? An volumus plebis christianae admirationem vel forsitan scandalum provocare inducendo mutationes in tam venerandum ritum tantorum saeculorum decursu comprobatum et plebi christianae iam sic familiarem?

De ritu Sanctae Missae non est ita agendum quasi agatur de subtili re pro lubitu uniuscuiusque generationis retractanda et adaptanda. Heic mihi videntur applicanda analogice Dei verba ad Moysen directa, appropinquantem rubo ardenti: « solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est ».

2) Sub articulo 41 redit quaestio de ampliori loco tribuendo linguae vulgari in Liturgia Missae.

Si id restringitur ad partem didascalicam Missae, seu ad lectionem Epistolae

et Evangelii, posset res commendari, utique iudicio Sanctae Sedis submittenda. Ast ampliores concessiones linguae vulgari in Missa mihi non videntur concedendae. Id enim esset in detrimentum dignitatis mysterii, in detrimentum unitatis liturgicae, in detrimentum concordiae fidelium praesertim in locis mixtae linguae, ac demum in detrimentum illius possibilitatis quae nunc habetur pro sacerdotibus peregrinantibus cuiusvis nationis Asiae, Africae, Americae, Europae, celebrandi ubique Missam cum eodem missali romano latine conscripto.

Neque instandum est plus aequo circa necessitatem melioris participationis fidelium ritibus sacris, nam in sacramentis et sacramentalibus administrandis ritualia in lingua vulgari iam passim concessa sunt et ulteriores largitiones fieri possunt.

Quoad Missam vero adest subsidium parvorum missalium manualium cum Missa in lingua vulgari pro populo. Item, adsistentia Commentatoris (Animateur) qui ritus et verba explicat; qui quidem Commentator potest etiam esse vir laicus. Igitur satis provisum videtur participationem fidelium ritui sacro.

Possem multa alia argumenta addere sed quia iam nimium de hac re disputatum est, parco vobis auditoribus et do exemplum discretionis.

Iuvat autem meminisse verborum Pii XII in oratione diei 22 septembris A. D. 1956: « l'Eglise a de graves motifs de maintenir fermement dans le rite latin l'obligation inconditionnée pour le prêtre célébrant d'employer la langue latine ».

3) Articulo 42 statuitur concedi posse communionem sub utraque specie. Miror hanc propositionem esse insertam in constitutione postquam in commissione centrali praeparatoria Concilii fere unanimiter reiecta fuerit. Sed pruritus innovatorum liturgicorum talis est ut insistat in innovationibus quae neque necessariae neque utiles sunt immo etiam periculosae, quemadmodum innuitur verbis « sublato fidei periculo » quae in mentem revocant Hussitarum errores. Omitto, autem, loqui de rationibus hygienicis deque periculis irreverentiae erga Sanctissimam Eucharistiam secuturis. Quare proposuerim ut hic articulus prorsus omittatur.

4) In articulis 44, 45, 46 concelebrationi aperiuntur novae portae. Id autem minime mihi videtur probandum:

1. Ne corroboretur idea iam passim serpens unam Missam concelebratam maiorem gloriam Deo dare quam multae Missae privatae. Vos, « Patres », scitis quomodo in Encyclicis Litteris *Mediator Dei,* reprobatur tendentia illorum qui contra Missas privatas sunt.

2. Quia iam de ipsa concelebratione peregrinae ideae circumferuntur, v. gr., quod sufficiat ut solus Praeses concelebrationis proferat verba consecrationis, aliis presbyteris tacentibus, idque contrarium est praxi Ecclesiae in concelebratione Sacrarum Ordinationum et iam a Sancta Sede reprobatum est.

3. Quia per concelebrationem multi fideles in variis paroeciis vel ecclesiis privantur beneficio audiendi Missam et Sanctissimam Eucharistiam durante ipsa Missa recipere.

Ratio practica quae adducitur in favorem concelebrationis est ob multitudinem sacerdotum qui possunt simul in aliquem locum convenire. Sed remedium potest esse « antimensium » et Sancta Sedes ipsa dedit exemplum in actuali concessione facta Patribus Conciliariis.

Item, aliud remedium iam a S. Sede adhibitum est etiam illud quo permittitur, v. gr. occasione peregrinationum cum magna frequentia sacerdotum, celebratio Missarum per integras 24 horas diei.

6

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres Conciliares,

Quae in cap. II practice statuuntur, mihi quidem omnino admittenda esse videntur; quae vero ad res probandas et illustrandas dicuntur, aliquibus emendationibus indigere videntur.

Ac primum quidem de *introductione* capitis, pag. 175. Si haec introductio comparatur cum iis quae in Concilio Tridentino, sess. XXII, cap. I dicuntur, textus schematis dogmatice multo minus accuratus et clarus esse videtur. *In specie* pag. 175, lin. 2, dicitur: « paschale convivium ... iterandum ». Non tantum agitur de convivio, sed agitur etiam de sacrificio. Praeterea « paschale », vox « paschalis », hodie a fidelibus potius ad festum Resurrectionis applicatur, quam ad passionem ut antiquitus. Melius ergo videtur dici: « Apostolis sub panis et vini specie mortis suae sacrificium in cruce peragendum repraesentavit, et Patri sacramentaliter obtulit et seipsum Panem vitae aeternae manducandum praebuit. Quae omnia — sacrificium et sacramentum —, quae omnia Apostolis in sui memoriam iteranda praecepit. Ita Ecclesiae, dilectissimae suae Sponsae, immensum Sanctissimae Eucharistiae donum largitus est, ut sit sacrificium laudis et propitiationis ». Concilium Tridentinum valde efficaciter insistit quod Sacra Missa non est tantum sacrificium laudis, sed etiam propitiationis.

Deinde dicitur quod Eucharistia est « exemplar unitatis ». Quomodo exemplar? Potius dicatur: « est symbolum ». Illud exemplar est aliqua metaphora quae in litteratura patristica utique invenitur, sed de unione specierum ex pane — ex frumento — et ex vite.

Deinde, verba illa citationis: « mortis eius victoria et triumphus », lin. 3. In Concilio Tridentino habentur « de festo Corporis Christi ». Minus convenire videntur ipsi Eucharistiae.

Tandem dicitur: « est Sacramentum pietatis ». Expressio desumpta est ex I epistola ad Timotheum, cap. III, v. 16; sed ibi non dicitur de Eucharistia, sed potius de Incarnatione.

Lin. 8, dicitur « ut ritus et preces atque mysterium, quod per ea exprimitur, bene intelligant »: non tantum ritus et preces, sed etiam ipsum mysterium; non tantum res externa.

Deinde in fine tandem: « Deus omnia in omnibus ». Haec verba desumpta sunt ex I epistola ad Corinthios, sed ibi non agunt de unitate in Christo (quae efficitur per Eucharistiam), sed de unico regno Dei

eschatologico, quod in fine temporum omnia creata complectitur. Potius haec verba videntur esse omittenda.

Quantum ad ordinem Missae instaurandum, n. 37: textus, uti iam notavit em.mus card. Ottaviani, videtur esse nimis generalis. Fortasse potest sic corrigi: « percipiatur ad quod conferet maior simplicitas, omissis iis quae historiae decursu duplicata vel addita fuerunt aut hodie non iam intelliguntur. Sic actuosa... etc. ».

De mutandis pericopis. Fortasse iuvat explicite dicere ut decursu plurium annorum « mutatis pericopis », praestantior fiat.

De homilia. Textus mihi videtur esse nimis debilis. Homilia non tantum commendetur, sed praescribatur. Multo melius in Synodo Romana, art. 259 dicitur: « Parochus *debet* ... homiliam habere ». Dicatur igitur: « Homilia, cum sit pars Liturgiae, magni aestimanda est, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto in omnibus Missis quibus fideles assistunt — non in privatis ut patet — in omnibus Missis quibus fideles assistunt habenda est ».

De oratione communi, de qua antea sermo fuit. Haec oratio communis nunc in multis regionibus non iam est in usu, et propterea denuo introducenda videtur, et facienda a celebrante et fidelibus ante Offertorium, sed ita ut finiatur ante Offertorium, ne celebrans interim Missam continuet. Haec « oratio plebis », uti vocabatur, forma litanica componatur, et rationem habeat etiam ipsius sacrificii Missae. Ipsa substitui poterit precibus leonianis, quae, ut pauca dicam, parum liturgicae esse videntur.

N. 41: est iterum sermo de Conferentiis episcopalibus. Ni fallor, ex commissione centrali, de Conferentiis episcopalibus eorumque muneribus agit commissio illa de episcopis. Ergo, non possumus definire aliquid stabile nunc, priusquam illa commissio locuta sit.

Rationes concelebrationis, in n. 44, amplius explicentur, ita ut illa quae in nota 12 ex S. Thoma habentur adducantur, ne concelebratio, quae est usus antiquus Ecclesiae tam latinae quam orientalis, tantum propter difficultates loci etc. concedi videatur.

Tandem adhuc breviter aliquid de communione sub utraque specie. Quaestio, dummodo agnoscatur praesentia Christi sub utraque specie, non est doctrinalis, sed est disciplinaris. Etiam Concilium Tridentinum hoc clare agnoscit. Mutationem consuetudinis — dicit — adductam esse « gravibus et iustis causis ». Et quae de communione sub una specie Concilium statuit, dicit « sine ipsius auctoritate pro lubitu mutare non licere »; ergo mutare licet ex gravibus causis. In ipso Concilio vota duorum Legatorum Summi Pontificis, de calice concedendo,

erant affirmativa. Pius IV, anno 1564, ergo duobus annis post decretum Tridentinum, calicem pro diversis provinciis Germaniae concessit. In ipso Concilio Tridentino, vota affirmativa pro concessione calicis erant 79, vota negativa 87; ergo maioritas 8 votorum. Ergo maioritas valde parva. Si hodie ad quaestionem redimus, nihil ergo agimus quod sit contra doctrinam vel contra peremptoriam aliquam legem statutam.

Concilium Constantiense, de quo heri sermo fuit, damnavit errorem dogmaticum Hussitarum, non vero docuit illiceitatem omnimodam communionis sub utraque specie. Saeculo eodem XV — quo habebatur Concilium Constantiense — exeunte, Summi Pontifices in cappella privata sua, die Paschatis, sacram communionem etiam laicis sub utraque specie porrigebant. Paulus III, anno 1548, calicem omnibus in Germania concessit, qui eum ex devotione et humiliter post professionem praesentiae eucharisticae sub utraque specie petierint. Haec est mens et traditio ipsius Ecclesiae.

Non opus est ut dicam aliquid de momento oecumenico quaestionis, de quo iam locutus est em.mus card. Alfrink. Quare omnino placet quod in n. 42 statuitur. Tamen proponerem ut dicatur: « casibus determinandis a Sancta Sede, auditis Conferentiis nationalibus episcoporum ». Dixi.

Textus scripto traditus:

Quae in cap. II practice statuuntur, omnino admittenda esse videntur; quae vero ad res probandas et illustrandas dicuntur, emendationibus indigere videntur.

Ac primum quidem de *introductione* capitis. Si comparatur cum iis quae Conc. Trid. Sessio XXII cap. 1 (Denz. 938 s.) dicit, textus schematis dogmatice multo minus accuratus et clarus esse videtur. In specie pag. 175 lin. 2 « paschale convivium ... iterandum »: melius quam « paschale » quae vox hodie a fidelibus potius ad festum Resurrectionis applicatur, diceretur e. g.: « Apostolis sub panis et vini specie mortis suae sacrificium in Cruce peragendum repraesentavit et Patri sacramentaliter obtulit ac seipsum panem vitae aeternae manducandum praebuit. Quae omnia Apostolis in sui memoriam iteranda praecepit. Ita Ecclesiae dilectissimae suae Sponsae immensum SS. Eucharistiae donum largitus est, ut sit sacrificium laudis et *propitiationis* (cf. Denz. 950), fons et *symbolum* unitatis, figura et pignus caelestis convivii ».

N. B.: 1) Quo sensu Eucharistia dici potest « exemplar » unitatis? Quid in ea est « unum »?

2) Verba citationis 1^{ae} (lin. 3) in Conc. Trid. habentur, ubi de *festo* Corporis Domini agitur; minus convenire videntur ipsi SS. Eucharistiae.

3) « Sacramentum pietatis » in *1 Tim.* 3, 16 dicitur de mysteriis Incarnationis, non de Eucharistia.

Pag. 175, lin. 8. Dicatur clarius: « ut ritus et preces atque *mysterium* quod per ea exprimitur, bene intellegant ».

Pag. 175, lin. 13. « Deus omnia in omnibus »: haec verba ex *1 Cor.* 15, 28 desumpta, non agunt de unitate in Christo (quae efficitur per SS. Eucharistiam), sed de unico regno Dei quod in fine temporum omnia creata complectitur. Verba haec potius omittantur.

N. 37. Textus videtur esse nimis generalis. Fortasse sic: « ... percipiatur ad quod conferet maior simplicitas, omissis iis quae historiae decursu duplicata vel addita fuerunt aut hodie non iam intelleguntur. Sic actuosa ... facilior reddetur ».

N. 38. Dicatur: ita ut decursu plurium annorum, « *mutatis pericopis* » praestantior ...

N. 39. Textus nimis debilis est; homilia non tantum « commendatur », sed *praescribitur.* Multo melius in Synodo Romana, art. 259, § 1 dicitur: « Parochus *debet* ... homiliam habere ». Dicatur igitur: « Homilia, cum sit pars Liturgiae, magni aestimanda et, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto, in omnibus Missis, quibus fideles assistunt, habenda est ».

N. 40. Clarius dicatur « Orationem communem » vel « Oratio plebis » quae iterum introducendae videntur, a celebrante et fidelibus *ante* Offertorium dicendam esse (ne celebrans interim Missam continuet). Haec « oratio plebis » forma litanica componatur et rationem habeat *s. sacrificii* Missae. Ipsa substitui « precibus leonianis » quae nunc in fine dicuntur, sed parum liturgicae sunt.

N. 41. Hic numerus redigatur ita, ut eorum ratio habeatur quae magis concrete in cap. I, nn. 22 et 24 dicuntur. Saltem dicatur: « habita ratione circumstantiarum locorum, temporum, personarum, culturae, servatis iis quae probante S. Sede iam in usu sunt ».

N. 42. *De communione sub utraque specie.* Quaestio, dummodo agnoscatur praesentia Christi sub utraque specie, non est doctrinalis, sed disciplinaris. Etiam Concilium Tridentinum hoc clare agnoscit. Mutationem consuetudinis dicit adductam esse « gravibus et iustis causis », et quae de communione sub una specie Concilium statuit, dicit « sine ipsius auctoritate *pro lubitu* mutare non licere » (Denz. 931). In ipso Concilio vota duorum Legatorum Summi Pontificis de calice concedendo erant *affirmativa.* Pius IV anno 1564, ergo duobus annis post decretum Concilii Tridentini, calicem pro certis Provinciis Germaniae concessit. In ipso Concilio Tridentino vota affirmativa pro concessione calicis erant 79, vota negativa 87. Ergo maioritas negantium erat satis exigua (8 vota). Si hodie ad quaestionem redimus, nihil agimus quod sit contra doctrinam vel contra legem definitive statutam.

Concilium Constantiense (1415) damnavit errorem *dogmaticum* Hussitarum, non vero docuit illiceitatem communionis sub utraque specie (cf. Denz. 626). Saeculo eodem xv exeunte Summi Pontifices in cappella privata sua die Paschatis s. Communionem etiam laicis sub utraque specie porrigebant (Jungmann, *Miss. Sol.,* II, 473). Paulus III anno 1548 calicem omnibus in Germania concessit qui eum ex devotione et humiliter post professionem praesentiae eucharisticae sub utraque specie petierint.

Vix opus est notare hanc quaestionem hodie habere etiam momentum non parvum oecumenicum. Quare omnino placet id quod in n. 42 statuitur. Proponerem tamen ut dicatur: « casibus determinandis a Sancta Sede, auditis conferentiis nationalibus episcoporum ».

N. 43, lin. 17: « intersint, ac praesertim cum Missae ex praecepto assistere tenentur ».

N. 44. Rationes concelebrationis latius explicentur, ut in nota 12 (sec. S. Thomam) habetur, ne concelebratio, quae est usus antiquus Ecclesiae tam latinae quam orientalis, tantum propter difficultates loci etc. concedi videatur.

7

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

Em.mi Praesides, venerabiles Patres,

Loquar praecipue de introductione seu prooemio ad istud caput, premendo vestigia etiam em.mi card. Bea, in prima parte suae allocutionis.

Nunc in linn. 3 et 4 huius introductionis proponerem ut, loco verborum « ita ut mortis eius victoria et triumphus repraesentaretur », dicatur « ita ut passio et mors eius, quibus peccatum vicit et mundum redemit, repraesentaretur ». Istud punctum repeto esse maioris momenti quia cardo quidam doctrinae catholicae, uti plenissime explicatur a S. Thoma de Sanctissima Eucharistia et de Sacrificio Missae, est, quod Eucharistia sit sacramentum et sacrificium Christi passi et Christi morientis. Utique evidenter Christus patiens triumphavit et vicit, hoc sine ullo prorsus dubio, unde nullam haberem difficultatem ut dicatur « ita ut passio et mors eius, quibus peccatum vicit et mundum redemit, repraesentaretur ». Sed tamen illud quod primo invenitur in Sancta Missa, in Sanctissimo Sacramento Altaris et in Sancta Missa, est Christus passus, et eadem doctrina continetur in Antiphona quam semper recitamus: « O Sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius », memoria passionis eius. Et insuper melius omnino in praxim deducit, ut ita dicam, verba S. Pauli in I ad Corinthios, 11: « Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat »: non triumphum Domini neque victoriam Domini, saltem non per se primo et directe.

Item, ut em.mus etiam card. Bea proposuit, puto magni esse momenti, ut in linn. 5 et 6 dicatur: « Sacrificium laudis et propitiationis ». « Sacrificium laudis », hoc est nimis vagum, et sacrificium laudis potest esse sacrificium improprie dictum, ita ut recitatio officii Breviarii est etiam sacrificium laudis. Utique si intelligeretur laus latreutica, hoc bene esset, sed hoc non dicitur, sed « sacrificium laudis ». Unde saltem ut addatur « sacrificium propitiationis ».

In eadem introductione, linn. 7 ad 9: ibi modus loquendi videtur supponi fere unicum modum vere fructuosum adsistendi Missae esse

illum stricte liturgicum, per actuosam participationem rituum et precum. Iste modus est utique optimus et inculcandus, sed non est unicus, ut graviter monet Summus Pontifex Pius XII in Litteris Encyclicis *Mediator Dei.* Et nunc recordor verborum cuiusdam venerabilis Patris hesterni, qui scilicet monet nos ut in zelo pro Liturgia, quem nos omnes habemus, ut non cadamus in quemdam ut ita dicam panliturgismum; talis non est intentio proponentium, sed tamen oportet accentuare alium aspectum theologicum quantum ad modos assistendi Missae.

Item in lin. 10, puto quod esset revidendus modus expressionis ut illi scilicet, qui assistant, « mensa cum verbi tum Corporis Domini reficiantur » ne, contra intentionem redactorum, aliquibus videretur parvipendi simplex adsistentia Missae sine communione. Adsistentia Missae etiam sine communione potest esse summi momenti et summae utilitatis etiam pro peccatoribus, quia sacrificium Missae non est solum sacrificium latreuticus et eucharisticus propitiationis, sed etiam est sacrificium impetratorium. Unde est optimus modus impetrandi gratiam conversionis et concessionis. Unde non esset nimis insistendum in refectione actuali in omni Missa; talis non est intentio, item admitto, redactorum, sed tamen caute essent attendenda verba, et ut puto modificanda.

Item tunc transeundo ad art. 43, dico tantummodo quod debet mitti in concordia cum eventualibus dispositionibus schematis de disciplina populi christiani quoad Liturgiam verbi sive homiliam Missae in diebus festivis. Dixi.

Textus scripto traditus:

1. In Introductione (pag. 175, linn. 3-4) proponerem ut, loco verborum « ita ut mortis eius victoria et triumphus repraesentaretur » dicatur « ut passio et mors eius, quibus peccatum vicit et mundum redemit, repraesentarentur ».

2. Ibidem (pag. 175, linn. 5-6) proponerem ut dicatur: « .. .sacrificium laudis et propitiationis... ».

3. Ibidem (pag. 175, linn. 7-9) videtur supponi fere unicum modum vere fructuose Missae assistendi esse illum stricte liturgicum, per actuosam participationem rituum et precum. Iste modus est, utique, optimus, sed non est unicus, ut graviter monet Summus Pontifex Pius XII in Litt. Enc. *Mediator Dei.*

4. Ibidem (pag. 175, lin. 10) puto quod esset revidendus modus expressionis « mensa cum verbi tum corporis Domini reficiantur » ne, contra intentionem redactorum, aliquibus videretur parvipendi simplex adsistentia Missae sine communione.

5. Cavendum esset ut textus art. 43 (pag. 176) sit in concordia cum eventualibus dispositionibus schematis de disciplina populi christiani quoad Liturgiam verbi sive homeliam Missae in diebus festivis.

8

Exc.mus P. D. HERMENEGILDUS FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

Venerabiles Patres Conciliares,

In brevi introductione cap. II (pag. 175) aliquid silentio premitur quod non est parvi momenti, *quodque mox extulit ipse em.mus card. Bea et post eum, plena concordia mecum, et sum valde laetus, em.mus card. Browne*: *prout nempe,*[1] nihil habetur de aspectu sacrificali mysterii eucharistici et vix aliquid de fine eiusdem.

Si non est cur repetamus (ne synthetice quidem) mirabilem doctrinam Concilii Tridentini, si praeprimis considerandus est aspectus pastoralis, non exinde sequitur *omittenda*[2] esse elementa essentialia mysterii, quibus necessario innituntur doctrina et praxis liturgico-pastoralis.

Itaque liceat mihi proponere integrationem saltem prioris paragraphi, pag. 175, sequenti *simpliciori*[3] modo « Salvator noster, in cena novissima, qua nocte tradebatur, Eucharistiam ut ritum quoque sacrificalem instituit, quo sacrificium crucis repraesentatur et applicatur, idemque ut paschale convivium iterandum praecepit », *et ita porro sicut habetur in textu praesenti schematis.*[4]

Et paulo inferius, in sexta linea plenius *diceretur*[5] « Sacrificium laudis et *piaculare* », *piaculare seu expiationis.*[6]

Tot menda proposita sunt circa art. 39, in eadem pagina! Certo certius debilior videtur tenor textus praesentis, ut iam alii adnotaverunt.[7]

Propono ut integretur modo sequenti: « Homilia tamquam pars Liturgiae omnino praecipitur diebus dominicis et festis de praecepto pro Missis in quibus maior haberi solet populi concursus; in ceteris Missis valde commendatur ».

Non est cur tradam rationes. *De cetero*[8] nihil est aptius ad praeparandam communitatem actioni sacrificali et sumptioni Christi vitae quam verbum Christi veritatis, id est eius Evangelium, adstantibus rite explanatum.

Quoad art. 42, in pag. 176.[9] Quoad communionem sub utraque specie, in ritu latino, quousque viguerit usus panis azymi, difficultatibus non paucis subiacet, sive consideremus modum administrationis (hoc est intuitivum), sive tempus quod esset certo certius protractum, sive motiva *iam allata a pluribus Patribus quaeque constituerent haud leve*[10] impedimentum pro pluribus *christifidelibus. Mihi*[11] videtur reservanda ad casum concelebrationis et pro concelebrantibus.

Denique: art. 43, in pag. 176. Non videtur satis perspicuus. Titulus est praeceptivus; sed textus prouti nunc iacet, ponit duplicem quaestionem: obiective de validitate Missae, subiective de vi obligationis Missae audiendae *diebus festivis.*[12]

Si Liturgia verbi et eucharistica ita intrinsece coniunguntur, ut unicum actum cultus efforment, *et est verum,*[13] posset quis inferre necessitatem participandi utrique parti ad satisfaciendum praecepto Ecclesiae, dum in praesenti valide interest Missae etiam christianus sero veniens, qui participat ritui saltem inde ab Offertorio.

Textus sic emendandus *mihi*[14] videtur: « *Liturgia Missae duabus partibus constat, i. e. Liturgia verbi et Liturgia eucharistica. Quamvis qui ei participant saltem inde ab offertorio, praecepto satisfaciant,* tamen cum duae illae partes Missae sub aspectu liturgico et pastorali adeo intrinsece coniungantur ut unicum actum cultus constituant, animarum Pastores in catechesi tradenda fideles sedulo instruant, ut integrae Missae celebrationi intersint », vel accuratius « participent » (quia interesse est minus quam participare)...[15]

Circa haec conveniunt mecum *plerique*[16] episcopi Etruriae *seu Tuscaniae.*[17] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] prout. [2] obliteranda. [3] deest. [4] etc. [5] dicatur. [6] expiationis » vel « et piaculare ». [7] Art. 39 (pag. 175) De homelia habenda in Missa: debilior videtur tenor textus, ut iam alius Pater adnotavit. [8] Evidentiores sunt. « Nihil periculosius mundo quam ignorare Christum », fatente S. Io. Chrysostomo. Ex alia parte. [9] Art. 41 (pag. 176): isto articulo iterum iterumque remittimur ad alium qui in historia praesentis Concilii locum fortasse consequetur qui ceteris invidiam faciet (si ita loqui licet!). Ut adiiciam saltem lapillum pro conciliandis duabus oppositis tendentiis, audeo proponere textum extremae simplicitatis et brevitatis quo posset substitui praesens: « Salva conservatione latinae linguae pro altera Missae parte, lingua vernacula in priore parte seu catechetica adhiberi potest in Missis cum populo secundum mensuram et versiones quas singulae Conferentiae nationales statuerint, adprobante S. Sede ». Insuper propono paragraphum minimam addendam: « Curent episcopi ut christifideles pro Missa sollemni discant saltem cantus simpliciores gregorianos » (Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei). Art. 42 (pag. 176). [10] hygienica quae haud leve constituerent. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] Auferatur autem adverbium « quodammodo », quod videtur dissonare cum declaratione de unitate intrinseca duarum partium. [16] deest. [17] deest.

9

EXC.MUS P. D. FRIDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Em.mi Praesides, venerabiles Patres et Fratres,

Ad caput II schematis *de Liturgia,* pag. 175, nn. 37 et 40.

Multum quidem placet propositum instaurandi Ordinem Missae. In hac instauratione peragenda optarem ut prae oculis haberentur ea quae sequuntur.

Amor verae unitatis veraeque universalitatis Ecclesiae feliciter nostris diebus in omnium christianorum animis floret. Huiusmodi unitatis et universalitatis radix et virtus est Mysterium Crucis Christi, « qui est pax nostra; quia reconciliavit omnes homines in uno corpore Deo per Crucem, omnesque condidit in semetipso in unum novum hominem, ut per ipsum haberent accessum omnes in uno Spiritu ad Patrem », prout clare S. Paulus docuit ad Ephesios, cap. 2, 14-18.

Iam vero mysterii Crucis perennis memoria et sacramentalis iteratio quotidie fit ab Ecclesia in sacrificio Missae. In eo igitur oporteret ut etiam eius primarius scopus unitatis fidelium et universalitatis redemptionis Christi liturgicis formulis iugiter exprimeretur. *Unitas* quidem iam sufficienter exprimitur. *De universalitate* vero redemptionis Crucis, in Ordine et Canone Missae raro, ut videtur, sermo occurrit. Censeo tamen hoc frequentius fieri oportere, iuxta praeclaram illam commendationem quam S. Paulus fidelibus faciebat, dicens: « Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt... hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus » (*I Tim.* 2, 1-6).

Igitur ad exemplar mentionis universalitatis, quae iam fit in oblatione Calicis... « pro nostra et *totius mundi salute...* », et in Canonis oratione « Te igitur... pro Ecclesia tua Sancta Catholica: quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris *toto orbe terrarum...* »: ad exemplar, dico, horum quae iam habentur, similia aliqua pauca universalitatem significantia verba facile addi poterunt etiam in *oblatione panis,* in oratione « *Suscipe Sancta Trinitas* », in responsione « *Suscipiat Dominus...* », in « *Memento pro vivis* », in oratione « *Hanc igitur...* », et

in « *Nobis quoque peccatoribus...* », iuxta modum, quem in concreto pro singulis propono, vel alio meliori modo qui commissioni placeat.

Modi, quos propono ad exprimendam universalitatem quam exopto, sunt:

In oblatione panis: « Suscipe Sancte Pater... sed et pro omnibus fidelibus christianis vivis atque defunctis, *immo et pro omnibus a Christo redemptis hominibus,* ut mihi et illis proficiat ad salutem... ».

In oratione « Suscipe Sancta Trinitas... ut illis proficiat ad honorem, nobis autem *omnibusque hominibus* conferat ad salutem... ».

In responsione « Suscipiat Dominus... ad utilitatem quoque nostram totiusque Ecclesiae suae sanctae *atque ad omnium hominum salutem* ».

In Memento pro vivis... « pro spe salutis et incolumitatis suae, *pro omnium hominum unitate in Ecclesia*: tibique reddunt vota sua... ».

In oratione « Hanc igitur... atque ab aeterna damnatione nos *omnesque homines eripi* ».

In oratione « Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, *cunctisque bonae voluntatis hominibus,* partem aliquam et societatem donare digneris... ».

Multum quoque placet quod in n. 40 proponitur de instauranda oratione communi fidelium, post Evangelium et lectionem homileticam; maxime si in tali oratione fideles a Deo implorent unitatem et sanctificationem omnium hominum in Christo Redemptore, iuxta ea quae a S. Paulo postulantur in loco, quem supra transcripsi, et iuxta alia ipsius Domini verba, universalitatem salutis vel maxime exprimentia, quae nobis conservata sunt a S. Ioanne in Evangelio, capite 3, 13-17.

Huiusmodi parvae additiones valde utiles mihi videntur ad sensum unitatis et catholicitatis magis magisque augendum, et ad zelum missionarium fructuose fovendum in animis tam sacerdotum quam fidelium.

Addere audeo quatuor brevissimas supplicationes.

1. In Missa, saltem semel invocetur nomen S. Ioseph.

2. In omnibus Missis, ante ultimam benedictionem, dicatur post « Dominus vobiscum »: « Benedicamus Domino ». « Ite Missa est » nullum sensum iam habere videtur, *eo magis quod fideles communicantes debent manere in ecclesia, gratias agentes pro tanto beneficio.*[1]

3. Orationes Missae ad Deum ut Dominum diriguntur. Dirigantur etiam ad Deum ut Patrem nostrum. V. g. « Domine, Deus et Pater noster », « Dominus, Pater noster, vobiscum », « Concede nobis Deus, Pater noster... » etc.

Sumus enim non tantum servi, sed et filii. Iesus nos docuit orare « Pater noster »...

4. Feria V et VI Hebdomadae Maioris ac Sabbato Sancto omnes sacerdotes Missam celebrare possint. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

Animadversiones additae:
De lege ieiunii eucharistici.

Notanda. *Primo.* Iesus Christus communionem apostolis distribuit paulo post manducationem Agni Paschalis.

Secundo. Sacerdos, cum celebrat, post communionem facit ablutiones cum vino.

Tertio. Diaconi aut sacerdotes, qui, Missa ritu orientali celebrata, post communionem fidelium manducant panem consecratum remanentem, ientaculum postea sumunt, cum species sacramentales adhuc in suo stomacho permanent.

Quarto. Sacerdotes, qui ritu latino Missam celebrant et quindecim momentis postea sumunt ientaculum, multi tunc temporis probabiliter adhuc habent in pectore species sacramentales.

Quinto. Non apparet maior indecentia in eo quod species sacramentales materialiter unitae sint cibo vel secretionibus stomachi.

Supradictis rite perpensis, proponitur ut lex de ieiunio eucharistico hac, vel simili ratione, mutetur.

« Ob maiorem reverentiam Ss.mae Eucharistiae debitam, praecipitur sub levi, ut, sacerdotes ad Missam celebrandam, et fideles ad sacram communionem sumendam, ne accedant, nisi elapsa hora postquam sumpserint aliquid cibi vel potus.

Aqua vero et medicinae, etiam solidae, pro infirmis ieiunium eucharisticum non frangunt.

Lex admittit parvitatem materiae in sacerdote vel fideli, qui oblivione parum sumpserit intra horam ante communionem, quam suscipere desideraverat ».

10

Exc.mus P. D. CUSTODIUS ALVIM PEREIRA

Archiepiscopus de Lourenço Marques

Praeclarissimi Patres,

Paucis verbis aperiam vobis sententiam meam et quidem ad nn. 38, 42 et 44 huius capitis.

Ad n. 38, pag. 175. Laudandum et approbandum est propter rationes ibi allatas. Non enim intelligitur cur, singulis annis, eaedem pericopae populo legantur, et obliviscantur perdivites alias partes, praesertim IV Evangelii et aliorum librorum Novi Testament in Epistola.

Posset Conferentia episcopalis pro singulis regionibus, et determinato tempore, rem statuere.

Ad n. 42, pag. 176. Dicere velim, *ut iam heri et hodie dictum est,*[1]

communionem sub utraque specie, propter magnas et practicas difficultates, concedendam tantum esse in Missa sacrae Ordinationis, vel, fortasse melius, unice in conferendo sacri Presbyteratus Ordine...[2] Omnino laicis interdicendam, quacumque ex causa. Et rationes sunt facili intellectu, quin eas considerando immoremur.

Proinde redigatur hic numerus sequenti et simplicissimo modo: « Communio sub utraque specie extendatur ad Missam Ordinationis presbyterorum, vel, si placet, ad Missam Ordinationum » (generatim)...[3]

Ad n. 44, in eadem pag. 176. Concelebratio videtur approbanda et extendenda, sine praeiudicio fidelium. Proponam humiliter et reverenter:

Ad *a*). Loco Missae Chrismatis, Missam vespertinam in Cena Domini, nam Missa Chrismatis, in qua ne fideles quidem Eucharistiam sumunt, est Missa specialis, quasi episcopalis dicam.

E contrario Missa in Cena Domini est praecise commemoratio ipsius institutionis tanti mysterii. Eo amplius, quod Missa Chrismatis celebratur tantum in ecclesia cathedrali; et alii sacerdotes per dioecesim?

Ad *b*). Deleatur illa pericopa « si ad singulares celebrationes aliter provideri non possit », et textus ita scribatur: « ad conventus sacerdotales vel alias occasiones extraordinarias, iudicio Ordinarii ».

Tandem, et haec scripta non erant, omnino placet observatio card. Monreal, nempe: *ut liceat celebrare et sacram communionem accipere « quacumque hora diei et noctis », servatis tribus horis ieiunii eucharistici.*[4] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] praeter, evidenter, episcopatum, ut nunc fit. [3] Evidenter concedenda est in concelebratione, ut in n. 45 legitur. [4] deest.

11

EXC.MUS P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainanensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Meae brevissimae observationes pertinent *per se*[1] ad capita secundum et tertium. Liceat igitur mihi, *brevitatis causa,*[2] eas simul dicere hac una vice.

Pro recognitione et renovatione Missalis et rituum sacramentorum, omnino attendendum est ad principium simplicitatis et claritatis, in quo

non tantum splendor rationis historicae et asceticae refulgeat, sed ratio practica et pastoralis, *speciatim in Missionibus,*[3] suum pondus habere etiam debeat. Casus exceptionis sint pauci, et casus particulares sint etiam rari, secus difficultates *interpretationis*[4] multae exoriri poterunt episcopis.

Propterea corrigendum est id quod dicitur in n. 38, scilicet: « ita ut decursu plurium annorum, praestantior pars Scripturarum sanctarum populo praelegatur ». Verba « plurium annorum » mutanda sunt in « unius anni »; secus deberemus habere vel plura volumina Missalis vel unum volumen valde voluminosum. Unum vel aliud est semper incommodum et valde difficile pro missionibus.

Secundo.[5] In Conferentia episcopali versus finem mensis augusti huius anni in civitate Taipeh, *in Formosa,*[6] habita, nos episcopi, adhibita facultate a Sacra Congregatione Sacrorum Rituum concessa, reduximus septem gradus caeremoniarum baptismi adultorum, *nuper mutatus,*[7] in tres gradus, et speramus quod id rite fieri possit. Fatendum est quod nullus de 70 sacerdotibus, in insula Formosa Sinarum pro Evangelio laborantibus, gavisus fuit de renovatione ordinis baptismi adultorum, sed e contrario omnes lamentaverunt de complexitate et de difficultate applicationis, dicentes renovationem Romae a liturgistis theoreticis factam esse qui vitam missionalem et pastoralem non habuissent.

Propono igitur quod novus ordo baptismi adultorum iterum subiciatur recognitioni ut numerus graduum caeremoniarum diminuatur et triplex repetitio exorcismi tollatur...[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] Insuper in n. 50 loquitur de recognitione Ordinis Baptismi adultorum. Haec recognitio iam facta est ut novus Ordo Baptismi adultorum, habita ratione catechumenatus instaurati, promulgatus est recenter a S. Congregatione Rituum. [6] deest. [7] deest. [8] In n. 54 « in ipso ritu baptismi »: haec verba tollantur et legatur « Aqua baptismalis, extra tempus paschale, ex iusta et rationabili causa, formula breviore et apta, benedici potest »; uti habetur in facultatibus decennalibus S. C. de Prop. Fide. Verbum « paschalis » adamussim adhibetur in hoc schemate, sed sensus non clare intelligitur. Ideoque claritatis causa hoc verbum in aliquibus textibus expungi vel substitui oportet: sicut in prooemio cap. III in lin. 13: « ex mysterio paschali Passionis, Mortis et Resurrectionis Christi » verbum « paschale » deleatur, et in n. 66 « Ritus exsequiarum sensum paschalem mortis christianae clarius exprimat », verbum « paschalem » substituatur per verbum « supernaturalem ». N. 42: de communione sub utraque specie fidelibus concedenda difficultatem tantum practicam in missionibus indicare vellem. Difficultas enim habetur in pluribus partibus missionum, ubi deficit vinum pro Missa dicenda. In facultatibus decennalibus S. C. de Prop. Fide conceditur facultas adhibendi aquam pro ablutione etiam prima post communionem.

12

Exc.mus P. D. PAULUS RUSCH

Episcopus tit. Meloënsis in Isauria, adm. ap. Oenipontanus

Venerabiles Fratres,

Quae in schemate liturgico dicuntur, grato animo percepi. Iam in specie de actuosa participatione fidelium et de lectionibus in Missae sacrificio agendum est.

Ad primum. Actuosa participatio, in n. 37.

In terris linguae germanicae, per concessionem Pii XII anno 1943 datam, permissum est Missam dialogatam cum lectionibus in lingua vulgari, a lectoribus recitatis, celebrare. Proinde practice de hac re loqui possumus. Experientia pastoralis docet: numerus adstantium fidelium simul cum numero communicantium augetur; populus et praesertim iuventus gaudet. In magnis festis publicis haec forma Missae magnam et etiam missionariam vim exercet. Ita ex. gr. in festo Corporis Christi, antea fideles ad communionem raro accedebant *propter processionem,*[1] nunc 12 sacerdotes vix sufficiunt ut omnes Sacram Synaxim accipere possint...[2]

Eadem experientia *pastoralis*[3] docet populum nostrum antea cantum choralem non cognovisse, nunc cantu chorali cantat. Eum antea nec Credo, nec Salve Regina canere potuisse, nunc optime et Credo et Salve Regina canit. Ratio *huius rei*[4] est simplex: populus de actione liturgica, quam intellegit, gaudet; laeto animo discit etiam ea quae antea incognita erant. Successus ergo felicior est quam nonnulli putant.

Haec actuosa participatio etiam nunc dilatari posset. Historia teste, scimus per multa saecula viguisse ordinem faciendi oblationes in Missa, i. e. fideles offerebant panes et fructus, etc. ad altare, incipiente Missae Offertorio. Unde etiam in oratione Secreta haec vel similia verba leguntur: « Oblationibus nostris, altaria tua cumulamus »...[5] Loci similes in Canone habentur, ex. gr.: « Hanc igitur oblationem, servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae »... Ubi est hodie, quaeso, haec oblatio « cunctae familiae tuae », i. e. fidelium? Restauratio ergo huius oblationis fidelium valde optanda esset, tum quia ita orationibus vel ipsi Canoni plenus sensus redderetur, tum quia intima coniunctio fidelium cum sacerdote in Sacrificio litando aperte ostenderetur. Quare laudandus est textus in schemate propositus: « Ordo Missae ita recognoscatur ut... actuosam participationem fidelium faciliorem reddat »...[6]

Ad secundum. Lectiones Sacrae Scripturae, sub n. 38.

Noster ordo sacrarum lectionum est praesertim in Missali valde incompletus. Populus totam Scripturam numquam audit, immo ne totum Novum Testamentum quidem. Multi fideles dicere solent: scimus iam antea, quid parochus noster ex. gr. in Dominica XX post Pentecosten praedicaturus sit. Idem Evangelium, *fere* [7] eadem praedicatio! Unde sequitur hoc modo fidelibus thesauros Sacrae Scripturae non sufficienter aperiri, immo, quod peius est, in eis vel taedium gigni, quia omnia iam antea sciebant. Quare *iterum* [8] pergratum est quod in schemate sub *hoc numero* [9] dicitur, lectiones in Missa dilatandas esse, « ita ut, decursu plurium annorum, praestantior pars Scripturarum populo praelegatur ». Per talem agendi modum et Scriptura plene aperitur et concio ditatur, quod nostris temporibus maximi est momenti.

Nec hisce aliquid novi introducitur. Ex textibus enim Patrum, praesertim S. Augustini constat, tunc temporis iam hunc ordinem viguisse. Plures enim Patres totos Scripturae libros ideo in scriptis explicaverunt, quia lectione continua in Missae celebratione praelegebantur.

Ad difficultates ex diversitate gentium oriundas recommendare volui Conferentias episcoporum. Cum autem de hac re iam plures locuti sunt, praesertim hodie card. Gracias iam optime disseruerit, haec praetermitto.[10] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Infantes autem intelligentiam saltem aliquam de re tam sancta acquirunt. [3] deest. [4] deest. [5] Quod tunc temporis verum erat, quod verum iam non est. [6] Nil mirum si rem historice spectamus. Unde enim nostrum Kyrie in Missa in lingua graeca. Unde lectiones in Missa Papali non tantum latine, sed etiam graece cantantur? ad quod respondet card. Schuster in « Liber Sacramentorum » (tom. 5 pag. 3 ss.). Secundum hunc auctorem celeberrimum res ita se evolvit: Cum Liturgia in primis saeculis graeca fuisset, facta est in 4 et 5 saeculo bilinguis, scil. graeca et latina, postea tandem latina, prout et in eodem gradu ac lingua communis se evolvit. Cuius facti reliquiae habentur in Missa papali (lectiones) et in nostro Kyrie. Ecclesia ergo ex principio pastorali ab origine ita egit, ut in salutem animarum evolutionem linguae liturgicae admitteret. Unde patet linguam liturgicam ab initio non fuisse rem immobilem, sed evolutioni subiectam, tanquam medium ad finem. Unde praeter alia haec duo dici possunt: *a*) ex mutatione linguae non adesse periculum pro dogmate; *b*) ex praxi pastorali optandum esse ut quae immediate ad populum diriguntur vel a populo aguntur, puta lectiones et cantus, per se lingua vulgari dici possint. Nec ex hoc principio pastorali sequitur, totam Missam esse vertendam in linguam vulgarem. De duplici enim ratione agitur: de ratione pastorali et de ratione mysterii. Iamvero in lectionibus magis ratio pastoralis viget, dum e contra in canone ratio mysterii primum obtineat locum. Nec iterum plures linguae in eodem loco impediunt quominus lectiones in lingua vulgari dicantur. Ex praxi enim optime constat, pastores animarum rem ita dirigere, ut in unam Missam fideles unius tantum linguae conveniant et in alteram Missam

fideles alterius linguae. Sic res optime componitur, experientia duce. [7] deest. [8] deest. [9] n. 38 pag. 175. [10] Ad difficultates autem quae oriri possunt, quia una regio prae alia alias habet indigentias, e. g. una populatio est exculta, altera quasi rudis, una habet linguam perfecte expolitam et magnae extensionis, altera quasi incultam et parvae extensionis, unus populus est in libertate, alter in persecutione constitutus, unus de cultura occidentali et latina, alter de cultura orientali, puta apud Indos vel Sinensis; ad hasce difficultates superandas dicendum est: in medio praesertim aevo vigebat ordo primatialis, i. e. maioribus nationibus dabantur archiepiscopi primates, e. g. Primas Galliae vel Germaniae, qui prout indigentia nationis id postulabat, magna iura habebant et exercebant. Ergo vel hic ordo restaurandus est vel, si hoc minus placuerit, conferentiae episcopales, quorum momentum de die in diem crescit, de iure agnoscendae sunt, quibus dein ius detur ultimam applicationem in re liturgica, Sancta Sede approbante, statuere. Neve Codex Iuris Canonici impedimento sit, cum Papa noster Ioannes XXIII feliciter regnans iam dixerit, etiam in iure canonico aliqua esse mutanda. Et hac ratione et hoc modo agendi difficultates omnes solvi posse videantur.

13

EXC.MUS P. D. GEORGIUS DWYER
Episcopus Loidensis

Em.me Praeses, venerabiles Fratres,

Loqui vellem de art. 37 (Ordo Missae instaurandus) una cum art. 41 (de lingua): necessario enim connectuntur.

Etenim,[1] post longam disceptationem ultimis diebus factam, adhuc incertus maneo de eo quod praecise proponitur faciendum de Liturgia Missae. Quidquid sit de Sacramentis et de Sacramentalibus, ordo Missae est id quod ante omnia nobis et fidelibus interest.

Ultima hebdomada per longum et latum disceptatum est de lingua in qua Missa dici debeat. Aliqua, sed non ita multa, dicta sunt de ritu ipso. Sat multi inter nos...[2] probabiliter contenti essemus de ordine Missae ut eum cognovimus a iuventute nostra. Attamen verbis tot Patrum permotus, praesertim eorum de Ecclesia silentii, qui rationes pastorales urgent cur novus ordo Missae instauretur, desideria personalia seponere paratus sum, ne impediatur opus Spiritus Sancti in apostolatu.

Et dico: fiat[3] novus ordo Missae ut pastoralis instructio populo detur.

Attamen aliquatenus anxius haereo de limitibus huius novae ordinationis Missae. Vellem aliquod propositum facere, ut ii qui idem sentiunt possint clarum suffragium ferre. Vellem ut in hoc art. 37 aliquis limes statuatur, ut sciam quousque haec nova ordinatio Missae se exten-

dere permittatur. Vellem tandem ut incolumis servetur et in tuto ponatur unitas ritus romani.

Si enim unicuique nationi permittatur ordinem Missae proprium conficere, non habebitur reconstructio ritus romani sed potius destructio.

Et pro mea parte nolo in hoc Concilio ad lectum mortis ritus romani adstare.

Et re vera nostris diebus proposita sat extraordinaria hic et alibi legi possunt. Exempli gratia: nuper in libro sat late diffuso in lingua anglica, rite munitus « Imprimatur », auctor vult ut elevatio hostiae et calicis supprimatur quia, dicit, « non debemus adorare Sanctissimum Sacramentum intra Missam sed tantum offerre ». Alii volunt ut ultimum Evangelium aboleatur; et ita porro.

Igitur propono ut haec duo paragrapha adiungantur art. 37:

1. « Hic novus ordo restringatur ad Missam catechumenorum ita ut ab offertorio usque ad finem ordo...[4] immutatus maneat et quidem lingua latina, salvo privilegio ».

Adnoto: dico « lingua latina » *pro hac parte Missae* [5] quia minus conveniens mihi videtur in eadem parte Missae *mixturam habere* [6] aliquam linguae latinae et linguae vulgaris: potius quam ritus romanus esset ritus macaronicus!

Et dico « salvo privilegio » pro Ecclesiis, e. g. Croatiae, qui aliam consuetudinem iam habent.

2. Adiungantur verba: « Ordo Missae catechumenorum, utcumque mutatus et etiam si totus in lingua vulgari instructus, communis et idem sit pro omnibus qui ritu romano utuntur ».

Per art. 41 relinquitur libertas episcopis diversarum regionum decidendi usquequo lingua eorum vernacula uti debeat in Missa catechumenorum; sed semper intra limites ritus romani.

Adnoto, *secundo, quod* [7] si opportunum videretur exceptionem facere pro Ecclesiis Africanis, vel Indianis, vel Extremi Orientis qui culturas proprias habent, melius esset, *ut mihi videtur, ut novi ritus pro iis instituerentur. Ipsi sint iudices.*[8] Sed attonitus non essem si et ipsis magis placeret ritum romanum servare, utique reformatum, si locus in ritu daretur pro lingua vulgari.

Si mea proposita Patribus placeant, ritus romanus manebit signum et vinculum unitatis pro omnibus populis culturae Europae Occidentalis et pro populis ex hac cultura oriundis. *Sicut a pari, intra fines culturae Byzantinae, ritus byzantinus est signum et vinculum unitatis,*[9] etiamsi diversis linguis, graeca, slavonica, etc., celebretur.

Sic migrantes, quorum numerus in dies crescit, ritum familiarem ubique invenient, etsi partim in lingua diversa. Idem dic de peregrinis.

Fideles...[10] ubique gaudebunt quia de unitate carissimi ritus romani semper gloriati sunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] sicut et ego. [3] Fiat ergo. [4] Missae. [5] deest. [6] habere mixturam. [7] deest. [8] ut pro iis instituerentur novi ritus. [9] A pari ritus byzantinus est signum et vinculum unitatis intra fines culturae byzantinae. [10] omnes denique.

14

EXC.MUS P. D. EMMANUEL TRINDADE SALGUEIRO
Archiepiscopus Eborensis

Em.me Praeses, Patres et Fratres venerandi,

Duplicem aspectum in hoc cap. II oportet considerare: aspectum generalem et aspectum specialem. Multa sed optime de doctrina dicta sunt. Mihi autem videtur [1] introductionem in cap. II minus distincte de sacrosancto Eucharistiae mysterio agere. Etenim inter sacramentum et sacrificium ibi non satis distinguitur.

Etsi, prolatis consecrationis verbis atque peracta mirabili illa ac singulari conversione totius substantiae panis in substantiam Corporis Domini Nostri, et totius substantiae vini in substantiam Sanguinis eius, quae conversio convenienter et proprie a sancta catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata, ut verbis sacrae Tridentini Synodi utar, sacramentum fit simul ac sacrificium offertur eucharisticum, ratio sacramenti tamen a ratione sacrificii differt. *Credo ut quaestio haec submittenda est iudicio commissionis de doctrina.*[2]

In specie.

Oratio liturgica « O sacrum convivium, in quo Christus *sumitur,* recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur », optima esset introductio in hoc cap. II, quia paucis ac disertis verbis convivium, sacrificium et sacramentum hoc magnum mysterium fidei, spei et caritatis confitetur.

Ceteroquin sancta oecumenica Tridentina Synodus de Eucharistia ut sacramento, de communione sub utraque specie atque de Missae sacrificio sessionibus distinctis, nempe XIII, XXI ac XXII, per undecim annos separatis, aliis circumstantiis egit.

Igitur censeo distincte agendum esse hoc sub cap. II; primo de Missae sacrificio, secundo de Eucharistiae sacramento.

In specie, notatu digna:

1. *Quoad Missam.*

a) Tempus in quo Sacram Synaxim vespertinam celebrare liceat determinare oportet.

b) Homilia, diebus dominicis et festis de praecepto, non solum commendanda sed praecipienda est, salvis casibus iustis et gravibus.

c) Quoad orationem communem, seu fidelium, post Evangelium homiliamque, tollendum est adverbium *saltem* et addendum *ac aliis diebus, de iudicio Ordinarii.*

d) Incongruenter videtur sacerdotem fideles ad orandum invitare *cum* « *Orate, Fratres* »[3] illis autem sedentibus. Melius stantes essent inde ab *Orate, fratres* usque ad *Sanctus.*

e) Nulla adest ratio cur benedicantur oblata post consecrationem, cum Corpus et Sanguis Domini Nostri Iesu Christi iam praesens sit vere, realiter ac substantialiter in altari.

f) Concelebrationis usus non amplificandus praeterquam ad casus sub n. 44.

Concelebrantes vestes sacerdotales proprias ad celebrationem Missae induere debent. Declarare oportet utrum singuli concelebrantes suum recipere possint stipendium an unus tantum illum retinere queat.

g) Communio sub utraque specie non est extendenda ad alios praeter presbyteros ordinatos in ipsa ordinationis Missa, sublato periculo alicuius guttae pretiosissimi Sanguinis decurrentis in terram, propter rationes hygienicas et practicas.

h) Cum in Missa *Ite, Missa est* dicitur, Sacra finiatur Synaxis. Initium Evangelii Sancti Ioannis a celebrante dicendum est post Missam ante canticum Trium Puerorum.

i) Etiam declarare oportet quid pro Missa integra, ad Missae festivae praeceptum implendum, intelligatur, nempe ab offertorio usque ad celebrantis communionem.

2. *Quoad Sacramentum.*

a) Cultus solemnis Eucharistiae enixe commendandus est, non tantum in festo Sanctissimi Corporis Christi, sed etiam in expositionibus et in processionibus eucharisticis.

b) Item valde commendandam communionem intra Missam, cum fieri potest.

c) Etiam tempus communionis vespertinae, immediate post actus religiosos, de Ordinarii iudicio, cum Missa non celebratur, bene definiendum est iuxta normas celebrationis Missae vespertinae.

d) Facultas communionis ab aegrotis domi recipiendae extendenda videtur ad fideles qui ob rationabiles causas morales, v. gr., mortis

recentis personae familiae vel illis in casibus quibus dispensantur Missae interesse, e domo facile exire nequeunt.

e) Tandem decentia in vestibus sacram communionem recipientium urgenda est, cum proh dolor! magis magisque vestes minus decentes domum Dei invadant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Salvo meliore iudicio, mihi videtur. [2] deest. [3] deest.

15

Exc.mus P. D. CARMELUS ZAZINOVIĆ

Episcopus tit. Lebessenus, aux. Vegliensis

Rev.mi Patres,

In art. 38 *huius capitis,*[1] desiderium panditur de praelegendo, decursu plurium annorum, praestantiore parte Sacrae Scripturae fidelibus Sanctae Missae assistentibus. Haec propositio mihi valde placet. Attamen non sat clarum apparet, utrum de lectionibus in Missis festivis tantum an etiam de lectionibus in Missis ferialibus agatur. Submissam sententiam meam hoc modo proferam. Permulti fideles non solum diebus festivis, sed etiam diebus ferialibus S. Missae intersunt, speciatim tempore Quadragesimae, Adventus, mense Maio, *Missis vespertinis, et similibus occasionibus.*[2] Has occasiones non praetermittendas esse existimo a sacerdotibus in cura pastorali positis, praesertim in regionibus *nostris*[3] ubi inimici Dei maxime verbum Domini timent, ubi *pastoribus ecclesia tantum sola remansit*[4] pro instructione doctrinae catholicae facienda et mensa verbi Dei paranda. Liceat *episcopo ergo,*[5] commendare pastoribus gregis *sui christiani,*[6] non tantum diebus festivis, sed etiam ferialibus quando *celebratur Missa cum concursu maiore*[7] populi, lectiones in lingua vernacula fidelibus *perlegere*[8] — non autem *e. gr. semper*[9] repetendo illas de dominica praecedenti, sed, *pro posse,*[10] continuatim ex libro Sacrae Scripturae illo anni liturgici tempori maxime convenienti et ab auctoritate ecclesiastica competenti adprobato. Thesauri biblici hoc modo, ni fallor, cum gaudio et utilitate spirituali pro *multis fidelibus largius*[11] aperientur.

Ad art. 40, *placet mihi sublineare in lin. 29 verbum illud*[12] « saltem ». Ea enim, quae de utilitate, secundum meam opinionem humilem, Lectionum...[13] in lingua vernacula pro *Missis*[14] ferialibus dixeram, idem dicendum puto etiam quoad Orationem fidelium diebus ferialibus in Missis cum concursu populi. Orent fideles nostri in suis ecclesiis etiam

diebus ferialibus in unum conventi ad Sacrificium cum sacerdotibus Deo offerendum pro tota Ecclesia et toto mundo! Elementum hoc non solum religiosum, educativum et instructivum erit fidelibus in regionibus qui libertate religiosa gaudent, sed etiam consolationis *erit pro iis* [15] qui libertate religiosa privati sunt.

Art. 42. Ipsum schema possibilitatem insinuat alicuius fidei periculi. Ne *nos inducamus in tentationem, cum motivum pastorale pro concedenda communione sub utraque specie nullum adducatur, proponerem emendationem huius articuli hoc modo:* [16] « Communio sub utraque specie in Missa consecrationis episcopalis et sacrae ordinationis...[17] tantum conceditur ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] et similibus occasionibus, potissimum ultimis annis, cum s. Missae horis vespertinis celebrantur. [3] deest. [4] animarum pastoribus ecclesiae tantum remanserunt. [5] ergo episcopis. [6] catholici, ut. [7] Missae celebrantur cum maiore concursu. [8] perlegerunt. [9] semper, e. g. [10] deest. [11] multis nostris fidelibus. [12] schematis, in lin. 29, sublineare mihi placet illud verbum. [13] Missae. [14] diebus. [15] et fortitudinis erit pro fidelibus. [16] nos ipsi quempiam in tentationem inducamus, a fortiori cum nullum adducatur motivum pastorale pro concedenda communione sub utraque specie, emendationem huius articuli hoc modo proponerem. [17] sacerdotalis.

16

EXC.MUS P. D. MICHAËL ARATTUKULAM
Episcopus Alleppeyensis

Venerabiles Patres Conciliares,

De cap. II schematis constitutionis de Liturgia, de quo nunc agimus, vellem facere duas tantum observationes. *In his observationibus propono emendationes terminologiae in introductione capitis praesentis. Etsi hae emendationes ab aliis iam propositae sint, rem enucleatius exponere volo.*[1]

Prima observatio. In pag. 175, lin. 3, inopportune *utuntur,*[2] citantur verba Concilii Tridentini, nempe: « mortis eius victoria et triumphus ».

In praesenti enim capite sermo est de sacrificio Missae. Missa vero, quoad naturam suam sacrificii, est repraesentatio mortis Domini. Unde ipsum Concilium Tridentinum, in capite primo, de doctrina de sanctissimo Missae sacrificio, dicit Christum Dominum novum instituisse Pa-

scha « seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit » (Denz. 938).

S. Paulus quasi explicans mandatum Domini: « Hoc facite in meam commemorationem », scribit in epistola 1 Cor. 11, 26: « Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat ». Si, secundum S. Paulum, etiam in communione sub diversis speciebus commemoratur ipsa mors Domini, non vero « mortis eius victoria et triumphus », idem multo magis affirmandum est de ipsa actione sacrificali duplicis consecrationis in Missa. Praeterea si Missa esset repraesentatio victoriae et triumphi Christi super mortem, non esset incruenta iteratio sacrificii Crucis sed potius commemoratio Resurrectionis vel Ascensionis Christi vel tandem status eius gloriosi in caelo.

Concilium Tridentinum utitur verbis: « mortis eius victoria et triumphus » non de Missae sacrificio, sed de praesentia reali Christi in sanctissimo Sacramento. Praesens est enim in sanctissima Eucharistia in eodem statu glorioso ac in caelo, statu nempe victoriae et triumphi super mortem. Concilium enim adhibet supradicta verba in cap. 5 Decreti de sanctissima Eucharistia, ubi dat fundamentum et rationem cultus et venerationis sanctissimae Eucharistiae, ac solemnis et triumphalis processionis Ss. Sacramenti in festo Corporis Christi.

Ista verba Concilii, ergo, inepte et inopportune applicantur ubi sermo est de Missae sacrificio. Ergo verbis citatis, scilicet: « mortis eius victoria et triumphus », substituantur verba: « mors Domini ».

Secunda observatio. In eadem pag. 175, in linn. 5 et 6, loco verborum « sacrificium laudis », substituantur verba: « sacrificium novae legis ». Secus non solum ratio laudis, quae praecipue ad adorationem pertinet, memoranda esset ut inhaerens sacrificio Missae, sed etiam rationes impetrationis, propitiationis et gratiarum actionis.

Cetera, quae dicere volebam, iam ab aliis cum dicta sint, omitto. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

17

Exc.mus P. D. IOANNES CAROLUS McQUAID
Archiepiscopus Dublinensis

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

1. Quoad prooemium cap. II, in paragrapho secunda, *versus finem*:[1] omnes Hiberniae episcopi, quo par est obsequio, velint proponere ut post verba « Deus omnia in omnibus », haec quae sequuntur addantur: « Curent animarum pastores ut christifideles sacrosanctum Missae sacrificium tanquam centrum suae vitae religiosae agnoscant, eidemque frequenter adsistant et, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto, omnes et singuli qui tenentur Missam rite audiant ».

2. In par. 42, ad communionem sub utraque specie quod attinet. Cum fideles fere innumeri, hortationi S. Pii Papae X obsequentes, iam sanctam communionem saepe, etiam quotidie, recipiant, omnes Hiberniae episcopi, pastorali experientia confisi, arbitrantur difficillimum fore, immo impossibile, ut, etiam in casibus bene determinatis, communio sub utraque specie distribui possit.

Quinimmo opinantur episcopi, etiam in his casibus determinatis, periculum fidei vix posse evitari, quia generatim fideles necessario sibi persuasum habebunt se aliquo modo non Christum totum et integrum recipere, quando habitualiter sub una tantum specie recipiunt.

Quare, disciplina Tridentina sancte servata, ne concedatur communio sub utraque specie.

3. In par. 44, ad concelebrationis extensionem quod attinet: opinantur omnes Hiberniae episcopi rationes ob quas optatur haec extensio raro verificari.

Certo certius, apud nos fidelium pietas magis fovetur, nec ulla oritur molestia, si occasionem habeant fideles assistendi pluribus Missis celebratis in diversis altaribus, potiusquam uni Missae a pluribus sacerdotibus concelebratae.

Quare, propter rationes pastorales, existimant episcopi concelebrandi facultatem non esse extendendam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

18

Exc.mus P. D. ANGELUS FERNANDES
Episcopus tit. Neopatrensis, coad. Delhiensis

Em.mi Praesides ac venerandi Fratres in Christo,

Velim quaedam dicere de art. 39, scilicet de homilia. *Eorum quae iam dicta sunt quamdam synthesim velim facere.*[1]

Cum fides sit ex auditu et ignorantia doctrinae christianae multa apud populum operetur damna, et praeterea necesse sit ut renovationem liturgicam praecedat et comitetur fervens praedicatio verbi Dei, fortasse melius esset, salvo meliore iudicio, si articulus aliquatenus corroboraretur, et quidem sic: « In Missis quibus assistat populus, homilia brevis in ipsa Liturgia fundata, inquantum fieri potest, ne omittatur sine ratione omnino speciali, diebus dominicis et festis de praecepto ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Vae mihi si non praedicavero!

19

Exc.mus P. D. CAROLUS H. HELMSING
Episcopus Kansanopolitanus

Venerabiles Fratres,

Post receptionem schematis, observationes et emendationes meas ad Secretarium Status Suae Sanctitatis mittere curavi. Quas observationes cum certior factus sum apud commissiones proprias esse delatas, libenter ad labores Concilii accelerandas hanc occasionem loquendi cedo. Dixi.

Textus scripto traditus:

Cum gloria Dei, quam per sacram Liturgiam promovere conamur, non realiter distinguitur ab aeterna salute animarum, oportet nos « quos S. Spiritus elegit ad regendam Ecclesiam Dei » considerare magisterium nobis commissum non tantum ad fidem servandum, sed potius ad propagandam. Bonum et necessarium est fidem protegere et adamussim servare, sed melius est docere omnes gentes. Verbum Dei non debet alligari. Proinde rationes pastorales et missionariae me movent ad has observationes proferendas:

Cap. II, nn. 38 et 39. Videtur mihi quod hi duo numeri arctius integrandi sunt. E lectione Sacrae Scripturae et ex homilia seu praedicatione verbi (uti schema

pulcherrime loquitur) ditior mensa verbi Dei paretur tam pro fidelibus quam pro catechumenis. Vanum esset quaerere quae ex his duobus sit magis authentica vel efficacior: nam, ut clare dixit sacrosancta Synodus Tridentina, « Christianae rei publicae non minus est necessaria praedicatio evangelii quam lectio, et hoc est praecipuum episcoporum munus » (sess. V, decr. II, n. 9). Item iam docuerat Concilium Lateranense IV: « Inter cetera quae ad salutem spectant populi christiani, pabulum Verbi Dei permaxime sibi noscitur esse necessarium » (constitutione 10).

Ergo ad praedicationem integrandam in cultum dominicalem (et loquor solummodo de Liturgia dominicali), sequentia velim commendare:

1) Pro praedicatione efficaci, quae extendit ad veritates fidei et morum explicandas, ordinatio systematica est omnino necessaria, salva ratione anni liturgici.

2) Ad maiorem reverentiam pro servitio verbi inculcandam, haec Sancta Synodus enucleet veram theologiam praedicationis et efficaciae verbi, sicut iam fecit Synodus Tridentina theologiam sacramentorum.

3) Certissime permittatur lingua vulgata, seu vernacula, non solum in homilia sed etiam in lectionibus.

In eodem *cap. II,* n. 44, p. 176. Amplificatio usus concelebrationis mihi valde placet. Cum concelebratio est in se signum praeclarum unitatis Ecclesiae et sacerdotii, bene deleantur ex schemate haec verba (n. 44 *b,* lin. 22): « si ad singulares celebrationes aliter provideri non posset ».

In cap. III, n. 56, pag. 181. Affirmatio de natura sociali Sacramenti Paenitentiae desideratur. Paenitentia sicut sacramentum reconciliationis cum Ecclesia clarius ostendatur.

In cap. IV, n. 77, pag. 188. Necessitatibus doctrinalibus atque pastoralibus attentis, usus linguae vulgaris, intuitu eius valoris in homiliis, sermonibus, et conferentiis conficiendis, est valde opportunus et desiderabilis.

20

Exc.mus P. D. HADRIANUS DDUNGU
Episcopus Masakaënsis

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Licentia vestra, velim aliquid circa ieiunium eucharisticum dicere.[1]

Nuperrime relaxatio generalis facta est circa ieiunium eucharisticum. Et inter alia, fidelibus licet potum non alcoholicum sumere, servato spatio *unius horae integrae* [2] inter potum et sanctam communionem, sacerdotibus vero inter potum et initium Missae.

At vero adhuc remanet difficultas sacerdotibus qui ad bonum *populi* [3] duas vel tres Missas eodem die celebrare debent, *et quorum numerus de die in diem augetur.*[4] Nam, ut compertum est, saepissime inter duas vel tres Missas spatium horae integrae non datur. *Datur saepissime* [5] dimidium horae, 15 vel etiam 10 momenta. Et sic sacerdos...[6] ieiu-

nus debet duas vel tres Missas celebrare, bis vel ter sermonem facere *apud populum* [7] et plures communiones distribuere. Et hoc non sine incommodo ex ieiunio.

Cum autem *liceat sacerdotibus aquam quocumque momento ante Missam* [8] bibere, humiliter petere velim ut hoc Sacrosanctum Concilium *concedat* [9] sacerdotibus binantibus vel trinantibus, praeter aquam, potum caffè, vel rei *huius* [10] generis, quocumque momento ante Missam.

Ratio est quia aqua paulum iuvat, si iuvat; sed potus caffè, ut patet, reficit... [11] vires sacerdotis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] fidelium. [4] deest. [5] Saepe habentur. [6] omnino. [7] deest. [8] ex relaxatione generali liceat sacerdoti quocumque momento ante Missam aquam. [9] permittat. [10] eiusdem. [11] procul dubio.

21

REV.MUS P. D. SIGHARDUS KLEINER
Abbas generalis S. O. Cist.

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Faveatis audire vocem quoque monachorum, de concelebratione, et loquor nomine quoque abbatis primatis et abbatum Benedictinorum Confoederatorum aliorumque abbatum hic praesentium.

Circa quaestionem de concelebratione placent emendationes iam propositae ab em.mo card. Léger. Canon 610 C.I.C. praescribit pro religionibus virorum celebrationem quotidianam Missae conventualis: quae, ad tenorem canonis 413, est pars integrans divini officii, ita ut chorales, etiam sacerdotes, non legitime excusati, tenentur assistere Missae conventuali.

Iamvero, omissis tot aliis rationibus iam adductis, unam oportet peculiariter notare, ut scilicet sacerdotes, modo sacerdotali, Missae conventuali valeant adstare. Ad hoc iuvat recensere in ritu Ordinis nostri Cisterciensis, qui ritus alto Medio Aevo ex fontibus lugdunensis Ecclesiae ortum sumpsit, morem et regulam existere, qua cavetur ut quicumque inservit Missae, sive conventuali, sive etiam privatae, modo suo Ordini proprio ei inserviat: laicus scilicet ut laicus, iuxta formas omnibus baptizatis communes; acolythus, ut alios omittam, ut acolythus, adimplendo ea servitia ad quae ordinatus est; diaconus ut diaconus, subministrando omnia ea quae iuxta ordinem suum ei competunt. Et haec, ut repetam, etiam in celebratione Missae privatae.

Hoc principium utilissime applicari poterit sacerdotibus choralibus Missae conventuali ex obligatione adsistentibus, ut scilicet non assistant tantum more cantorum vel immo laicorum, sed more sacerdotali, vere concelebrando. Illi sacerdotes Missae non adstant ex fortuito casu, ut ita dicam, sicut personae privatae, qui proin privato modo se gerere possunt, sed ut portio praecipua illius coetus, sanctum sacrificium communi modo celebrantis, Missae ex officio assistunt.

Iamvero in priore parte schematis merito inculcatur ut singula membra Corporis Ecclesiae invitentur ad actuosam participationem in Sancta Missa et quidem, uti dicitur, pro diversitate ordinis vel muneris, singuli agentes partem sibi propriam. Unde convenientissimum videtur, ut sacerdos quoque, ex officio Missae conventuali assistens, ut sacerdos ei adesse possit concelebrando cum principaliter agente, saltem in certis adiunctis, firma utique manente facultate singulariter celebrandi si quis maluerit.

Hoc modo, scilicet circumstantes altare et concelebrantes, sacerdotes chorales, in quibus taedium oriri potest ob duplicem quotidianam Missae celebrationem, maiori cum pietate et fructu Missam participant, et pro fidelium aedificatione solemniore litandi modo unitas sacerdotii et sacrificii unicitas aptius exprimitur.

Humillime igitur rogo, ut restauretur ea forma textus, quae commissioni centrali subiecta erat. A pluribus venerabilibus Patribus in hac aula optime postulatum est, ne Concilium Oecumenicum clauderet portas pro iis mutationibus, quae forsitan non omnibus eodem modo necessariae vel utiles videntur, quae vero in multis Ecclesiae regionibus vel coetibus magni sunt momenti. Huiusmodi mutationes non omnibus imponuntur, sed iis plurimis, quibus secundum iudicium pastorum prosunt, permittuntur.

Spiritu vero oecumenico quaestiones perpendendae et decidendae nobis sunt. Id iure merito inculcatum est ad usum linguae latinae quod attinet, id etiam in concelebratione ampliore ratione concedenda prae oculis habere velitis.

Nemo cogitur ut concelebret, sed ne prohibeatur ille modus ubi ex rationibus omnino validis etiam in Ecclesia occidentali desideratur. Dixi.

Textus scripto traditus:

Permittatis, ut nomine plurium Patrum Concilii ex ordine monastico loquar, i. e. nomine et de mandato Benedictinorum Confoederatorum, Camaldulensium, Vallumbrosanorum, Silvestrinorum, Cisterciensium, Trappistarum. Quaedam dicta sub respectu monastico.

Ad n. 44, pag. 176: Placet iuxta modum, ut scilicet

1. Post litteram *a*) restauretur paragraphus littera *b*) signata, quae in sche-

mate commissioni centrali proposito sic sonabat: « *b*) ad Missam conventualem et ad Missam principalem in Ecclesiis ubi plures sacerdotes adsunt, quorum singularis celebratio ad utilitatem fidelium non requiritur, salva semper cuiusque sacerdotis libertate singulariter celebrandi, non tamen in eadem Ecclesia eodemque tempore »

Rationes sunt inter alias: 1) res maxime interest coetuum ordinis monastici. Magnum incommodum facile habetur ex celebratione solum singulari Missarum in monasteriis et communitatibus, ubi adsunt plures monachi sacerdotes. Hi omnes Missam lectam cotidie celebrant et insuper cantant Missam conventualem. Haec duplicatio cotidiana ratione temporis, pietatis, altarium et supellectilis saepius parum proficua est. In his casibus concelebratio omnino concedenda videtur. 2) concelebratio tam in Ecclesia orientali quam occidentali in usu hucusque remansit. Hi ergo, qui extensionem concelebrationis concedere nolunt vel ex non bene intellecta ratione honoris Dei, aut ex pietate vel etiam ex rationibus theologicis, iniuriam catholicis orientalibus et fratribus orientalibus separatis faciunt. Quin etiam dixerim, concelebrationem ad unionem instaurandam maxime conferre. 3) Unitas Ecclesiae in unitate sacerdotii melius demonstratur (vide textum S. Thomae in nota 12 pag. 177).

2. Insuper ut in actuali paragrapho *b*) (nunc *c*) lin. 22 loco verborum: « ... si ad singulares celebrationes aliter provideri non possit et de iudicio ordinarii » ponatur: « ... ubi singulae Missae sine incommodo celebrari nequeunt ».

Ratio: textus schematis rem nimis difficilem reddit.

Humillime igitur rogo, ut restauretur ea forma textus, quae commissioni centrali subiecta erat. A pluribus venerabilibus Patribus in hac aula optime postulatum est, ne Concilium Oecumenicum clauderet portas pro iis mutationibus, quae forsitan non omnibus eodem modo necessariae vel utiles videntur, quae vero in multis Ecclesiae regionibus vel coetibus magni momenti sunt. Huiusmodi mutationes non omnibus imponuntur, sed iis plurimis, quibus secundum iudicium pastorum prosunt, permittuntur.

Spiritu vero oecumenico quaestiones perpendendae et decidendae nobis sunt. Id iure merito inculcatum est ad usum linguae latinae quod attinet, id etiam in concelebratione ampliore ratione concedenda prae oculis habere velitis.

Nemo cogitur ut concelebret, sed ne prohibeatur ille modus ubi ex rationibus omnino validis etiam in Ecclesia occidentali desideratur.

Rogo vos, Venerandi Patres Conciliares, ut faveatis audire vocem turturis, non ex caverna maceriae, sed ex caverna monasteriorum clamantem.

22

Exc.mus P. D. BERNARDUS STEIN
Episcopus tit. Dagnensis, aux. Trevirensis

Em.mi Patres, venerabiles Fratres,

Ad artt. 38 et 39, pag. 175, liceat mihi, *illis argumentis quae iam allata sunt, haec pauca addere.*[1]

Ad Liturgiam sub respectu pastorali instaurandam prae oculis ha-

beri debet non sola mensa eucharistica, sed etiam « mensa verbi Dei ». Ratio est, quia, sicut dicit Pius XII in Litteris Encyclicis *Mediator Dei*, actio liturgica Ecclesiae non comprehendit solum sacrificium eucharisticum et communem orationem, sed etiam lectiones et homiliam seu praedicationem (cfr. *A.A.S.* 39 [1947], pag. 529).

Reapse structura Missae hodierna, scilicet lectio Sacrae Scripturae — homilia — sacrificium eucharisticum, ab ipso Domino in Cena ultima quodammodo introducta et ab Apostolis observata (cf. *Act.* 20, 7-12), iam invenitur descripta in Apologia I S. Iustini Martyris (*PG* 6, 429).

Postquam S. Pius X cunctis fidelibus faciliorem reddidit participationem mensae caelestis et inde valde succrevit pietas eucharistica, optatur nunc, ut etiam « mensa verbi Dei » ditior Missae adstantibus praebeatur.

Libri sacri non quidem sunt sacramenta. Tamen, sicuti dixit em.mus card. Bea in conventu liturgico-pastorali Assisiensi, effectum salutarem nanciscuntur non solum ex opere operantis Ecclesiae, sed ex seipsis, dummodo recte legantur et declarentur; et hoc ideo, quia non solum continent verbum Dei — id quod dici potest etiam de aliis libris, v. g. de catechismo — sed vi inspirationis divinae *sunt* verbum Dei. Quapropter de sacris libris valet quod dicitur in epistula ad Hebraeos: « Vivus est enim sermo Dei, et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti; et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis » (*Hebr.* 4, 12).

Quae efficacia specialis verbi Dei valde augetur interno et mystico suo nexu cum sacrificio eucharistico, quatenus ad conficiendum sacrificium eucharisticum iam requiritur, ut ipsum verbum Domini annuntietur et proferatur.

Pericopae epistolarum et Evangeliorum, quae per anni circulum fidelibus proclamantur, minimam partem thesaurorum, qui in libris sacris continentur, communicant. Quam rem animarum pastores valde dolent, cum saepe saepius in Missa tantum fidelibus occasio praebeatur audiendi verbum Dei.

Modi, quibus abundantior communicatio divini verbi fieri possit, a peritis in periodicis diversis proponuntur. Ex quibus patefit nullam adesse difficultatem practicam articulum 38, prout in schemate est, in praxim deducendi. Commissio exsecutiva secure opus perficere poterit. Ergo, sicut em.mi card. Schuster et Faulhaber necnon multi alii dignissimi pastores animarum, tam ex Ecclesiis antiquis quam ex nuper erectis, id saepissime atque instantissime petierunt, etiam ego cum tot aliis enixe rogo, ut art. 38 huius schematis a Concilio affirmetur.

Certus sum, quod ditiore usu verbi Dei non solum fideles attentius *auscultabunt,*[2] sed etiam praedicatores in Missa facilius necnon fructuosius munere suo fungentur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] pauca proferre argumenta. [2] audient.

23

Exc.mus P. D. HILDEFONSUS M. SANSIERRA
Episcopus tit. Oriensis, aux. S. Ioannis de Cuyo

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres Conciliares et Observatores,

Liceat mihi quasdam propositiones patefacere, quae ad materiam de qua agimus spectant. Loquar etiam nomine mei exc.mi D. Audini Rodriguez y Olmos, arch. S. Ioannis de Cuyo.[1]

Ad n. 37 quod attinet:

a) Ad hunc numerum quod attinet, oblivioni non dari cerno quod iam in plurimorum episcoporum et sacerdotum desiderio est, nempe ut, ratione cultus protoduliae, S. Ioseph debito, hoc nomen in canone Missae contineatur.

b) Si *optandum est, et maxime quidem,*[2] in fine Missae auferatur lectio S. Evangelii S. Ioannis, et etiam preces post Missam a Leone XIII praescriptae...[3], videtur aliquantulum mutari debere conclusio Missae, ita ut « microdialogus » sacerdotem inter et populum instituatur: qui etiam iuxta n. 27 schematis, in pag. 168, ita forsan esse poterit:

Expleta oratione « postcommunio », sacerdos in medio altaris immediate dicat: « *Placeat, tibi, Sancta Trinitas...* ». Hac absoluta oratione, sacerdos ad populum dicit: « *Dominus vobiscum* », cui respondetur: « *Et cum spiritu tuo* ». Tunc celebrans dicat: « *Iam Missa est!* » cui respondetur a fidelibus: « *Deo gratias!* ». Tunc celebrans: « *Ite, fratres, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* », cui fideles respondent: « *Amen!* ».

Ad n. 39. Quoties sacerdos explicaverit Evangelium ad populum, ipsi facultas sit eum omittere in Missa, cum onere tamen ipsum legendi lingua vernacula ad fideles.

Ad n. 41. De lingua liturgica. Iam permulta dicta sunt, nihil proinde fatear. Post autem hanc paragraphum, aliam paragraphum dicerem ponendam esse; nempe de *hora celebrandae Missae,* quae, iuxta meam opinionem, ita redigenda esset: « Omnibus sacerdotibus fas sit celebrare

Missam quavis hora, servata lege de eucharistico ieiunio et ceteris de iure servandis ».

Ad n. 42. Communio sub utraque specie, sublato semper fidei periculo, et in bene determinatis casibus, admittenda *videretur* [4] ad fervorem populi excitandum, *saltem* [5] feria quinta in Cena Domini. Ita tamen ut communio Sanctissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi fiat non calice ad os ferendo sed alio convenienti modo a peritis in hac re determinando, *sicut vidimus fieri in quibusdam ritibus orientalibus catholicorum.* [6]

Ad n. 44. Amplificari usus concelebrationis quam maxime laudandum et peroptandum videtur. Quapropter in hac paragrapho duas alias occasiones adderem, in quibus liceat concelebrare, nempe: in Concilio Provinciali episcoporum; et in Concilio Oecumenico.

Concelebratio enim magnum est signum unitatis, quapropter non esset mirum si in hac Sacrosancta Synodo Vaticana II, qua novum signum unitatis totius Ecclesiae, mysterium eucharisticum Corporis et Sanguinis Christi concelebraretur a Sanctissimo Papa nostro Ioanne XXIII, Petri successore, una nobiscum episcopis undique convenientibus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Schema, prout confectum est, placet. Enucleatim enim, fere omnes huius temporis exigentias de sacro ministerio et apostolatu, saltem generice prae oculis habet. Specifice vero, quoad introductionem huius capitis, ultima pericopus nimis rigida videtur, quae ita sonat: « Quapropter Sacrosanctum Concilium, ut Sacrificio Missae *restituat* etiam in forma rituali, *plenam* pastoralem efficacitatem, ea quae sequuntur decernit ». Duo verba, nempe « restituat » et « plenam » mitius redigenda teneo. [2] ut optandum maxime est. [3] auferantur. [4] videtur. [5] v. g. in. [6] deest.

Praeses: Nunc fit repositio S. Evangelii. Stemus omnes reverenter.

[*Intervallum*].

Oremus nunc *Angelus Domini* pro pace in India.

Secretarius generalis: Proxima congregatio generalis, crastina, hora nona.

CONGREGATIO GENERALIS XI

31 octobris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XI

31 octobris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis Concilii*: Hodiernae congregationi generali praeest em.mus ac rev.mus D. card. Eugenius Tisserant, Decanus.

Loqui postulaverunt: em.mi DD. cardd.: Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis, Franciscus König, arch. Vindobonensis; exc.mi DD. Placidus Cambiaghi, ep. Cremensis in Italia; Franciscus Jop, ep. tit. Dauliensis in Polonia; Raimundus Iglesias, ep. Urgellensis in Hispania; Ioannes Nuer, ep. Phatanensis in Aegypto; Narcissus Jubany, ep. aux. Barcinonensis in Hispania; Ioannes Baptista Przyklenk, ep. Ianuariensis; Albertus Devoto, ep. Goyanensis in Argentina; Laurentius Nagae, ep. Urawaënsis in Iaponia; Paulus Ioannes Hallinan, arch. Atlantensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; D. Ioannes Prou, sup. gen. Congregationis Gallicae O.S.B.; Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis in Germania; Aloisius da Cunha Marelim, ep. Caxiensis in Brasilia; Ioannes Iulianus Weber, arch. Argentinensis in Gallia; Arthurus Elchinger, ep. coad. Argentinensis in Gallia; Ioseph Khoury, arch. Tyrensis Maronitarum in Libano; Neophytus Edelby, arch. tit. Edessenus; Ioannes Carolus Aramburu, arch. Tucumanensis in Argentina; Petrus Tou, ep. Hsinchuensis in Formosa, in Sinis; Carolus Himmer, ep. Tornacensis in Belgio; Ioannes Van Cauwelaert, ep. Inongoënsis in Congo; Cyrillus Zohrabian, ep. Acilisensis; Petrus Boillon, ep. coad. Virodunensis in Gallia; Conradus de Vito, ep. Lucknovensis in India; Ioseph Melas, ep. Nuorensis in Italia; Ioseph Duschak, vic. ap. Calapanensis in Insulis Philippinis; Stanislaus László, ep. Sideropolitanus in Austria; Marinus Bergonzini, ep. Volaterranus in Italia; Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Iugoslavia; Carolus Ferrari, ep. Monopolitanus in Italia; Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia.

Hodie, durante congregatione generali, distribuentur numismata argentea, quae ob initum Concilium Oecumenicum cusa sunt.

Monet, praeterea, praefectus exc.mus Caeremoniarum Apostolicarum: pro cappella papali diei 4 novembris, em.mi Domini cardinales, qui secum cappas non detulerint, possunt interesse Sacro cum mantel-

letta et mozetta. Episcopi, archiepiscopi possunt interesse Sacro cum mantelletta.

Rogantur, denique, Patres Conciliares, de mandato praesidentiae, non distribuere in hac aula conciliari inter Patres, circulares privatas nisi de consensu ipsius consilii praesidentiae. Gratias!

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. LERCARO
Archiepiscopus Bononiensis

Venerabiles Patres,

Ad n. 40, in pag. 175, lin. 27 ss. Liceat mihi enixe commendare introductionem, seu potius restitutionem in Ordine Missae Missalis Romani « Orationis communis seu fidelium », suo quidem proprio loco, nempe post homiliam, prout iam exstat in S. Iustini Apologia, 67: « Postea — i. e. post homiliam praesidis lectiones ex Prophetis et ex commentariis Apostolorum explicantis — omnes surgunt fiuntque preces... ».

Rationes sunt: *a*) Momentum eucologicum maxime convenit « cunctae familiae Dei » in nomine eius congregatae, iuxta verbum Christi: « Ubi fuerint duo vel tres, etc. ... et quodcumque petierint... etc. ». Quam familiam Dei congregatam etiam summe decet meminisse coram Patre necessitatum fratrum, praesertim pauperum et quomodocumque in tribulatione exstantium; sed et necessitatum ipsius Ecclesiae et mundi universi, prout S. Paulus hortatur.

b) « Oratio communis » exstat revera in omnibus ritibus, sicut et, de cetero, fuit in romana Ecclesia, prout induci potest vel ex ipso primissimo eiusdem Ecclesiae documento, epistola nempe Clementis Romani ad Corinthios anni 95 vel 96...[1]

Quae « Oratio communis », brevior equidem, melius certe fiat lingua vulgari et forma litanica. Missalis ditetur igitur congruis formulis, ex quibus, praeter aliquot ordinarias, episcopi et locorum ordinarii praecipere possint eas quae instantibus necessitatibus conveniant; sublata vero in Missali illa invitatione « Oremus », quae adhuc exstat — nudum vestigium — ante Offertorium, cuique revera nulla respondet oratio.

Praeterquam in diebus dominicis et festis, Oratio communis locum habere possit in aliis quibusdam circumstantiis, prout verbi gratia in Missa pro sponsis.

Ad n. 48, in pag. 176, lin. 13 ss. Praeceptum Missae festivae videtur aliquantulum extenuari in textu schematis quoad priorem partem Missae. Revera Codex Iuris Canonici, can. 1248, simpliciter dicit « Missa audienda est », et formula in catechismis recepta Missam integram audiri praecipit; substantivo autem *Missa,* etiam absque adiectivo *integra,* non designatur tantum pars sacrificalis sed etiam pars didactica. Extenuatio sensus liturgici in fidelibus causa fuit interpretationis receptae quae obligationem praecepti limitat parti sacrificali; quae relaxatio revera apparet cum Missae solemni sufficitur in diebus festis etiam Missa lecta et ideo minor fit actuosa participatio fidelium. Post saeculum XVI, quando nulla, aut fere nulla participatio *actuosa* [2] evasit, iam disputatur de gravitate obligationis adsistendi ad priorem partem *Missae;* [3] post saeculum vero XVIII vulgatur opinio quod sufficiat ad exhauriendum praeceptum adesse cum incipit Offertorium.

At non tantum ex historia duas partes Missae intime inter se connecti apparet, et quidem iam ab initio, ut erui potest ex *ipsa* [4] narratione Act. Ap. 20, 7-10, et ex citata Iustini Apologia. Sed duae partes reipsa unum efficiunt, cum lectio Scripturarum, rite in homilia commentata, professio fidei, oratio communis intime cum oblatione sacrificii et eidem sacrificio sacramentali participatione connectuntur. Conscie enim et pie fidelis facilius participat sacrificio in Ecclesia Deo oblato, cum, per fidem, verbo Dei ab Ecclesia proposito adhaesit actualiter et, per caritatem, in oratione filiali communiter facta fratribus consociatus est, eorum necessitatum non immemor; haec enim omnia eximiam dispositionem ad Christi mysterium participandum in fide et caritate evidenter constituunt.

Momenti etiam pastoralis et quidem magni ponderis meminisse iuvabit. Fideles enim plurimi nunc temporis unum habent cum Ecclesia contactum, Missam nempe festivam. Quod si priori eius parti non adsint, iam vocem Matris et Magistrae, proinde et vocem Patris, numquam audient aut fere numquam; unde facile, praeiudiciis et erroribus *irretiti,* [5] filii prodigi evadent, domumque paternam relinquent, omnem aut fere omnem christianae vitae actum aut praxim deserentes.

Hinc — in hac desideratissima restauratione sensus liturgici in fidelibus — submisse propono ut n. 43 conclusio robustior fiat, enixe commendata et quidem in directo, participatione integrae Missae; et consequenter pastoribus monitis de fidelibus, congrue et inde a prima aetate, instruendis circa divitias mensae verbi divini in Missa omnibus oblatas, et ad integram participationem educandis aut reeducandis.

Quae omnia profecto rationabilius et libentius fient et a pastoribus et a fidelibus, si, prout in nn. 43 et 41, lectionarium et evangeliarium

Missae fiant ditiora et vulgata lingua verbum Dei immediato fidelium auditui et captui offeratur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] circiter. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] decepti.

2

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. KOENIG
Archiepiscopus Vindobonensis

Em.me Praeses, Patres venerandi,

Caput II huius schematis placet, quamvis, omissis declarationibus quae commissioni centrali praeiacebant, generalis tantum delineatio in hoc capite habeatur.

1. In n. 37 legimus: « Ordo Missae ita recognoscatur... ut clarius percipiatur ». Sensus horum verborum sine dubio ille esse debet, ut non tantum dispositio rituum percipiatur, sed percipiatur id quod agitur, sacrificium nempe Novi Testamenti, quod Christus Dominus Ecclesiae suae tradidit offerendum cum ipso principali offerente.

Ideo oratio eucharistica, quae incipit a praefatione, clarior ut talis fidelibus appareat. Ut id obtineatur, requiri videtur, ut copia praefationum augeatur, imprimis ut provideantur praefationes pro dominicis, quae indolem vere paschalem diei dominicae retineant, et ut saltem doxologia finalis alta voce proferatur.

2. Quoad nn. 42 et 44 (id est communio sub utraque specie et concelebrationis usus), adhaereo votis positivis plurium Patrum, imprimis cardinalium Bea et Alfrink eorumque argumentis non parvi ponderis. Insuper praxis Ecclesiarum Orientalium in hac re tangitur. Ideo inopportunum videtur, reiciendo tales propositiones, quodammodo praeiudicium contra eorum praxim creare.

Ideo humiliter rogo, ne claudatur porta a Concilio. Tali agendi modo nullo episcopo vel ordinario ulla obligatio imponitur.

3. Votum positivum quoad n. 41 scriptis secretariatui tradam...[1] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Non raro extollitur parallelismus inter linguam latinam et linguas mortuas in cultibus paganis. In iis cultibus paganis lingua mortua adhibetur, quia spiritus ex quo vivificantur eis deest. Attamen Ecclesia Catholica, quae Spiritu Sancto regitur et vivificatur, huic legi cedere non debet. Ideo suam linguam necessitatibus temporum aptabit. Quod nihil aliud est quam signum vitae suae.

3

Exc.mus P. D. PLACIDUS CAMBIAGHI
Episcopus Cremensis

Em.mi ac exc.mi Patres,

Ad ea quae iam sapienter dicta sunt quoad cap. II schematis *de sacra Liturgia,* liceat mihi aliquas praecisationes et animadversiones addere.

Ad n. 37, de Ordine Missae instaurando: fervidum promitur votum ut Missae de Sanctissimo Sacramento Eucharistiae praefatione propria ditentur.

Ad n. 39: ego quoque censeo homiliam non tantum commendandam sed praecipiendam esse et quidem in omnibus Missis, diebus dominicis et festis de praecepto, in ecclesiis paroecialibus et in ecclesiis publicis religiosorum.

Insuper, cum homilia infra Missam diebus festivis sit fere unica catechesis pro maxima fidelium parte, valde commendandum est ut dicta homilia sit in doctrina dogmatica, morali atque in Sacra Scriptura bene fundata, quin rationes liturgicae diei festi celebrati praetermittantur.

Quoad Communionem sub utraque specie in ritu romano, censeo *humiliter* [1] reservandam esse tantum sacerdotibus in Ordinatione sacerdotali. Rationes abundanter iam prolatae sunt.

Ad n. 44, circa amplificationem usus concelebrationis sacramentalis ad Missam Chrismatis feria quinta in Coena Domini et ad conventus sacerdotum.

Huiusmodi amplificationem libenter amplectendam puto ob rationes ab aliis Patribus expositas. Attamen quasdam animadversiones liceat subicere commentationi vestrae:

Quoad concelebrationem in Missa Chrismatis:

a) Agiturne de voluntate praeceptiva an de consilio vel exhortatione tantummodo?

b) Ut sacerdotes ad concelebrationem cum episcopo facilius et libentius in ecclesia cathedrali participare possint, duae mihi videntur opportunae condiciones, nempe: Ritus in consecratione Olei et sacri Chrismatis breviores sint; secundo, ordinarii locorum ne indulgeant in concedenda propriis sacerdotibus facultate celebrandi Missas in oratoriis privatis aut semipublicis feria quinta in Coena Domini, nisi gravi et rationabili de causa agatur.

c) Existimo insuper facultatem concelebrandi extendi posse pietatis et caritatis causa ad sacerdotes aegrotos in nosocomiis ecclesiasticis vel domibus pro sacerdotibus curandis degentes, de licentia Sanctae Sedis aut saltem ordinarii loci.

Quoad concelebrationem in conventibus sacerdotum, triplex dubium moveri potest, nempe:

a) inter conventus sacerdotum possuntne legitime haberi capitula generalia vel provincialia religiosorum, exercitationes spirituales, conventus spiritualitatis et studiorum, aliaque huiusmodi?

b) Nonne clausula illa « si ad singulares celebrationes aliter provideri non possit » nimis est restrictiva et non fundata rationibus in nota 12 pag. 177 et 178 bene expositis?

c) De quonam ordinario agitur in casu regularium? Si sufficiat iudicium ordinarii religiosorum, uti videtur, textus constitutionis hoc modo utiliter et clarius immutari posset: « ad conventus sacerdotum de iudicio ordinarii loci, ad conventus autem sacerdotum religiosorum de iudicio proprii ordinarii ».

Proinde lin. 26 « Ordinarii erit iudicare » immutari posset hoc modo: « Ordinariorum supradictorum erit iudicare ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

4

Exc.mus P. D. FRANCISCUS JOP
Episcopus tit. Dauliensis

Em.mi, exc.mi Domini, rev.mi Patres,

Multoties in his disceptationibus venerabiles Patres Conciliares loquebantur, et merito quidem, de didactico et pastorali valore sacrae Liturgiae, eiusque catechetica applicatione in vita christiana.

Codex Iuris Canonici, in can. 1344, praecipit quod sequitur: « Diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto proprium cuiusque parochi officium est, consueta homilia praesertim intra Missam in qua maior soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare ».

Videntur mihi illa quae proposita sunt in pag. 175 schematis, in n. 39, nullo modo respondere votis venerabilium Patrum de pastorali indole sacrae Liturgiae hic loquentium, nec etiam consonare cum normis Iuris Canonici in citato canone statutis et adhuc vigentibus.

Etenim in hoc art. 39 schematis legimus: « Homilia, tamquam pars

ipsius Liturgiae, valde commendatur, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto ». Verbum « commendatur » nec vim obligatoriam legis habet nec etiam praeceptum est atque facile dubia et confusionem excitare potest.

Quare propositionem facio, ut statutum hoc Concilii Oecumenici aliis verbis exprimatur, scilicet: « Homilia, tamquam pars ipsius Liturgiae, semper nuntiari debet diebus dominicis et festis intra omnes Missas in quibus populus soleat participare nisi ex dispositione Ordinarii loco homiliae concio de alio argumento doctrinae catholicae indicta sit ».

Ad n. 42 cap. II, de Communione sub utraque specie, vellem pauca animadvertere. Non solum periculum fidei, nostris temporibus forsan minus grave et non tam imminens quam saeculis elapsis, sed imprimis magna practica difficultas in distribuenda specie vini fere impossibilem aut saltem valde difficilem reddit sacram Communionem sub utraque specie etiam in Missa sacrae Ordinationis, excepta, prout nunc est, sola Ordinatione episcopali.

Ob rationes enim hygienicas species vini non potest sumi ab omnibus ordinatis ex eodem calice ex quo sumebat episcopus conferens sacram Ordinationem. Eaedem rationes postulant ut omnes ordinati abstineant a sumptione ex altero communi unico calice, praesertim si notabilis sit numerus ordinatorum, inter quos non tam raro aegroti inveniuntur.

Inde maior adhuc oritur difficultas et etiam possibilitas valde probabilis involuntariae profanationis sacrae speciei vini, quando agitur de distributione sacrae Communionis sub utraque specie laicis.

Quapropter censeo praescriptum art. 42 de Communione sub utraque specie omnino omitti posse. Dixi.

5

EXC.MUS P. D. RAIMUNDUS IGLESIAS NAVARRI
Episcopus Urgellensis

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Egregiae praesidentiae votis obsecundans, et ut venerabili conciliari coetui, meo orali interventu oneri non sim, paucis absolvam animadversiones quas consulto, ut credo, facere teneor in nn. 42 et 44 cap. II « De sacrosancto Eucharistiae mysterio » in schemate *de sacra Liturgia.*

In primis, ut principium commune in memoriam revocandum esse censeo, nullam immutationem, maxime in re tanti momenti, qualis Mis-

sae Sacrificium et Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, magna sine causa vel ratione sufficienti, fieri debere.

Quoad n. 42 talis causa vel ratio nullatenus mihi apparet, ut Communio sub utraque specie in Ecclesia occidentali instauretur, excepta Missa sacrae Ordinationis, pro iis tantum vero qui una cum episcopo, ordinem presbyteratus conferente, concelebraverint; pariterque in Missa Consecrationis episcoporum. Et ipse Redemptor noster, Communionem sub utraque specie, unice distribuit iis, quos intra illam *Missam primam* [1] sacerdotes constituebat.

Nec animarum profectus adduci potest, cum fuerit professe definitum in Concilio Constantiensi « integrum Christi corpus et sanguinem » esse sub utraque specie; et in Decreto pro Armeniis Concilii Florentini legatur: « Totus Christus sub utraque specie continetur », quod denuo confirmatum fuit et explicatum in Tridentino (cf. Denz. 932-936).

Si igitur sub unaquaque specie Christus totus continetur, eadem gratia sacramentalis ex opere operato sive sub una sive sub utraque specie recipitur.

Cur, quaeso, tanta tamque mira innovatio in Liturgia occidentali facienda, cum e contra non parva detrimenta praesentiantur?

Primum, fidei periculum, quod iam in ipsius schematis verbis innuitur: « sublato fidei periculo »; facile enim nostri fideles, procedente tempore, in errorem inducerentur, ut, sub speciebus panis tantum corpus, et sub speciebus vini tantum sanguinem Christi esse, crederent, cum duae species sacramentales illis impartirentur.

Secundum, irreverentiae periculum, maxime cum admodum numerosae communiones distribuantur.

Tertium, nimis et innecessarie Missa produceretur, in qua Communio sub duabus speciebus daretur.

Quartum, denique obviae rationes diaeteticae, praecipue inter populos exquisitioris culturae, talem innovationem dissuadent.

Adduci autem non oportet pro hac novatione, Ecclesiae Orientalis usus, quo nullum incommodum levatur; ibi enim mores sociales ab occidentalium victu toto caelo distant; semper ita fieri viderunt; nec Communiones ita numerosae sunt.

Quoad n. 44, neque satis concelebrationis amplificatae...[2] rationem sufficientem calleo.

Primo, non exemplum Domini Nostri Iesu Christi invocari potest, quoniam non concelebrando, sed ipse tantum celebrando Sacramentum, Missae sacrificium instituit atque confecit.

Secundo, non maior Sanctissimae Trinitatis gloria et honor revocandus, cum, saltem aeque infinitus sit cultus ipsi tributus per plures Mis-

sas a pluribus sacerdotibus singillatim celebratas, ac per unam tantum, a pluribus concelebratam.

Non ipsa denique animarum utilitas adducatur, eo quod multo erit facilius fideles sacrificio Missae in pluribus ecclesiis horisque diversis celebrato interesse, quam ad unam Missam concelebratam audiendam in unum locum convenire.

In ipsa Chrismatis Missa feriae quintae in Coena Domini, nonnulli e sacerdotibus qui illi interesse debent (quotiens autem excusationem petere tenemur, cum eos contrahere difficile factu sit!) nonnulli e sacerdotibus, repeto, qui illi *Missae* [3] intersunt, abstineri a litatione Missae coguntur; celebraturi enim sunt Missam vespertinam illo priore die Tridui Sancti in aliqua ecclesia monialium aut in sacello religiosarum, quae esse solent in urbe episcopali.

Neque vis inest rationi propugnanti, concelebrationis ope, maxime unionem necessariam sacerdotes inter et *episcopos* [4] patefieri.

Primo, tale enim unitatis signum, proprium aliquorum *tantum* [5] esset.

Secundo, haec unio praeterea non tantum apparet, sed alitur magisque grassatur et ostenditur in convictibus statuto tempore habitis; in exercitiis spiritualibus sacerdotum, episcopo praeside; in quibus conventibus una simul precatur, et una simul quaestionibus pastoralibus vacatur.

Non infitior hanc novitatem, aliam esse posse causam monacis ut Liturgiam suam ditent, maioremque frequentiam fidelium ad suos actus religiosos trahant, si Sedes Apostolica istud novum privilegium illis concedi opportunum videatur; non tamen ut lex communis ferenda.

Unde n. 42, pace vestra, his aut similibus verbis redigerem: « Communio sub utraque specie in Ecclesia Occidentali presbyteris tantum concedatur qui una cum episcopo, eos consecrante, Missam ordinationum concelebrant ». N. vero 44, iuxta exposita, his verbis exarari posset: « Concelebratio in Ecclesia Occidentali Missis ordinationis sacerdotalis et consecrationis episcoporum servetur ».

Meam tamen reverentiam libenter praesto contraria sentientibus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] primam Missam. [2] sub n. 44. [3] deest. [4] episcopum. [5] deest.

6

Exc.mus P. D. IOANNES NUER

Episcopus tit. Phatanensis, aux. Thebanus

Venerabiles Patres ac praeclarissimi et carissimi Observatores,

Peto ut sacerdotes cuiuslibet ritus, praestante occasione, quocumque pane, sive azymo sive fermentato, faciliter uti possint ad perficiendam Sanctissimam Eucharistiam.

Propositio haec vigenti canoni, qui nimio rigore exaratus mihi videtur, excipit: « In Missae celebratione sacerdos, secundum proprium ritum, debet panem azymum vel fermentatum adhibere ubicumque Sacrum litet » (in can. 816; vide etiam can. 851 et can. 866 § 3, quibus pro communicandis et moribundis exceptio fit, sed « urgente necessitate » tantummodo).

Dogma. Non obstat, immo favet dogma meae petitioni, cum nos doceat consecrationem sive azymo sive fermentato aeque effici. In Denzinger (692) dicitur: « in azymo vel fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici ».

Ratio. Propositio mea magna fulcitur utilitate pro sacerdotibus orientalibus, qui inter occidentales, vel pro occidentalibus qui inter orientales casu vel necessitate versantur. Non enim proprii ritus panem semper vel faciliter invenire possunt. Ne ideo Sacramento et Sacrificio illo careat Ecclesia Dei, convenit obicem mere liturgicum removere. Dixi.

7

Exc.mus P. D. NARCISSUS JUBANY

Episcopus tit. Orthosiensis in Phoenicia, aux. Barcinonensis

Em.mi, exc.mi et rev.mi Patres,

Quasdam animadversiones facere audeo circa artt. 42 et 44, qui respective agunt de Communione sub utraque specie necnon de concelebratione.

Circa art. 42. Schema non intendit, uti planum est, Communionem sub utraque specie — quae in usu fuit apud Ecclesiam latinam usque ad saeculum XII — repristinare, ita ut omnes omnino fideles eam indiscriminatim illo modo sumere queant. Revera, fatente Concilio Tridentino, in sess. XXII, cap. 2, Communionis sub utraque specie consuetudo

« progressu temporis latissime iam mutata fuit » et quidem gravibus et iustis de causis. Neque omitti potest factum concessionis Pii IV anno 1564 aliquibus episcopis germanicis; quae quidem concessio sequenti anno revocata fuit ob damna inde secuta.

Revera, iustae et graves causae, de quibus loquebantur Patres Tridentini, hodie certo perseverant; teste enim S. Thoma, « ex parte sumentium requiritur summa reverentia et cautela, ne aliquid accidat, quod vergat in iniuriam tanti mysterii; quod praecipue potest accidere in sanguinis sumptione, qui quidem si incaute sumeretur, de facili posset effundi », praesertim « crescente multitudine populi christiani » (III, q. 80, a. 12).

His de causis, ni fallor, nemo est qui hodie cogitet de Communione sub utraque specie pro omnibus fidelibus *in ritu latino*.[1]

Res autem aliter *videtur se habere*,[2] si cogitetur de possibilitate Communionis sub utraque specie in quibusdam determinatis circumstantiis. Huc praecise tendit dispositio art. 42 nostri schematis; eius tamen redactio non videtur accuratissima.

Revera, si quis causam inquirat cur Communionis sub utraque specie innovatio hodie sit optanda, eam nequaquam inveniet in ordine pastorali, quasi uberiores fructus haurire quis posset in Communione sub utraque specie quam in Communione sub una tantum. Qui enim hoc fateretur, et contra doctrinam catholicam, et contra praescripta Concilii Tridentini ageret. En quae Patres clare edixerunt: « Propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt » (l. c.).

Ratio innovationis, e contra, quaerenda videtur, ex una parte, in ipsa sacra Communione, si haec cum sacrificio conferatur, in quo utraque species consecratur, panis scilicet et vinum. Ex hoc enim deducit S. Thomas « convenire, ex parte ipsius sacramenti, quod utrumque sumatur, scilicet et corpus et sanguis, quia in utroque consistit perfectio sacramenti » (l. c.). Ex alia parte, profunda et liturgica certe haberetur significatio, si sumeretur Communio sub utraque specie in certis et determinatis circumstantiis.

Quinam autem casus recenseri valent? Illi, *mihi*[3] videntur, qui actiones constituunt, speciali ratione ecclesiales nuncupandas, quaeque peculiarem incorporationem Christo et Ecclesiae in subiectis important. Exempli gratia: *a*) Ordinatio sacra, quae aliqualem participationem in sacerdotio secumfert; *b*) concelebratio, quae actio est plurium sacerdotum corpus et sanguinem Christi offerentium et sacrificantium; *c*) professio religiosa, quae includit incorporationem in statum iuridicum perfectionis in Ecclesia.

Iamvero, *sequentes considerationes et reflexiones facere quis posset.*[4] Quare, saltem in hisce casibus, tamquam pars ipsius solemnis ritus, permitti non posset Communio sub utraque specie? Nonne haec uberiorem significationem praeberet praedictis actionibus ecclesialibus, quae de se plenissimam solemnitatem liturgicam evidenter expostulant? An non Communio sub utraque specie peculiari modo hanc ipsam incorporationem personalem figuraret? Nonne novum elementum liturgicum adesset — Communio nempe sub utraque specie — quae roboraret et valorem augeret ritus Ordinationis sacrae, concelebrationis et professionis religiosae?

Neque obiicere quis posset in casu dari graves et iustas causas a Concilio Tridentino denuntiatas; nam paucitas casuum — in quibus Communio sub utraque specie daretur — inconvenientia penitus e medio tolleret. Revera S. Thomas narrat « provide in quibusdam ecclesiis observari ut populo sanguis sumendus non detur ». Attamen nullam aliam causam, *ipse S. Thomas*[5] connotat, nisi multitudinem populi christiani, « in quo continentur senes et iuvenes et parvuli, quorum quidam non sunt tantae discretionis ut cautelam debitam circa usum huius sacramenti adhibeant » (l. c.).

Conclusiones *proponendae, si Patribus Communionem sub utraque specie introducere opportunum censuerint*: [6] *a*) restituatur Communio sub utraque specie tamquam pars quorumdam rituum, in concreto determinatorum, atque id in libris liturgicis constet. Nullo autem pacto art. 42 *nostri*[7] schematis actualem redactionem servet, quasi ageretur de simplici quodam privilegio per legem aut rescriptum concesso: hoc enim intimam rationem tantae innovationis e medio *penitus*[8] tolleret.

b) Casus sint taxative determinati in ipsis libris liturgicis atque talem induant naturam, quae specialem incorporationem Christo et Ecclesiae secumferant. Hi casus, iam recensiti, sint sequentes: primus, pro sacerdotibus et clericis, in Missa scilicet concelebrationis et in Missa sacrae Ordinationis; secundus, pro religiosis laicis et pro membris institutorum saecularium, in Missa scilicet in qua vota perpetuo emittantur vel consecratio definitiva Deo offeratur.

c) Tollantur verba « sublato fidei periculo », quum revera nostris temporibus tale periculum pro fidelibus non detur.

Quare art. 42 sequentem vel similem redactionem *obtinere possit*:[9] « Sancta Synodus exoptat ut in recognitione Ordinis Missae, *suo tempore a Sancta Sede perficienda*,[10] de qua in art. 37, Communio sub utraque specie permittatur, et pro sacerdotibus in Missa concelebrationis, et pro ordinandis in Missa Ordinationis sacrae, et pro religiosis vel

sodalibus Institutorum saecularium in Missa professionis vel consecrationis perpetuae ».

Circa art. 44 sequentes animadversiones fas sit rev.mis Patribus proponere:

Rationes ordinis practici, quae in notula 12 *c*), in pag. 178 afferuntur ad probandam opportunitatem concelebrationis introducendae, *forte reiiciendae sint.*[11] Revera penuria altarium vel sacrae supellectilis aut brevitas temporis, *difficulter*[12] apparere possunt solida argumenta ad innovationem liturgicam tanti momenti.

Neque maiore firmitate gaudet ratio in eadem notula 12 *b*) apposita, quasi absolute affirmari posset pietatem magis foveri, si plures sacerdotes simul Missam litent, quam si singillatim in diversis altaribus celebrent. Namque error doctrinalis, a Pio XII in Litteris Encyclicis *Mediator Dei* denuntiatus, sedulo vitandus est. Aiebat enim Romanus Pontifex: « Nec desunt qui asseverent sacerdotes non posse eodem tempore pluribus in aris divina litare hostia, quod hac agendi ratione communitatem dissocient, eiusque unitatem in discrimen adducant » (*A.A.S.*, 39, 1947, 556).

Iamvero unica ratio, propter quam concelebratio optanda videretur in eo consistit ut unitas Ecclesiae et sacerdotii meliore et sensibiliore modo in Liturgia *demonstraretur.*[13] S. Thomas revera, difficultati respondens quae in multitudine celebrantium aliquid unitati contrarium videbat, testatur « Eucharistiam esse sacramentum unitatis ecclesiasticae, quae attenditur secundum hoc quod multi sunt unum in Christo » (III, q. 82, a. 2, ad 3).

Inde clare evincitur concelebrationem dari tantum debere in quibusdam circumstantiis clare determinatis: in illis scilicet in quibus talem Ecclesiae et sacerdotii unitatem coram omnibus fidelibus manifestare conveniat seu oporteat.

Quapropter, his innixus rationibus, sequentes modificationes in redactione art. 44 *introducendae essent si Patribus placuerit concelebrationem liturgicam ritus latini restituere*:[14]

a) Paragrapho *a*), *nova paragraphus addenda esset*:[15] « Ad Missam vespertinam eiusdem feriae V in Coena Domini necnon ad Missam in vigilia paschali, si sufficiens numerus sacerdotum adsit et de licentia expressa Ordinarii loci ». Certo formationi liturgicae fidelium et populi christiani aedificationi plurimum conferret, si, praedictis diebus, unitas sacramentalis Ecclesiae appareret, per concelebrationem sacerdotum potissimum significata. Ex alia parte, Ordinarii loci interventio — per licentiam expressam ab ipso necessario concedendam — vitaret ne ritus in desaedificationem fidelium potius incideret.

b) Nova ...[16]

Praeses card. TISSERANT: Habe me excusatum, Frater, tempus praefinitum est.

Orator: Dixi!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] obtineat. [10] deest. [11] reiiciendae videntur. [12] nemini. [13] demonstretur. [14] proponere audeo. [15] sequens paragraphus addatur. [16] ... paragraphus addatur, sequenti modo concepta: « ad Missam conventualem Ordinum religiosorum, iuxta S. Sedis concessiones ». Privari enim non debent communitates monasticae ut earum sacerdotes concelebrationes peragere quandoque possint. Casus tamen in concreto S. Sedes determinet.

c) sequentem redactionem obtineat paragraphus *b*: « ad extraordinarios conventus sacerdotum, veluti in synodo dioecesana, iuxta Ordinarii loci iudicium ». In his revera adiunctis concelebratio peculiarem significationem unitatis sacerdotalis secumferret, praesertim — etsi non exclusive — quando episcopus praesens fieret et cum suis sacerdotibus concelebraret. Praeterea in sanctuariis, quibus quandoque non parvus sacerdotum numerus accedit (Lourdes, Fatima), concelebratio, et sacrificii dignitati et ipsorum sacerdotum pietati et fidelium aedificationi non parum conferret.

4. Ultimo sequentes duae observationes attendantur, nempe: ad concelebrationem habendam iudicium semper requiratur Ordinarii loci, non solius Ordinarii, iuxta normam can. 198, praeterquam in monasteriis. Libertas praeterea sacerdotum ad sacrum litandum separatim ab aliis, sarta tectaque semper maneat.

8

EXC.MUS P. D. IOANNES B. PRZYKLENK
Episcopus Ianuariensis

Patribus in Spiritu Sancto congregatis reverentiam.

Motione liturgica[1] effectum est, ut in iis saltem regionibus ubi altiores iecerit radices, natura signi et signati necnon indoles communitaria Sanctissimae Eucharistiae melius et perfectius etiam a populo intelligerentur.

Ex duplici perfectiore intellectu nati sunt art. 42 de Communione sub utraque specie et 44 et sequentes de concelebratione sacramentali.

Viam *art. 42,*[2] nisi fallor, paravit S. Pius X; siquidem die 14 septembris anno 1912 celebrem Constitutionem Apostolicam de Sanctissima Eucharistia promiscuo ritu sumenda edidit (cuius dispositiones plerumque ad litteram in Codicem Iuris Canonici transiere). Tenor eminenter pastoralis Constitutionis ubique apparet...[3]

Concessione Piana unitas inter ritus orientales et occidentales roborata est. Insimul ex tunc in compluribus latinis desiderium crevit, ut sibi, etiam in proprio ritu, Communionem sub utraque specie suscipere liceret. Immo in praelaudata Constitutione S. Pius X sententiam protulit ostendentem, cur inter latinos vota suscipiendi Sacramenti Eucharistici sub utraque specie in dies aucta sint: « ... Patet, ait S. Pius X, proclive factum usque adhuc fuisse, ut inter homines unius fidei sed diversorum rituum, ex eo quod alii aliis facilius possent Corporis Christi esse participes, causae aemulationum et discordiarum exsisterent » (*A.A.S.*, 4, 1912, 615). Nonne his dictis concludere licet homines unius fidei, sed diversorum rituum simili convenire facilitate gaudere participandi Eucharistiae Sacramenti sub eadem signi sacramentalis amplitudine et plenitudine, nempe sub utraque specie?

Placet igitur, quod inter latinos porta, olim clausa, reaperiatur Communioni sub utraque specie, non imponatur obligatio.

Haud ignoro multos collegas obiicere in suis dioecesibus non esse, cur Communio sub utraque specie permittatur. Sane quidem; libenter fateor in mea quoque dioecesi problema ut ita dicam Communionis sub utraque specie nunc non urgere, quippe quod, pro dolor, motio liturgica in dioecesi recentis erectionis et sacerdotum penuria quam maxime laboranti vix radices iecit. Attamen Patres conciliares non proprias tantum necessitates prae oculis habere oportet, sed totius sanctae Ecclesiae utilitatem promovere tenentur. Sic experientia alibi habita mihi persuasum est expedire, ut in Concilio ostium aperiatur per quod ad ubera Eucharistiae pascua libentius et ardentius intrent, tum catholici praesertim vita liturgica imbuti quorum numerus, Deo favente, haud parvus est, tum fratres separati, sive orientales, sive occidentales, qui memoriam ultimae Coenae sub symbolo et cibi et potus celebrare consueverunt. Profecto art. 42 unitati favere videtur cuius incrementum et Concilium totum et schema hoc peculiariter, ut prima alinea prooemii enuntiatur, intendunt.

Tandem absoluta prohibitio Communionis sub utraque specie, olim ob fidei periculum inter latinos praecipue invecta, nunc, sublato fidei periculo, nimis rigida *esse videtur.*[4] *Clausula illa*: « *sublato fidei periculo* », *contra quam em.mus quidam orator invexit, non est nullius momenti, licet egomet ipse eam tollerem. Casum habet parallelum in iam citata Constitutione S. Pii X qui in parte expositiva dixit:* « *Itaque, considerantibus nobis fidem catholicam de valida consecratione utriusque panis, azymi et fermentati, tutam esse apud omnes, etc. ... visum est omnia illa antiquare decreta quae ritum promiscuum in usu sanctissimae Eucharistiae prohibent vel coangustant, etc. ...* »; *quo in contextu memoria*

dignum est quod Pius X, sanctae memoriae, decreta severae prohibitionis a Leone XIII, praedecessore suo, haud multis annis ante lata, antiquavit abrogavitque, sublato enim fidei periculo.

Consuetudo autem Communionis sub panis dumtaxat specie pluribus saeculis abhinc, nempe denuo in Concilio Tridentino, sancita est. In decursu saeculorum non paucorum annorum periculum fidei olim existens reapse evanuisse tuto affirmare licet. Nam ubique terrarum catholici, aliquatenus instructi, sciunt se, communicantes sub una tantum specie, gratia ad salutem necessaria non privari. Sed similiter non ignorant Communionem sub utraque specie magis respondere convivio eucharistico quod in Sacris Scripturis describitur, ut heri em.mus card. Alfrink optime exposuit. Laude tamen dignum est, quod christifideles vitam spiritui biblico magis magisque componere desiderant, duce utique magisterio Ecclesiae, quod vero aures Domino in Sacra Scriptura loquenti in primis inclinat semper.[5]

Nec solae rationes practicae, cunctis sufficienter notae, omnem usum Communionis sub utraque specie excludere posse videntur. Rationes istae practicae, si tanti essent momenti et ponderis, etiam Orientales ad usum nostrum admittendum determinassent, immo Ecclesia iis legem Communionis sub panis dumtaxat specie imposuisset.

Art. autem 42 ita redigatur: « Communio sub utraque specie, saltem in determinatis casibus, puta occasione primae Communionis, professionis religiosae, ordinationis sacrae, nuptiarum, a Conferentia episcopali nationali Sanctae Sedi praevie designatis, licet ».

De concelebratione nihil addam expresse, cum egregie iam sint dicta de convenientia amplificandi eius usus...[6]

Praeses card. TISSERANT: Habe me excusatum, Frater, tempus finitum est.

In textu scripto tradito: [1] Ex quo tempore S. Pius X, zelantissimus animarum pastor, tum modernismi intrepidus condemnator et acerrimus inimicus, tum Liturgiae instaurationis et fortis et felix initiator exstitit, motio liturgica quam Pius XII f. m. « veluti signum providentialium dispositionum Dei super nostra aetate, veluti transitum Spiritus Sancti in sua Ecclesia » habuit, in sinu Ecclesiae firmiter constituta est. Sane vis illius transitus Spiritus Sancti alia in alia regione fuisse et esse videtur. Vi autem huius motionis. [2] his articulis. [3] legenti eam. [4] videtur. [5] deest. [6] De concelebratione sacramentali verbum addere libet. Concelebratio, apud orientales semper valde in usu, etiam inter occidentales restituenda, nata aptaque est quae vinculum unionis inter Ecclesiam Orientis, usu suo docentis, et Occidentis, usum inter Orientales semper sancte servatum reverenter suscipientis, magis stringat. Unitas quoque inter fratres praesertim sacerdotales eiusdem ritus latini crescet, quoniam concelebratio natura sua sacer-

dotii unitatem perfectius exprimit. Indoli denique communitariae sacrificii eucaristici magis consulit; quandoquidem statuta in art. 26 de celebratione communi praeferenda, in art. 32 de vita liturgica in dioecesi, et in art. 33 de vita liturgica in paroecia, extensione generaliore concelebrationis quasi corona cingerentur. Nonne plenior erit sensus plurium textuum Canonis concelebratione admissa? Cogitate de his verbis: « Hanc igitur oblationem servitutis *nostrae,* sed et cunctae familiae tuae... »; « Unde et memores, Domine, *nos* servi tui, sed et plebs tua sancta... » etc.

Nec praetereundum est maius illud commodum quod concelebratione orietur in communitatibus clericalibus statuum perfectionis, in conventibus complurium sacerdotum, puta occasione exercitiorum spiritualium seu congressuum, de quo commodo nota 12 *c*) egregie loquitur. Hoc tamen desidero, ut facultas concelebrationis non adeo coangustetur, ut in schemate fit. Nec iudicium de concelebrationis opportunitate vel numero concelebrantium penes Ordinarium simpliciter sit, sed penes Ordinarium loci qui custos est natus totius cultus publici inter fines dioeceseos peragendi ab utroque clero.

Nec silentio prematur facultas percipiendi stipendium qua, uti apud orientales iuxta iteratas S. Sedis declarationes, singuli concelebrantes fruuntur. Quod hac in re apud orientales fieri licet, non est cur apud latinos vetetur, superata iam dudum notione illa materialistica stipendii qua pretii.

Quae cum ita sint, art. 44 ita reformetur: 44. (Usus amplificatur) etc. *b*) ad coetus sive actuales sive habituales sacerdotum, salvis singulorum singulariter celebrandi et libertate et obligatione si quae sit. Clausula « et de iudicio Ordinarii » superflua est, nam vis et efficacia clausulae in art. 45 eminenter continetur, qui tamen ita enuntietur: « 45. (Opportunitas concelebrationis et numerus concelebrantium). De opportunitate concelebrationis et de numero concelebrantium Ordinarius loci iudicabit ». Omittatur illud « in singulis casibus »; ne Ordinarii loci facultas aequo nimis coarctetur, sed dispositio generalis et habitualis possibilis sit.

Post art. 46 addatur: « (46 bis) Singuli concelebrantes applicationis oneri quod quovis titulo urget, legitima concelebratione satisfacere valent ».

[*Subsignati etiam*] W. Demarteau, ep. Bandjarmasinensis; Ios. Zimmermann, ep. Morombensis; P. Henricus Bliestle, sup. gen. M.S.F.; Ioannes Wember, ep. tit. Pasadae; Henricus M. Jansen, ep. Hildesheimensis; J. Peeters, ep. Bueaensis; Iac. Romeijn, ep. Samarindaensis Indonesiae; Henricus Pàchowiak, ep. tit. Phyteanus; J. M. v. d. Burgt, arch. Pontianak.

9

Exc.mus P. D. ALBERTUS DEVOTO
Episcopus Goyanensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine proprio et aliorum episcoporum, quorum subsignationes sunt in pagella. Quaedam verbis dicam et alia scriptis mittam.[1]

In pag. 175, ad n. 37: Instauratio Ordinis Missae est sine dubio res magni momenti, propterea hoc articulum debita praecisione indiget. Quamvis non sit opus Concilii Oecumenici ad parva descendere — ut

saepius in hac aula auditum est —, orientationes generales statuere necesse est, iuxta quas Ordo Missae a peritis recognoscendum sit.

In Missa recognoscenda hae orientationes serventur:

1. In valorem denuo mittantur illi ritus qui ratione rutinae vel consuetudinis realem vim amiserunt, verbi causa processiones introitus, offertorii et communionis, elevatio sic dicta « minor » in fine canonis, *etc.*[2]

2. Ut facilius applicatio concreta n. 14 et passim, evadat, restaurentur illi ritus qui actuosam participationem fidelium reddunt, v. g. celebratio versus populum in quantum fieri potest, habitualis praesentia cuiusdam « commentatoris » et lectoris, saltem dominicis et diebus festivis, proclamatio lectionum in loco aptiori, *etc.*[3]

3. Ut Ordo Missae modo simplici, claro et brevi exstruatur, ut dicitur in n. 23, omittantur illi ritus, qui sensum amiserunt, vel nimis complexam celebrationem efficiunt, verbi causa psalmo « Iudica me », multiplicatio signorum crucis et genuflexionum in Canone, « Lavabo » in Missis lectis, *etc.*[4]

Tamquam praecisio meae locutionis in anteriore congregatione, loquar super stipendia in Missis.

Sentio stipendia abolenda esse, ob sequentes rationes, utique non doctrinales sed practicas et pastorales:[5]

1. Frequentissime quidem populo explicare solemus stipendia non esse pretium sanctae Missae sed eleemosynam pro sustentatione sacerdotis oblatam. Tamen populus huiusmodi explicationem nonnisi cum magna difficultate intelligit et in ipsa non tam raro nil aliud videt quam simplicem excusationem.

2. Praxis stipendiorum variis abusibus facilius patet et exterius interdum negotiationem sapere videtur.

3. In hodierna praxi stipendiorum saepissime evenit ut sacerdotes qui in Ecclesiae partibus pauperioribus ac precibus vel summe indigentibus vivunt, sanctae Missae — saltem quod ad earumdem primam intentionem attinet — vix non semper offerant ac offerre debeant ad intentionem eorum qui in dissitis ac magis divitibus partibus Ecclesiae habitant: unde fit quod sacerdotes ob penuriam oeconomicam sic agere debentes non ea qua par est efficacia *sanctae Missae* [6] pro fidelibus ministerio eorum directe concretis offerre possunt.

Omittam quaedam rationes et venio ad ultimam:[7]

Missa, etiam privata, ex vera devotione tantum, non propter lucrum celebraretur...[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] fractio panis ... [3] ab altero distincto... [4] nonnullae repetitiones, e. g. Domine non sum dignus etc. ... [*subsignati etiam*] Vicente Zaspe, ob. Rafaela; Antonius M. Aguirre, ep. S. Isidori in Argen-

tina; Henricus Angeletti, ep. tit. Lystrensis; Emmanuel Marengo, ep. Azulensis; Carlos H. Ponce de León, ob. de Rodosto; Jorge Kemerer, ep. Posadensis. [5] Nolim ex professo de stipendiorum abolitione in congregatione generali loqui, ne iterum longae et forsitan vehementes discussiones provocentur. Sed instanter peto ne haec quaestio a commissione negligatur: proposita enim huc spectantia in discussionibus conciliaribus prolata sunt. Stipendia vero abolenda esse ob sequentes rationes utique non doctrinales sed practicas et pastorales censeo. [6] sanctas Missas. [7] 4. Uti etiam, tentationem aliquam Missam sacrilege celebrandi removeri, si celebratio cum lucro coniuncta non esset. [8] Uti patet, ab altera parte, vivam conscientiam habeo gravium difficultatum quas hoc propositum stipendia abolendi in ordine practico secumfert. Sed nonne tales difficultates solvi possent, si magis inculcaremus obligationes quae singulis fidelibus tanquam membris unius eiusdemque Mystici Christi Corporis incumbunt, hoc est si magis insisteremus in responsabilitate quam singuli fideles habent pro singulis sacerdotibus ubique terrarum Corpus Christi Mysticum aedificantibus? Huiusmodi conceptio magis catholica et profundius christiana esse videtur quam illa hodie vigens, secundum quam scil. fructus S. Missae individuo cuidam homini practice idcirco applicantur quia per eleemosynam stipendii ad sustentationem sacerdotis cuiusdam individui contribuit. Alia difficultas ex abolitione stipendiorum oriretur pro Ordinibus ac Congregationibus religiosis, quae eleemosynis stipendiorum actu necessario indigent. Haec autem difficultas solvi posse videtur, si nempe Ordinarius loci summas pecuniae pro indigentiis Ecclesiae collectas non exclusive necessitatibus dioeceseos vel paroeciarum applicaret sed in illarum distributione etiam, et quidem in modo adaequato, rationem haberet legitimarum necessitatum religiosorum. [*Subsignatus etiam*] Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis.

Animadversiones additae:

Pag. 176, ad n. 41. Iuxta altiora principia longe lateque in animadversionibus ad cap. I expositis, relate ad usum vulgati sermonis in ipsa Missa, haec concrete proponuntur: *a*) recitatio Canonis latino sermone fiat; *b*) reliquae partes Missae dici possunt in lingua vulgari, de criterio et iudicio Conferentiarum episcopalium, actis a S. Sede recognitis et iuxta necessitates pastorales.

Pag. 176, ad n. 44. Optima videtur facultas concelebrandi Sacrum, in casibus certis et determinatis, non tantum ad celebrationem in conventu plurium sacerdotum facilitandam — quae quidem ratio practica est — sed etiam ad unitatem sacerdotii speciali vi exprimendam. Hoc magni momenti est, cum non sit tam rarus casus, in quo sacerdos Missam tamquam actum pietatis mere personalis considerat, ita ut potius propriam commoditatem quaerat quam aedificationem fidelium.

Iuxta mentem nonnullorum Patrum Conciliarium, desideratur amplificatio concelebrationis, praeter casus qui in n. 44 exhibentur, nempe: *a*) in Missa vespertina in Coena Domini et in Missa Vigiliae Paschalis (ratio pro duobus casibus eadem est: specialis sollemnitas et sensus ratione habita ad institutionem Eucharistiae et Sacerdotii, et ad celebrationem Mysterii Paschalis). *b*) In conventibus plurium sacerdotum: congressus, spiritualia exercitia, etc. (ita digna celebratio Missae facilior evadit et augetur spiritus unionis inter sacerdotes participantes). *c*) In Missa conventuali et in Missa principali in ecclesiis ubi plures sacerdotes adsunt, quorum singularis celebratio ad utilitatem fidelium non requiritur.

[*Utrumque textum subscripserunt iidem qui supra in nota 4*].

10

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS SATOSHI NAGAE
Episcopus Urawaënsis

Em.mi et rev.mi Patres,

Liceat mihi parvam emendationem art. 41 proponere, ratione habita specialium conditionum Iaponiae.

In art. 41, ut partes Missae in lingua vernacula facultative dicendae, imprimis proponuntur lectiones, oratio communis et nonnulli cantus. Attamen sensus *verborum* [1] « nonnullis cantibus » in *isto articulo adhibitorum,* [2] non est clarus. Etenim cantus habentur sive in ordinario Missae sive in proprio Missae. In regionibus occidentis ubi linguae populorum suam radicem habent in lingua latina, forsitan sufficiet ut nonnulli cantus proprii Missae in vulgari sermone cantentur, cantibus ordinarii Missae in lingua latina relictis. Et textus art. 41 a quibusdam ita intelligi videtur. In aliquibus vero regionibus Missionum ut etiam in Iaponia, iam indultum cantandi ordinarium Missae in lingua vernacula habetur. Attamen in praxi hoc indultum non sufficit. Nam adhuc proprium Missae in lingua latina cantari debet. Quod quidem non solum valde difficile est in paroeciis sed saepe impossibile ita ut Missa cantata nonnisi rarissime fiat. Multum ergo desideratur ut cantus sive ordinarii sive proprii Missae a populo in lingua vulgari cantari vel recitari possit.

Quod attinet ad orationes Missae, idem art. 41...[3] affert imprimis solum « orationem communem » ut in lingua vernacula pronuntiandam. Hoc vero per se patet, nec indiget speciali mentione.

Sunt autem et aliae orationes quas fideles adstantes vel audiendo intelligere vel simul cum celebrante uno ore recitare convenit: talis est imprimis « oratio dominica »: Pater Noster. Populus ordinarius in Iaponia numquam capax erit intelligendi vel etiam pronuntiandi orationem dominicam in lingua latina.

Unde proponendum censeo ut art. 41 clausula specialis addatur pro Missionibus. Quae clausula sit sequens: « In Missionibus autem, datis peculiaribus circumstantiis, quae ampliorem usum linguae vernaculae postulant, ipsius usus praesertim ad cantus sive proprii sive ordinarii Missae, et ad certas orationes, imprimis orationem dominicam, extendi potest ad normam articuli citati. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] dictionis. [2] art. 41, pag. 176, in lin. 6, adhibitae. [3] in linn. 5-6, pag. 176.

11

Exc.mus P. D. PAULUS IOANNES HALLINAN
Archiepiscopus Atlantensis

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Loquor nomine multorum episcoporum (etsi non omnium *episcoporum* [1]) ex Statibus Foederatis Americae qui sperant participationem populi in sacrificio Missae fieri magis actuosam, magis consciam, magis fructuosam. Itaque ex animo optamus ut statuantur a Concilio Sacro proposita et adaptationes huius cap. II...[2] Nos etiam usum linguae maternae strenue petimus, sed cum iam satis actum est hac de re, nihil amplius nunc addo.

1. Officium episcopi est cura animarum. Istae autem animae non sunt inertes et mutae, sed sunt intelligentes et consciae. A saeculis, pastores animarum Evangelium modo facili captu praedicaverunt, id quod bonum est. Ultimis annis, christifidelibus viam aperuimus ad magis intime Liturgiae participandum per responsiones ab ipsis lingua latina factas, quod melius est. Sed, quod adhuc melius est, acceptatio a parte Concilii articulorum cap. II populum nostrum etiam propius traheret ad vere fructuosam participationem in unitate Christi. Si ordo Missae magis clarificatur, et magis intelligibiliter disponitur, hoc reddet animas fidelium conscias et scientes, vere praeparatas ad actionem sacram peragendam.

2. In Statibus Foederatis Americae, sicuti in reliquo mundo, Christifideles, *et etiam alii,*[3] vitam ducunt maxime privatam, et a communitate remotam. Saepe imbuuntur spiritu exaggerato individualismi. Talis modus vitae autem antithetice opponitur, tum ipsi naturae universali christianae religionis, tum Evangelio omni creaturae destinato, tum Christo Regi cuius imperium super homines extenditur. Liturgia ergo Ecclesiae omnino publica esse debet. Sed Liturgia publica verum aliquem sensum tunc solum sibi vindicat, quando populus ita bene intelligit id quod facit, ut rite possit actioni particeps esse. Necesse est ut populus uniatur Deo, non solum per orationes privatas, sed etiam simul cum tota Ecclesia et eius Capite Christo coniunctus in actione liturgica. Certo, articuli cap. II speciali efficacia gaudent qua fideles manuducantur ad plenum valorem sacrae Liturgiae agnoscendum.

3. Fervido desiderio optat Sanctus Pater, una cum omnibus Patribus Concilii, ut (salva facta fidei custodia) novas vias reditus patefaciamus fratribus nostris ab unitate Corporis Christi Mystici separatis.

Modo particulari hoc desideratur ab episcopis illarum regionum in quibus catholici pauci sunt. Exempli gratia, in mea archidioecesi Atlantensi, vix duo per centum habitantium catholici sunt. Quo magis significationem Missae perspicuam et intelligibilem reddimus, non solum hominibus doctis et bene instructis, sed etiam omnibus hominibus, eo magis vias sternimus novas, quibus tangere possimus etiam corda et animas christianorum non catholicorum. Ecclesia omnium mater alma est. Nonne debet Mater Ecclesia thesauros suos scripturisticos omnibus pandere, nonne debet pro omnibus oratione communi Deum deprecari, praesertim in ordine clariore et in materna lingua quam filii eius (tum illi intrà suum amplexum, tum illi nondum intra suum amplexum) possunt intelligere, colere et diligere?

Summatim ergo concludo. Adaptatio formae sacrificii Missae, in partibus determinatis in cap. II, urgetur hac triplici ratione:

1. Ut christifideles melius intelligant quae audiunt et quae dicunt.
2. Ut divini cultus naturam publicam comprehendant et accipiant.
3. Ut Ecclesia aperiat vias novas fratribus separatis ab unitate Corporis Christi Mystici. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] quae valde necessaria ducimus eo fine ut christifideles melius intelligant quae audiunt et quae dicunt; ut divini cultus naturam *publicam* comprehendant et accipiant; ut Mater Ecclesia aperiat vias novas reditus fratribus ab unitate Corporis Christi Mystici separatis. [3] deest.

12

Exc.mus P. D. LAURENTIUS JAEGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Venerabiles Fratres Concilii,

Loquar de n. 42 cap. II. Concilii Tridentini decretum de consuetudine sub specie panis tantum communicandi (Conc. Trid., sess. XXI, cap. 1; Denz. 930) etiam nostris temporibus communiter servandum videtur perdurantibus causis pastoralibus (ib. c. 2; Denz. 931). Ipsi autem Tridentini Patres in memoriam revocabant potestatem Ecclesiae tales consuetudines mutandi (ib., Denz. 931) pro rerum, temporum et locorum varietate. Quare liceat mihi sacrosancto Concilio quosdam casus excipiendos proponere clare determinandos ne concessiones nimis extendantur.

1. Ut in Missa sacrae Ordinationis ipsis saltem ordinandis communio sub utraque specie ministretur. Ratio est quia adest vera concelebratio et ideo haec communio neoordinatis valde competit. Adest insuper exemplum in consecratione episcoporum, ubi similis habetur ratio.

2. Ut in solemni religiosa professione tam in Ordinibus quam in Congregationibus neoprofessis in Missa celebranda communio sub utraque specie praebeatur. Ratio est quia professio, qua quis se totum Deo devovet, digna videtur, ut tali praerogativa emineat.

3. Ut in Missa pro sponso et sponsa, ipsis sponsis, qui hoc desiderant, communio sub utraque specie concedatur. Ratio est, quia matrimonii sacramentum signum est coniunctionis Christi et Ecclesiae. Ut haec matrimonii dignitas oculis fidei adhuc magis commendetur, valde competit communio sub duabus speciebus, quae sunt signa visibilia illius sacrificii, quo Christus in cruce pendens, unicam et immaculatam sponsam sibi coniunxit sanctam Matrem Ecclesiam (Conc. Vienn., Denz. 480).

4. Considerandum videtur, utrum etiam in baptismo adulti et in receptione neoconversi de consensu Ordinarii, communio sub utraque specie ministrari possit. Certum est plenitudinem fructus sacramenti sub una iam specie a fidelibus percipi. Sed significatio sacrificii Missae, quo sacrificium crucis repraesentatur, clarius suscipientibus innotescit per corporis et sanguinis Domini sub speciebus panis et vini sumptionem...[1]

Quare sancta Mater Ecclesia nullatenus improbavit primaevae Ecclesiae consuetudinem, quem in ritibus orientalibus semper pie servavit. Et « pietatis causa » permisit in canone 866, ut etiam fideles ritus romani susciperent sacramentum Eucharistiae orientali ritu confectum, id est sub utraque specie.

Hodie non iam adest illud periculum fidei, quod anteactis saeculis imminebat, quando calix erat quasi signum discriminis inter catholicos et non-catholicos. Omnes catholici firmiter credunt, totum et integrum Christum ac verum sacramentum sub qualibet specie sumi, et de hoc articulo nulla hodie contentio cum non-catholicis agitatur. Nullum ergo adest periculum, si fratribus separatis hac in re aliquod ostendamus caritatis exemplum, ut illis « optatiora maternae domus limina » appareant, ut verbis utar Summi Pontificis nostri feliciter regnantis, quem Deus diu sospitem servet (Ioannes Pp. XXIII, in epist. ad ep. Treviremsem, 22 febr. 1959). Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ipsum Concilium Tridentinum petivit ut Summus Pontifex discernat utrum « caritatis ... rationibus concedendus alicui nationi vel

regno calicis usus videatur ». Summus Pontifex, ait Concilium, « id efficiat, quod utile ... et salutare petentibus calicem fore iudicaverit » (Conc. Oecum. decreta, Romae-Friburgi 1962, pag. 717). In ipso Concilio Patres calici laicorum faventes erant 79; contrariam sententiam tenuerunt Patres 87.

13

Exc.mus P. D. ALOISIUS GONZAGA DA CUNHA MARELIM
Episcopus Caxiensis

Em.me ac rev.me Praeses, em.mi et exc.mi ac rev.mi Patres Conciliares,

Duo reverenter propono.[1] In pag. 176, n. 42, lin. 11, supprimatur « tum laicis ». Ratio est: periculum pretiosum Sanguinem fundendi atque, maxime nostris temporibus, morbum contagiosum contrahendi necnon aliae causae propter quas praxis communionis sub vini specie in Ecclesia latina sublata est. Clericus vero vel religiosus morbo contagioso affectus a communione sub vini specie se abstinere debet, vel alio modo providendum est. Sic, *mihi videtur,*[2] strictius, in Missa sacrae Ordinationis, servatur ritus institutionis Eucharistiae, sed incommoda vitantur.

Eadem pagina, addatur n. 43 bis: « (Celebratio versus populum). Celebratio versus populum reservetur, Ordinarii iudicio, casibus necessitatis vel magnae fidelium utilitati, verbi gratia ad melius eos aliquoties instruendos circa Missae Liturgiam, etc. ».

Ratio est: 1. Ne spernantur artistica altaria, quae valde contribuunt ad cultus divini splendorem et ad celebrantis ac fidelium pietatem.

2. Ne celebratio occasio sit plurium distractionum et aliorum incommodorum, non solum celebranti sed etiam fidelibus.

3. Ne paulatim abusus introducantur, sicut iam accidit, v. g. quaedam capsula, ad instar tabernaculi, cum Sanctissimo Sacramento suspensa sub ipsius altaris mensam, ne adstantium visio impediretur, etc.

Haec incommoda vitantur, si haec praxis non sit habitualis sed, Ordinarii iudicio, reservetur certis casibus bene determinatis, scilicet ob Ecclesiae nimiam amplitudinem, vel magnum populi concursum, vel meliorem fidelium instructionem etc. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

14

Exc.mus P. D. IOANNES IULIANUS WEBER
Archiepiscopus-episcopus Argentinensis

Em.mi Patres, venerabiles Fratres,

In n. 42, mentio fit de communione sacramentali sub utraque specie. Haec mentio ex propositione et voto plurimorum episcoporum orta est. Velim aliquas explanationes de hac re Patribus deferre.

1. Haec petitio proponi potest absque fidei periculo; nam hodie omnes sciunt et admittunt *et credunt* [1] quod in professione fidei tridentinae continetur, scilicet « sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi » (D. B. 997). Deleri ergo possent in supradicto articulo verba « sublato fidei periculo ».

2. Textus praedicti articuli affirmat communionem sub utraque specie impertiri « iudicio episcoporum », et solummodo pro casibus a Summo Pontifice lucide designatis. Non agitur ergo de concessione generali aut obligatoria: libertas episcoporum integra manet. Quoad opportunitates, textus loquitur, exempli gratia, de Missa sacrae Ordinationis, in qua omnes ordinati etiam nunc accipiunt ex aliquo sacro calice ablutiones, quod revocat sacram communionem sub specie vini, adhuc saeculo XIII vigentem (cfr. M. Andriev, *Le Pontifical Romain,* II, p. 350). Proponere etiam vellemus Missam benedictionis abbatis, professionis religiosae pro professis, immo Missam pro sponso et sponsa, sed in favorem coniugum tantum.

3. Quae sunt rationes quae moverunt plures episcopos ut postularent restitutionem sic definitam antiqui ritus, quem Sancti Patres Leo Magnus (in serm. de quadr. 4, 5, *PL* 54, 280) et Gelasius (in ep. 37, 2, Thiel, pp. 451-452) fidelibus imperaverunt, et qui fidelius respondet verbis Domini in Evangelio?...[2] Duplicis naturae sunt, oecumenicae et pastoralis.

Oecumenicae:[3] Si Ecclesia enim romana in quibusdam circumstantiis eumdem usum ac fratres nostri separati admitteret, nonne haec concessio ut passus ad reconciliationem haberetur? Et saltem clare monstraret etiam nos non respuere hanc venerabilem traditionem quam Ecclesiae orientales servaverunt.

Ex altera parte, pastorali nempe, nonne hic usus illustraret pro populo valorem inaestimabilem sacrorum Ordinum, et eorum relationem ad sacrificium eucharisticum sub utraque specie institutum, aeque ac

valorem professionis religiosae, quae aliquando, eheu! etiam in catholicis regionibus, non iam ut olim in laude est?

Similiter, nonne foedus casti connubii tam saepe labefacti firmaretur per participationem sponsorum ad sanguinem novi et aeterni Foederis?

Tales sunt rationes pro quibus opto ut facultas communionis sub utraque specie, in formis praedictis, concedatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] « Accipite et comedite ... Bibite ex eo omnes ... » (*Mt.* 26, 26-27) et alibi « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo » (*Io.* 6, 56). [3] Oecumenica. Ex migratione populorum nostris temporibus effecta, multi episcopi ritus romani in suis dioecesibus numerant fideles Ecclesiarum orientalium quae communione sub utraque specie utuntur. Protestantes, valde numerosi in quibusdam regionibus, in sua Coena ad panem et ad calicem accedunt.

15

EXC.MUS P. D. LEO ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrinus, coad. Argentinensis

Em.mi Praesides, venerabiles Patres et dilecti Fratres,

Ad n. 44, de concelebratione.

Contra concelebrationem audivimus plures obiectiones; v. g. quaestio ponitur: Missa sacramentaliter concelebrata a decem sacerdotibus, habetne eumdem valorem ac si separatim celebrarent? Certe, eumdem valorem habet. Et hoc probatum est a Papa Pio XII, piae memoriae, in allocutione habita die 22 septembris, anno 1956.

Alias animadversiones theologicas de concelebratione [1] proponere volui, sed ne patientia vestra abutar, scriptam meam sententiam transmitto ad secretarium generalem.

Attamen aliqua verba dicere debeo ad n. 37, de Ordine Missae instaurando. Propono ut textus huius numeri omnino servetur sed ut clarificetur publicatione integrae declarationis a commissione praeparatoria sub isto numero elaboratae. Ita mente reficerentur qui timent universam Ordinis Missae revolutionem et mortem ritus romani. Haec declaratio etenim nobis proponit non revolutionem sed tantum evolutionem — evolutionem pastoralem — et quidem sanam et prudentem.

Libenter audire velint Patres Concilii religiosa desideria et exspectationes iuventutis huius temporis, dummodo fidei non opponuntur. Etenim iuvenes perpetuare debent Ecclesiam et numero et testimonio.

Quidquid velint nostrae consuetudines vel gustus noster, negari

non potest hoc factum: iuvenes non attrahuntur ab illis argumentis quae confundunt traditionem veritatis aeternae et traditionem formarum vitae sicut haec colitur a generationibus praeteritis. Immo, talibus argumentis confusis, tali angusto conservatismo, oritur pro illis maxima tentatio reiiciendi totam hereditatem historicam.

Consideremus quomodo decepti sint eventibus historiae recentioris et exemplis generationis antecedentis. Quae cum ita sint, patet.

Aspirant iuvenes vitam in actu, non formulas mortuas. Sunt sinceritatis et simplicitatis amatores et propterea reiiciunt quidquid olet formalismum et archaismum.

Etiam, hac de causa, abhorrent ritus et caeremonias inintelligibiles. Immo, accusant talia magiae aliquem saporem habere vel esse hereditatem paganismi latentis. Et hoc magis, si mordaciter etiam illa defendimus ideologia specialiter inventa.

Nonne recte iudicant iuvenes quando Deum vivum laudare et adorare volunt « in spiritu et veritate » et non modo *mechanico*.[2] Nonne recte faciunt iuvenes si resistunt confusioni inter mysteria Verbi Incarnati et ritus mysteriosos non apertos ad intelligendum? Recusant — et recusamus — Christi mysterium haud esse intelligibile. Recusat beatus Paulus in epistolis ad Ephesios et ad Colossenses.

Ante omnia pastores sumus: iuvenum fidem nutrire debemus cibo qui revera aptus sit ad fidem vividam nutriendam. Et multi sunt iuvenes quos numquam extra Missam nutrire possumus.

Munus Ecclesiae est testimonium perhibere de Verbo Incarnato. Secundum Leonem Magnum, accessum habemus ad ...[3] Verbi Incarnati mysteria per sacramenta. Docet enim: « Quod Redemptoris nostri conspicuum fuit, in Sacramenta transivit » (cf. sermo 72, 4).

Privamus ergo nosmetipsos et, in modo omnino periculoso, privamus iuvenes nostros testimonio et virtute mysteriorum Verbi Incarnati, si Liturgiam includimus unice in formis obsoletis et in verbis haud apertis ad intelligendum. Non est solummodo quaestio de lingua. Est quaestio de ipsa forma Missae et de eius intelligibilitate. Quia in Missae celebratione intimus et vividus contactus esse debet cum mysteriis nostrae Redemptionis et quidem in Christi corpore mystico visibili.

Insuper, iuvenes huius aetatis — sicut et viri — qui inhumana massificatione mundi multo laborant, quaerunt veram communitatem vividam. Eos obligamus praecepto assistendi Missae dominicali motivis omnino ex communitate visibili desumptis. Talibus motivis talique iusto desiderio hominum satisfacere debent Sacrificii Missae formae vere communitariae et signa communionis comprehensibilia quia Missa est Sacramentum unitatis Ecclesiae (Sacramentum unitatis non uniformitatis).

Si hominibus imponimus onus servitii dominicalis, abnuendo, denegando eis vividae communitatis adiumentum et gaudium, non mirari debemus si, delusi, peregrinantur ad sectas quae communitatis speciem praebent.

Et cur hodie, tot operarii ex ecclesiis nostris emigraverunt et communitatis et solidarietatis experientiam in collectivismo quaesiverunt vel in coetibus atheisticis?

Quod tandem multa pastorum experientia constat ex iuvenibus et adultis — praesertim incultis et pauperibus — qui ad fidem convertuntur. Missae Liturgia quam eis nunc Mater Ecclesia praebet, non solum eis auxilium non est ad fidem, sed e contra — proh dolor — obstaculum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Plures animadversiones theologicas. [2] machinali. [3] visibilis.

Animadversiones additae:

Contra concelebrationem afferri possunt aliquae obiectiones theologicae:

Prima obiectio: Missa sacramentaliter concelebrata a decem sacerdotibus habetne eumdem valorem ac si separatim celebrarent? Certe eumdem valorem habet, et hoc probatum est a Papa Pio XII in allocutione habita die 22 septembris 1956.

Secunda obiectio impugnat *validitatem* concelebrationis, nisi verba consecratoria ab omnibus concelebrantibus simul proferrentur. Nam, secundum declarationem S. Officii anni 1957, prolatio verborum consecrationis requiritur « ex ipsa institutione Christi ».

Respondeo dicendum quod huic obiectioni iam implicite provisum est in articulo 46, § *b* (pag. 177), ubi schema proponit quod « minuatur numerus precum a concelebrantibus simul dicendarum »: Minuatur, reservando scilicet celebranti principali aliquas preces minoris momenti, ut sunt preces ante praefationem, extollendo autem momentum partis centralis canonis ubi sunt verba Christi.

Tertia obiectio: Concelebratio foveretne devotionem sacerdotum annon? Secundum Sanctum Thomam (*Summa Theol.*, III, q. 82, a. 2), unitas Ecclesiae et unitas sacerdotii in concelebratione melius demonstratur: talis demonstratio certe foveret devotionem. Attamen in die et loco ubi haberetur concelebratio *nulli* adimeretur libertas separatim celebrandi, exempli gratia illi qui privatim celebraret maiore cum devotione.

Etenim in schemate praevidetur duplex libertas: *Libertas Ordinarii,* cuius est libere iudicare de opportunitate concelebrationis. Secundum formulationem Commissionis praeparatoriae hoc iudicium pertinebat ad Ordinarium loci; secundum correctionem a commissione centrali factam, hoc competit Ordinario in genere. *Altera libertas est ipsius sacerdotis,* qui semper plenam libertatem retinet concelebrandi vel non. Ergo habetur plena libertas, et devotio sacerdotum omnimodo fovetur.

16

Exc.mus P. D. IOSEPH KHOURY

Archiepiscopus Tyrensis Maronitarum

Em.me Praeses, venerabiles Patres, carissimi Observatores,

Liceat alicui Maronitae Hierarchae laudare in hoc capite tractationem de *concelebratione,*[1] quae duplici titulo maxime commendatur, auctoritate nempe Doctoris Angelici et usu, adhuc generali, Ecclesiarum Orientalium.

Sed liceat etiam animadvertere quod ea quae de concelebratione dicuntur, tam caute et quasi amputata apparent dicta, ut aliquam incohaerentiam vel contradictionem manifestent.

Ex una parte enim enuntiatur sub nn. 25 et 26 generale principium secundum quod « actiones liturgicae non sunt mere privatae », et ideo « celebratio communis praeferenda »; et ex alia parte, quando, sub n. 44, ad applicationem devenitur, id tantum conceditur ut *celebratio communis* [2] fiat in Missa Chrismatis et in conventu sacerdotum, si ad celebrationes singulares provideri aliter non possit et de iudicio Ordinarii.

Sed si communis celebratio est praeferenda, cur non conceditur « nisi aliter provideri non possit » — et cur limitatur ad Missam Chrismatis et ad conventum sacerdotum, quod est quid extraordinarium, et non permittitur, *verbi gratia,*[3] in omni Missa in Coena Domini et *praesertim* [4] in omni conventu sacerdotum, *et* [5] in Missa conventuali quod est quid quotidianum?

Ubi patet, *in* [6] textu, ut iacet, communem celebrationem dici praeferendam, sed de facto non praeferri. Quae contradictio inter principium et applicationem supponeret *celebrationem communem* [7] permitti ex quadam extrinseca ratione non autem ex interna, scilicet doctrinali, de qua nihil adhuc dictum est, in *hac aula,*[8] ni fallor.

Ratio autem doctrinae, propter quam celebratio communis commendanda est, salva legitimitate privatae celebrationis ad mentem Sacrosanctae Tridentinae Synodus, est quia celebratio eucharistica est proprius actus communitatis, mysterium nempe Corporis Christi, sacramentalis quidem et Mystici, secundum illud Augustini de verbo communionis: « Esto Corpus Christi ut verum sit Amen ».

Et exemplum quam venerabile habemus Ignatii Antiocheni, secundum quem Eucharistia non est tam actus « presbyteri » quam « presbyterii », *scilicet* [9] omnium sacerdotum, praesidente episcopo, si adest, secus, ex mandato episcopi. (Unde *patet iudicium episcopi requiri* [10] non ad celebrationem communem concedendam, sed ut ab ea recedatur).

Et ideo non fuit antiquitus nisi: unum altare unius templi et unum sacrificium unius altaris. Altare enim symbolum *ipsius Christi* [11] est et Ecclesiae unitatis secundum ipsum Paulum. Unde *concludendum* [12] Altare non esse multiplicandum immo et celebrationes non esse multiplicandas nisi propter necessitatem *pastoralem seu* [13] fidelium.

Ab hac recta et traditionali linea, usus declinasse videtur et ipsam Sacrificii intentionem communitariam in eo obnubilatam et consequenter altaria et celebrationes multiplicata fuisse, propter devotionis individualis favorem post Reformationem, et propter externa incommoda *communis celebrationis,*[14] quae *non*[15] sunt insuperabilia.

Sed quidquid sit de rationibus, non ideo veritas derelinquenda et inconvenientia admittenda.

Etenim, quis non videt celebrationes simultaneas, ad altaria propinquiora, fieri non sine offensione intentionis communitariae sacrificii, nec sine magno incommodo et celebrantium et adstantium, nec sine scandalo fratrum acatholicorum, novatorum simul et traditionalistarum, qui similia numquam habuerunt, nec sine offensione « vitae communis » quae est lex apud religiosos: ipsi enim omnia habent communia, inclusa coena, praeter illam Coenam Domini quae est fons et radix verae communionis inter fratres.

Ex iam dictis logice apparet concelebrationem esse regulam ubi et numerosi sacerdotes adsunt et necessitas pastoralis non urget, et ideo praescribenda esset.

Sed consideratis, ex altera parte, mentibus cleri et fidelium plus minusve paratis ad talem praxim generali modo amplectendam, sufficeret ex parte sacrae Synodi, illam permittere eamque commendare. Quod fieri potest si textus hoc modo emendatur ad par. 44: « Concelebratio sacramentalis, quae tam in Oriente *et* [16] in Occidente in usu hucusque remansit, magis consentanea apparet intentioni seu naturae communitariae sacrificii eucharistici. Unde sacro Concilio facultatem concelebrandi ad sequentes casus extendere placet: primo, ad Missam in Coena Domini; secundo, ad conventus cleri tam regularis quam saecularis, ubi non urget necessitas vel utilitas fidelium ». Si res tali modo refertur, paragraphus sequens *omittendus est.*[17]

Et ita Missa in Coena Domini, in qua usque adhuc presbyteri latinae Ecclesiae, in illa festiva die sacerdotii christiani, communionem recipiunt tamquam simplices fideles, missae chrismatis assimilatur. Similiter remedium invenitur ad incommoda vitanda, tam doctrinalia quam practica, celebrationis simultaneae in pluribus altaribus eiusdem ecclesiae.

Et sic decretum sanctae Synodi non mere restrictivum videbitur

et simplicem tolerantiam praebens, quale in praesenti formulatione; sed realiter consentaneum menti Doctoris Angelici, excellentiam celebrationis communis praedicantis; valde efficax ad intentionem Beatissimi Patris nostri Ioannis promovendam pro « aggiornamento » vitae christianae secundum indolem socialem et communitariam huius temporis: et praxi Ecclesiarum Orientalium conforme, quod maxime fovendum est ad oecumenicitatem Ecclesiae universae declarandam et serviendam. Qua in re, haec sacra Synodus iudicium ferre et exemplum dare dignetur.

Tandem ...

Praeses card. TISSERANT: Habe me excusatum, Frater. Tempus finitum est.

In textu scripto tradito: [1] communi celebratione. [2] concelebratio. [3] deest. [4] deest. [5] praesertim. [6] ex. [7] concelebrationem. [8] hac S. Aula. [9] i. e. [10] iudicium episcopi requirendum esset. [11] Christi Domini. [12] iure concluditur. [13] deest. [14] concelebrationis. [15] longe. [16] quam. [17] n. 45: (de opportunitate concelebrationis) inutilis evadit et tolli potest; par. 46 e contra servari potest uti est.

17

EXC.MUS P. D. NEOPHYTUS EDELBY
Archiepiscopus tit. Edessenus in Osrhoëne Melchitarum

Velitis, venerabiles Patres, audire vocem quoque Orientis in restauranda Liturgia latina. Adhaereo toto corde illis quae dicta sunt ab exc.mo D. Khoury circa concelebrationem. Ideo loquar tantummodo de communione sub utraque specie.[1]

Christus Dominus instituit sacramentum Eucharistiae sub utraque specie panis et vini, et sub utraque eadem specie regulariter voluit fideles eo refici. Si autem Christus hoc facere censuit, nemo dubitare potest quod bene fecit. Notetur praeterea quod Christus non reservavit communionem calicis solis sacerdotibus, sed omnibus fidelibus eam permisit, immo iniunxisse videtur dicens: « Bibite ex hoc omnes ». Haec verba Domini sunt certa et clara.

Certum est etiam Apostolos eorumque antiquos successores communionem administravisse omnibus fidelibus sub specie quoque vini.

Certum est etiam Ecclesiam orientalem...,[2] exemplum Domini atque usum apostolicum fideliter assequens, admittere *omnes*[3] fideles,

rite dispositos, in singulis sacrificiis eucharisticis, ad communionem sub utraque specie. Unde praxis communionis sub utraque specie dici debet praxis evangelica, genuina, apostolica, normalis. Nec...[4] privilegium, nec...[5] exceptio.

Nihilominus, omnes fatemur quod haberi possunt, et quod de facto habitae sunt, rationes propter quas prudentia exigit ut communio detur sub una alterave tantum specie, cum Christus totaliter sit praesens sub specie panis, et totaliter praesens sub specie vini. Huiusmodi rationes indolis practicae habitae sunt, non solum in Ecclesia occidentali, sed etiam in Ecclesia orientali quae, *extraordinario modo* [6] et exceptionaliter, communionem aliquoties dedit sub una specie panis, vel sub una specie vini. Sed communio sub una tantum specie considerari debet, *veniam peto,*[7] tamquam praxis exceptionalis, ...[8] minus traditionalis.

Nemo proinde, cum respectu veritatis, potest asserere quod praxis communionis sub utraque specie sit erronea, vel condemnata, vel periculis fidei obnoxia. Concilium Constantiense condemnavit quidem errorem illorum qui sustinebant quod Ecclesia latina sine...[9] ratione et illegitime vetuit communionem sub utraque specie. Minime vero condemnavit ipsam praxim communionis sub utraque specie, *et hoc est evidens,*[10] secus *nos omnes essemus* [11] condemnati.

Praxis igitur communionis sub una tantum vel sub utraque specie est res mere disciplinaris, quae proinde, decursu temporum mutari potest. Nemo autem dubitare debet quod, si fieri possit — *si fieri possit* [12] — melius est exemplum Christi usumque Apostolorum fideliter servare — *si fieri possit.*[13] Inter rationes autem propter quas Ecclesia latina progressive recedit ab antiquo usu communionis sub utraque specie, aliae sunt psychologicae, aliae sunt practicae, nulla autem indolis doctrinalis.

Rationes psychologicae, *mihi venia sit,*[14] constituunt potius id quod philosophi hodierni vocant « complexum psychologicum » — *complexe* [15] —: Hierarchia nempe catholica ritus latini timet ex una parte ne videatur Ecclesia nunc temporis concedere id quod fortiter et saepe anteactis temporibus denegavit, quasi, recedens ab antiqua prohibitione, alicui pressioni extrinsecae succubuerit. Alter « complexus psychologicus » *sensu hodierno* [16] in eo consistit quod plures inter nos renuunt assimilari in hac materia fratribus separatis protestantibus vel orthodoxis.

Sed, ni fallor, oportet nostros « complexus » reiicere, seu, *sit venia verbo,*[17] nos « decomplexari »...[18] Imprimis, mutatis adiunctis *historicis,*[19] nulla est verecundia si Ecclesia mutat disciplinam. Nemo hodie negat praesentiam Christi sub alterutraque specie. Nemo etiam ullam pres-

sionem exercet in Ecclesiam ut vi obtineat concessionem calicis. Ideoque, ratione serena, potest nunc Ecclesia permittere id quod antiquitus vetuit. Altera ex parte, si, incolumi prorsus fide catholica, *repeto, incolumi prorsus fide catholica,*[20] usus nostros liturgicos ad usus fratrum separatorum similiores reddimus, nulla ex hoc nascitur verecundia, *incolumi fide catholica.*[21] Imo res est maxime gloriosa, cum contribuit ad fovendam unionem inter christianos.

Difficultates autem practicae quae reddunt communionem sub utraque specie minus commodam existunt quidem, sed non sunt exaggerandae. Nos catholici orientales, ritus saltem byzantini, quotidie administramus communiones sub utraque specie, et in certis nostris ecclesiis numerus communicantium non tam inferior est numero communicantium in aliis ecclesiis.

Sane non conceditur accessio directa ad calicem, *ut loqui possit de rubro labium, etc...,*[22] id quod hodiernis temporibus, fere impossibile est. Sed sacerdos — *hic est modus noster, verbi gratia*[23] — sacerdos tingit hostiam sacram in pretiosissimo sanguine, et hostiam sic tinctam deponit super linguam communicantis.

Nullum proinde est incommodum, vel tam parvum ut pro nihilo reputari debeat, relate praesertim ad illam magnam et insignem gratiam recipiendi Dominum etiam sub specie vini, prouti ipse instituit.

Quidquid sit, in hac materia, sicut in aliis, moderatio tenenda est. Non uno ictu, nec statim atque indeterminatim concedendus est in Ecclesia latina usus calicis. Hoc aliunde nemo petit. Id quod desideratur a pluribus est *hoc*[24] ut non occludatur via ad subsequentem evolutionem liturgicam, et interdum ut Sancta Sedes possit concedere fidelibus, in aliquibus casibus bene determinandis *et determinatis,*[25] usum calicis.

Unam tantum emendationem...[26]

Praeses card. TISSERANT: Habe me excusatum, Frater. Tempus tuum finitum est.

Orator: Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Etsi schema de S. Liturgia unum tantum respicit ritum romanum, prouti in prooemio clare asseritur, liceat de hoc cap. II pauca breviter animadvertere, ut vox Orientis christiani, etiam in restauranda Liturgia latina, utiliter audiatur, neque obstacula maneant contra bonum unionis in Ecclesia, si restauratio liturgica latina minus perfecta evadit. De hoc igitur cap. II, brevitatis causa, duo animadvertere liceat. Imprimis, circa communionem sub utraque specie, quae contemplatur sub n. 42 nostri schematis (pag. 176). [2] ritus saltem byzantini. [3] deest. [4] est. [5] est. [6] extraordinarie. [7] deest. [8] extraordinaria et. [9] ulla. [10] deest. [11] orientales essent. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] deest.

[17] deest. [18] uti dicunt hodierni. [19] deest. [20] deest. [21] deest. [22] deest. [23] deest. [24] deest. [25] deest. [26] Proinde, meo humili sensu, textus schematis, prouti nobis proponitur, est sapiens et moderatus, atque maxime commendandus, praesertim propter rationes oecumenicas.

Unam tantum emendationem liceat mihi proponere. In schemate habetur sequens expressio, cum agitur de communione sub utraque specie: « sublato fidei periculo » (pag. 176). Haec expressio mihi videtur minus recta, quia interpretari potest quasi ipsa communio sub utraque specie esset periculum fidei. E contra, communio sub utraque specie est usus legitimus et normalis, fundatus super ipsum exemplum Domini et Apostolorum. Sensus verus huius expressionis probabiliter hic est quod iam in Ecclesia cessaverunt illae doctrinae haereticae medii aevi quae negabant Christum totaliter inesse sub una alteraque specie. Ideo, sublato periculo huius falsae doctrinae, nihil amplius impedit quominus communio denuo detur fidelibus sub utraque specie. Quapropter sequentem proponerem emendationem ad n. 42 supradictum: « Communio sub utraque specie, *cum iam cessaverint perversiones in fide, ...* tum clericis et religiosis, tum laicis concedi potest ».

Et nunc aliqua adderem *de concelebratione sacramentali,* quae contemplatur sub nn. 44-46 nostri schematis. Notum est etiam usum concelebrationis in Ecclesia Orientali non solum usque nunc vigere, sed esse etiam frequentem, immo quotidianum. Dici etiam potest quod apud nos concelebratio habetur uti regula, et celebratio individualis uti exceptio. Usus autem concelebrationis, qui est apostolicus et traditionalis, non fundatur in aliqua necessitate practica. Aliis verbis, nos concelebramus non quia deficiunt altaria numero sufficientia, vel ad redimendum tempus. Nos concelebramus quia per concelebrationem unitas sacerdotii melius demonstratur, necnon unitas sacrificii mystici; charitas fraterna fovetur inter sacerdotes; melius apparet ratio operis publici quod semper est actio liturgica. Ideoque, quando schema nobis propositum extendit usum concelebrationis « ad conventus sacerdotum, *si,* uti dicit, *ad singulares celebrationes aliter provideri non possit* », auctores schematis demonstrant quod nihil intellexerunt de sensu positivo concelebrationis, de eius utilitate spirituali, et auderem dicere: de eius mystica. Nos non concelebramus quando celebrare singulariter non possumus. Nos concelebramus quia melius celebrare volumus. Sed mihi persuasum est quod iste pauper atque miser conceptus empiricus concelebrationis non aderat in priori schemate parato a commissione liturgica. Propterea proponere mihi liceat ut de hac saltem materia schema restauretur ad originalem formam, ante mutationes introductas a commissione centrali.

18

Exc.mus P. D. IOANNES CAROLUS ARAMBURU
Archiepiscopus Tucumanensis

1. Adhaerendo propositionibus postulantibus ut Missa celebrari possit quacumque hora diei, et ut ieiunium a sacerdotibus non frangatur propter potum paulo ante Missam sumptum, nunc autem ego propono in bonum fidelium ut possibile sit ipsis accipere Communionem cum ieiunio observato solo spatio duarum horarum ante Missam.

Ratio est quia nunc permittitur Missa celebranda hora decima sexta, seu quarta post meridiem, et assistentes huic Missae Communionem accipere communiter non possunt, quia generatim omnes in hora prima post meridiem adhuc sumunt suum prandium.

Praeterea in feria VI hebdomadae maioris nunc permittitur ab Ecclesia Communio sacramentalis, sed haec practice a fidelibus fieri non potest ubi officium fit eadem hora mortis Domini Nostri Iesu Christi, i. e. hora tertia post meridiem.

Ratio est quia ipsis impossibile est adimplere ieiunium trium horarum nunc statutum. Ad hoc privilegium salutare utendum necessarium esset incipere ieiunium hora duodecima illius diei; et hoc familiae non faciunt.

Propter hanc rationem humiliter propono ut, in feria sexta hebdomadae maioris et pro bono fidelium fovendo, permittatur ieiunium unius tantum horae ante Communionem.

2. Quoad n. 37, optandum esset schema ...[1] concretum. *Et omittendo alia, quoad partem catecheticam Missae, optandum esset*[2] ut ipsa sit captui fidelium accommodata. Hoc modo, ex quadam clariore intelligentia verbi Dei ex parte adstantium, non turbatur sed, e contrario, firmatur magis triplex unitas theologica, quae est fundamentalis et necessario firmanda, i. e. unitas fidei, regiminis et communionis.

3. *Omittendo rationes quae iam allatae fuerunt quoad homiliam in Missa, in art. 39, lin. 26 ubi dicitur « valde commendatur »,*[3] propono ut loco verborum « valde commendatur » scribantur « ne omittatur nisi gravi de causa ».

...[4] Quoad Communionem sub utraque specie pro laicis essent quaedam practice dissuadentia ipsam. *Certe, non adest periculum grave sed sunt quaedam rationes practicae. Et si*[5] facultas relinquitur episcopis, laici per seipsos vel per alios inducti facile peterent Communionem sub utraque specie adducendo vel etiam creando et multiplicando motiva religiosa ad hoc obtinendum. Et affecti his desideriis vehementibus, difficulter intelligerent non convenientiam huius Communionis, verbi gratia, propter *diversas rationes.*[6]

Et[7] sane surgerent pericula murmurationum populi erga parochum, vel episcopum si petitioni non acceditur. *Est possibilitas etiam ut gubernia possint aliquando*[8] prohibere vel rogare hoc in tempore epidemiae, *non dari,*[9] sicut iam accidit cum sacramento confirmationis in aliquibus locis propter periculum contagionis, cum detrimento aestimationis huius practicae, *quod spectat ad partem hygienicam.*[10]

Propter has rationes practicas postulo ut in pag. 176, lin. 11, ma-

nentibus verbis « tum clericis, tum religiosis », auferantur verba « tum laicis », vel saltem Sanctae Sedi reservetur haec concessio. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] non vagum, sed. [2] Ad servandam viam mediam inter totalem et nullam recognitionem, humiliter proponerem ut Canon Missae servetur, cum additione invocationis S. Ioseph et iuxta n. 23 huius schematis, supprimantur repetitiones v. g. quaedam verba, signa crucis, genuflexiones etc. Quoad partem catecheticam Missae. [3] Propter inopiam sacerdotum in multis regionibus, praesertim Americae Latinae, quamvis exsistat interior sensus religiosus in fidelibus catholicis, laborant tamen magna ignorantia religiosa cum periculo facile amittendae fidei et amplectendi alias doctrinas etiam atheismi communistae. Et quasi unica occasio docendi adultos in doctrina fidei datur quando ipsi Missae adsunt diebus dominicis et festis de praecepto. Propter hanc rationem verba art. 39, lin. 26, ubi de homilia dicit « valde commendatur », non meliores fructus dabunt, ex parte sacerdotum, quam in praesenti, quo saepissime non instantes sunt praedicationi verbi. Hac de ratione ... [4] Quarto. [5] Nam fideles, sine solida formatione religiosa, et haec est maioritas ipsorum, facile crederent solam hostiam non esse sufficientem ad recipiendum D. N. I. Christum cum suo corpore, sanguine, anima et divinitate. Praeterea si haec. [6] quantitatem vini non exsistentis, propter multitudinem fidelium, propter rationes hygienicas non favorabiles sive loci, sive temporis etc. [7] Ita. [8] Etiam gubernia possent. [9] deest. [10] deest.

19

EXC.MUS P. D. PETRUS TOU
Episcopus Hsinchuensis

Venerabiles Patres Conciliares,

De communione sub utraque specie, in n. 42, pag. 176, lin. 10: verba « v. g. in Missa sacrae Ordinationis » mutari forsitan debent in « in Missa consecrationis episcopalis ». Nam in ista et non in illa, scilicet ordinationis sacerdotalis, fit communio sub utraque specie.[1]

Omnes hucusque sermocinantes in discussionibus de sacra Liturgia et praesertim nunc de Missae Sacrificio, duas prae oculis habent sollicitudines seu praeoccupationes, de cetero legitimas et laudabiles: uniformitatem scilicet conservandam in tota Ecclesia, saltem latina, et varietates introducendas in diversis locis et populis, semper pro utilitate christifidelium melius consulenda. De facto enim nonnullibi plures introductae sunt vel introduci tentantur novitates, saepe etiam pulchrae, in *ipsa*[2] Missae celebratione.

Ideo nonnulla considerationi Patrum proponere humiliter audeo et peto veniam auctorum magis competentium.

De celebratione Missae in ritu latino distincte considerandae esse videntur variae partes celebrationis:

1. *Canon Missae* idem et invariatus manere desideratur ubique terrarum quoad caeremonias et preces necnon, uti opinor, etiam quoad linguam, exceptis « Pater Noster » et « Agnus Dei » elevata voce in lingua vernacula forsitan pronuntiandis.

2. In partibus Missae ante et post canonem, *hodie* [3] exsistentibus, eaedem conservari debent ubique caeremoniae bene et taxative definitae, sed fieri probabiliter poterunt in diversis linguis populorum, si usus linguarum vernacularum post hoc Concilium...[4] concessus fuerit. Nuper tentamen privatum factum est apud nos, *etiam in mea dioecesi,*[5] versionis in linguam sinicam Ordinarii Missae melodiis gregorianis adaptatae.

3. Si quis episcopus vel sacerdos alias preces vel caeremonias speciales introducere intendit, uti revera nonnullis in regionibus factum est, eas ponere debet extra partes proprias Missae communiter observatas et numquam eisdem interponat, ut sic locum habent trina recitatio « Ave Maria » et preces subsequentes a Papa Leone XIII praeceptae *et devotiones variae* [6] Missam sequentes.

Ratio est ut quisque christifidelium celebrationem Missae bene sequi possit ubique terrarum, *saltem in ritu latino,*[7] etiamsi idiomata localia non cognoscit, uti mirifice hoc attingit in signo crucis ubique nos signando, in recitationibus Rosarii, Viae Crucis, Angelus Domini, etc. ... quae simul peragi possunt ab omnibus fidelibus ex diversis linguis et populis.

Deinde pars prima Ordinarii Missae (ante canonem) est satis longa, sed pars subsequens canonem videtur nimis brevis, ita ut fideles, ut non dicam sacerdotes, qui statim post finem Missae (proh dolor) ecclesiam relinquunt vel relinquere debent (v. g. ut locum cedant fidelibus aliam Missam attendentibus in die festivo), vix gratiarum actionem agant adeo ut tempus tam pretiosum (post communionem) perdant. Nonne, pro hoc fine, convenientius erit, quaeso, iuxta n. 37 schematis, transferre aliquas preces ante canonem positas, ad partem canonem subsequentem? v. g. (solum dico pro exemplo) praeter alias *preces,*[8] salvo meliore iudicio, ipse quoque hymnus « Gloria in Excelsis Deo » si recitatur vel cantatur post communionem, nobis certe praebebit occasionem maioris devotionis dicendo Domino nostro, in corde nostro manenti: « Adoramus te, gratias agimus tibi, tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Iesu Christe, etc. ... ».

Parceant mihi liturgistae...[9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] a S. Sede. [5] deest. [6] Dio sia benedetto et devotiones variae erga Ss.mum Cor Iesu et B. M. Virginem et similia. [7] deest. [8] deest. [9] veri nominis.

20

EXC.MUS P. D. CAROLUS HIMMER
Episcopus Tornacensis

Venerabiles Fratres,

Venia vestra mihi concedatur si per haec pauca verba disceptatio nostra circa cap. II adhuc *paululum* [1] diutius protrahetur.

Duas tantum et quidem breves animadversiones afferre vellem, quibus aliquod votum mihi addere liceat.

Prima, quidem, *animadversio,*[2] respicit n. 39 de « homilia ». Omnino placent in hoc art. 39 sicut ibi proponuntur haec verba « tamquam pars liturgiae ». Oportet enim et quidem valde quod haec Sacrosancta Synodus inculcet iterum, explicitis et novis verbis, pastoribus nostri temporis ea quae Concilium Tridentinum tam fortiter docuit de momento homiliae dominicalis. Praeterea, prae oculis semper habenda est connexio quae intercedere debet inter Liturgiam, ex una parte, et totum ministerium catechesis et evangelizationis, ex altera parte...[3]

Optime dicitur et proinde, *sicut mihi videtur,*[4] in textu relinquendum est quod homilia est, vero *et proprio* [5] sensu, pars istius Liturgiae. Est *enim* [6] essentialiter commentarium a celebrante factum lectionum celebrationis Liturgiae, praesertim evangelii; non est parenthesis *quaedam.*[7] Hoc enim apparet in tota traditione liturgica, inde a primaeva descriptione Missae christianae quam Iustinus, hic Romae, confecit, paulo post Apostolos, usque ad litteras encyclicas *Mediator Dei,* in qua homilia inter actiones liturgicas numeratur, imo usque ad Codicem rubricarum anno 1960 editum.

Secunda *mea animadversio* [8] pertinet ad n. 40, de oratione communi.

Laudem et etiam suffragium nostrum articulus iste meretur. *Reintroductio* [9] orationis communis seu fidelium, post Evangelium et homiliam ...[10] non postulatur, ut quidam putare possent, sub ductu vel pruritu cuiusdam vani archeologismi.

Rationes in favorem huius restitutionis *breviter sic* [11] compendiari vellem.

1. Haec restitutio proposita est in praeparatione Concilii a multis episcopis Africae et Asiae. Et ad hoc attendendum est, *mihi videtur,*[12] in quodam Concilio quod oecumenicum vult esse.

2. Etiam hodie habetur haec oratio communis *et quidem*[13] cum magno fructu actuosae participationis fidelium in omnibus ritibus orientalibus.

3. Haec oratio pars erat antiquae Liturgiae romanae. De eius efficacitate pastorali ad nos pervenit testimonium non parvum *Prosperi Aquitaniae.*[14] Est ipse qui, hic Romae, formulavit illud celeberrimum principium: « lex supplicandi, scilicet in oratione communi fidelium, legem statuat credendi ». *Sunt ipsissima verba eius.*[15]

4. A duodecim saeculis, haec oratio communis fuit conservata lingua vernacula, in multis dioecesibus ritus latini sub nomine « Allgemeine Fürbitten » vel in lingua gallica « prières du prône ».

Haec oratio communis, *venerabiles Fratres,*[16] restitui posset diebus dominicis, modo brevissimae litaniae petitionum, in qua repeterentur responsio populi « te rogamus, audi nos », vel alia huiusmodi. Hac oratione restituta optime supprimi possent orationes imperatae et etiam preces post Missam « Ave Maria etc. ... ».

Ad quoddam votum nunc accedo.[17]

Heri quidam ex nostris *venerabilibus Fratribus*[18] quaestionem in medio Concilii attulit de ieiunio eucharistico. *Liceat*[19] ibi aliquod addere verbum, unum tantum, non solum nomine meo, sed plurium episcopatuum, scilicet Austriae, Scotiae et Belgii. Nonne, *venerabiles Fratres,*[20] voto plurimorum episcoporum responderet reductio temporis ieiunii eucharistici v. g. ad unam horam tantum *pro cibo,*[21] non tantum pro sacerdotibus celebrantibus, sed etiam fidelibus qui ad sacram accedunt communionem.

In multis enim regionibus, multi et prae primis operarii non possunt in statu actuali legislationis, nisi cum magna difficultate, Sacra Eucharistia refici, occasione Missarum vespertinarum.

Gratiae quam maximae et fervidae *reddantur*[22] benignitati Summorum Pontificum, pro facultatibus *iam magnis hac in re concessis.*[23]

Confidimus tamen, beneficium novae reductionis temporis ieiunii eucharistici, in sensu supra definito, etiam largiri posse, ut fructum magnificum huius Concilii, propter bonum spirituale fidelium, in primo loco operariorum, qui post laborem, et tantas difficultates ibi in medio fabricarum et totius vitae hodiernae vigentes, ...[24] in diebus ferialibus, *cupiunt magno animo manducare Corpus Domini Nostri Iesu Christi,*[25] et dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Inde homelia semper commendetur, et diebus dominicis et festis de praecepto, si vultis, etiam praecipiatur. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] Redintegratio. [10] sitae. [11] his breviter. [12] deest. [13] deest. [14] alicuius non sacerdotis sed laici, Prosperi Aquitaniae, qui actuosae liturgiae vero animo participatus est. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] Forte haec quaestio ad hoc schema non directe pertinet. Liceat tamen. [20] deest. [21] deest. [22] agantur. [23] hac in re iam a S. Sede concessis. [24] etiam. [25] Corpus Christi manducare cupiunt.

21

Exc.mus P. D. IOANNES VAN CAUWELAERT
Episcopus Inongoënsis

Venerabiles Fratres,

Quoad prooemium cap. II quaedam animadvertere volebam quae brevitatis causa scripta secretariatui generali remitto.

Attamen stuporem meum omittere non possum, cum audio quod aliquis nostrum expressionem « paschale convivium », sanctam Eucharistiam indicantem, e prooemio movere velit. Tota enim Traditio christiana inde a Paulo, in sacra Eucharistia convivium paschale christianorum recognovit...[1] quod etiam S. Thomas in hymno *Lauda Sion* recordatur verbis: « novum Pascha novae legis »...[2]

Quoad concelebrationem, ducenti et sexaginta episcopi continentis Africae, Madagascar et insularum gaudent de extensione usus concelebrationis atque rationes in nota 12 expressas unanimiter approbant.

Eo magis quod noverint, quanti facient populi sui, spiritu communitario imbuti, tales celebrationes, in quibus cum omnibus sacerdotibus suis uniti sunt. Altum talium celebrationum sensum optime intelligent, sicut nobis compertum est ex eorum declarationibus post Missam cum simplici sacerdotum communione, in Coena Domini celebratam. Populi nostri potius tali praxi quam abstractis explicationibus sensum unitatis Ecclesiae per sacramentum unitatis et unitatem sacerdotii in persona Christi capient.

Immo sacerdotibus nostris, qui tam saepe in solitudine laborant, magnae consolationis erit et adiumenti spiritualis talis concelebratio, diebus quibus datur eis cum fratribus suis convenire...[3]

Istis rationibus coacti episcopi totius (episcopi ducenti et sexaginta) continentis Africae, Madagascar et insularum, Patres Concilii instantissime rogant ut emendationes ab em.mo card. Léger propositas, appro-

bent scilicet in articulum rationes in nota 12 allatas inserant et facultatem concelebrandi iudicio episcopi relinquant.

Modeste etiam sequentem adnotationem generalem proponere audeo: quando insignis numerus episcoporum, quos pietas, zelus animarum et amor unitatis cum Sede Apostolica commendant, nobis renovationem vel etiam innovationem proponit, hoc nobis tamquam indicatio Spiritus Sancti esse debet.

Si talis innovatio in quibusdam regionibus non opportuna vel etiam nociva timetur, non ideo Spiritum impedire possumus, qui opus suum ad effectum ducat in illis aliis regionibus ubi adspiratio populi christiani a propriis pastoribus recognita, tales innovationes requirit. Est enim unitas Spiritus, qui unumquodque membrum Ecclesiae secundum propriam naturam et vocationem crescere sinit. Sed est, proh dolor, etiam unitas quae debilitantem uniformitatem imponere conatur et quae non tantum vitam sed et vocem Spiritus suffocat.

Memores simus quomodo Spiritus Sanctus, ore Pauli et Barnabae, in Concilio Hierosolymitano, apostolos adlocutus est eisque indicavit ut christianos e gentilitate magnis libertatibus donarent, renuntiantes, etiam cum scandalo, traditionibus christianorum e iudaismo.

Det Deus ut Concilium nostrum, omnibus inspirationibus Spiritus attentum sit, qui nobis speciali modo loquitur ore fratrum in quotidiano commercio cum ovibus viventium, et aperiens Ecclesiam omnibus populis, in sinum eius reducat omnes qui reliquerunt eam: non tantum eos qui ab imprudentibus innovatoribus decepti sunt, sed etiam eos qui saepe saepius in Ecclesia non sunt retenti a propriis pastoribus qui prudentia nimis humana admonitiones Spiritus tempore opportuno neglexerunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] celebratum in memoriam operis redemptionis, quo Christus mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit. [2] Si populus christianus hodiernus hoc non amplius intelligit, tempus urget ut admoneamus eum Pascha Christi esse transitum eius ad vitam gloriosam per mortem crucis. Ad lin. 3: quod per Missam repraesentatur « mortis eius victoria et triumphus » omnino retinendum censeo. Etenim opportune exprimit sub quo respectu christiani imprimis memoriam mortis Christi faciunt. Rationem triumphi eius et totius mundi in eo traditio optime exprimit in praefatione Sanctae Crucis in ritu romano: « qui in ligno vincebat in ligno quoque vinceretur ». Ad lin. 13: item non video rationem cur non designemus ultimum scopum Sacrificii Missae textu proposito: « ut Deus sit omnia in omnibus ». Utique Paulus ibi loquitur de parousia, sed nonne eucharisticum sacrificium est praeparatio illius parousiae et ad eundem scopum tendit. [3] Et quamquam ratio sequens non sit determinans, notatu dignum est quod, diebus exercitiorum spiritualium vel congressuum, concelebratio omnibus sacerdotibus occasionem praebebit digne sanctum

sacrificium offerendi. Paupertas enim ecclesiarum nostrarum in terris missionum non sinit tanto altarium numero providere et nimis durum videtur ut istis praesertim diebus, etiamsi cum laude humilitatis, impediantur quin ipsi celebrent.

22

Exc.mus P. D. CYRILLUS ZOHRABIAN

Episcopus tit. Acilisenus

Em.mi ac exc.mi Fratres carissimi,

Permittatur mihi animadversionem exiguam exponere vobis circa ultimum Evangelium sacrificii Missae ritus romani. Ne dicatur, quaeso, quod cum natione armenus sim, minime mihi licere de ritu latino loqui; etenim Dei gratia solemniter professus in Ordine Capuccinorum, ritu latino sacerdos factus sum, ritu armeno nonnisi privilegio utor ut missionarius apostolicus inter Armenos.

1. Ni fallor, nulla Liturgia orientalis, ex qua Liturgiae occidentales ortae sunt, teste historia originis Liturgiarum occidentalium, ultimum Evangelium habet, nisi Liturgia ritus armeni.

2. Sicut alias dixi, ritus noster est novissimus inter omnes saltem orientales et etiam latinum. Patres nostri Sahag patriarcha et Mesrob monachus ex ritibus graeco, romano ac syriaco componentes ritum nostrum nationalem, illa sumpserunt ex praefatis ritibus quae efficaciora apparent sive ad excitandam devotionem vel admirationem.

3. E ritu romano inter alia sumpserunt Evangelium S. Ioannis quod orientales non habent. Sed concorditer cum ritibus orientalibus Missam terminant cum benedictione sacerdotis. Etenim in ritu nostro sacerdos, lecto ultimo Evangelio sicut in ritu romano, statim incipit formulam benedictionis. Cui respondet minister: « Benedicam Domino in omni tempore, in omni tempore, in omni tempore, semper laus eius in ore meo ». Sacerdos *deinde* [1] benedicit populum dicens: « Estote benedicti gratia Spiritus Sancti. Ite cum gaudio et Dominus Iesus sit vobiscum omnibus. Amen »; et ita Missa cum vere perfecta sit omnes revertuntur ad sua.

Propositio mea: ex dictis patet usum ultimi Evangelii in ritu romano esse antiquissimum, igitur non audeo proponere eius suppressionem, sed humiliter peto si non est possibile imitare dispositionem ritus armeni, collocando illud ante benedictionem et terminare perfecte Missam cum versiculo: « Ite Missa est », ministro solemniter respondente: « Deo gratias ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

23

Exc.mus P. D. PETRUS BOILLON
Episcopus tit. Mainensis, coad. Virodunensis

Exc.mi et rev.mi Patres,

Pauca mihi *breviter* [1] dicere liceat de communione per modum viatici, sub unica vini specie (n. 42).

Ex pastorum experientia patet moribundos saepe iam non posse Sanctam Eucharistiam per modum viatici sumere. Cuius causa videtur quod, ex artis medicae progressu, aegrotantes qui iam cibum nequeunt sumere solidum, sed tantum liquidum, per hebdomadas plures — *tres, quattuor, sex* [2] — sustentantur priusquam moriuntur. Itaque, has per hebdomadas et usque ad mortem, Sancta Eucharistia nutriri nequeunt.

Atqui lex de communione sub unica specie panis est ecclesiastica, de communione vero per modum viatici, divina. Tandem invenimus in Ecclesiae traditione, *et in Oriente,* [3] communionem sub unica vini specie, saltem pro infantibus, *vel, in Oriente, pro infirmis.* [4] Quaequae sint obstacula, lex superat divina.

Ergo, hoc Sancto Concilio adiungendum n. 42 propono: « Si quis Viaticum sub panis specie sumere moribundus nequit, sed tantum sub vini specie, illi hoc ipso modo ministrandum est ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest.

24

Exc.mus P. D. CONRADUS DE VITO
Episcopus Lucknovensis

Em.mi et rev.mi Patres,

De concelebratione in Missa chrismatis: talis concelebratio mihi videtur non convenire sequentibus rationibus: [1]

Eo quod consecratio chrismatis reservata est episcopo ratione Ordinis.

Consecratio chrismatis fit intra Missam. Ideo tantum ille qui chrisma consecrat deberet celebrare.

Si in illa Missa sacerdotes admitterentur ad concelebrandum, fide-

les possent facile decipi, putantes sacerdotes eo quod concelebrent in Missa, ita etiam cum episcopo olea con-consecrare.

Ratio cur concelebratio admittitur in ritu latino est vel ordinatio sacerdotalis, vel consecratio episcopalis, vel, uti in n. 44, *b*) dicitur, quando, ob conventum multorum sacerdotum, *etc.*[2]

Feria V in hebdomada sancta, iuxta usum antiquissimum in Ecclesia, sacerdotes permittuntur celebrare tantum propter necessitatem fidelium; imo unus tantum pro unaquaque ecclesia ubi Sanctissima Eucharistia reservatur.

Denique in celebratione Missae chrismatis requiruntur 12 sacerdotes, 12 diaconi, 12 subdiaconi, et locus pro consecratione chrismatis et aliorum oleorum. Si concelebratio permittitur, tunc magna confusio oriri potest, speciatim si presbyterium erit angustum.

Tamen mihi videretur quod concelebratio in Missa Coenae Domini valde conveniret propter istas rationes:[3]

In ista Missa commemoratur institutio Sacrificii Missae, *institutio*[4] Sanctissimae Eucharistiae, ordinatio sacerdotalis et consecratio episcopalis.

Sicut datur concelebratio in consecratione episcopali et ordinatione sacerdotali, sic etiam conveniret quod concelebratio habeatur in Missa Coenae, ubi haec omnia commemorantur.

Coena Paschalis fiebat per oblationem et esum agni. Si ergo in Missa Coenae Domini datur concelebratio, melius appareret celebrantem et alios sacerdotes offerre et manducare Novum Agnum Paschalem.

In ultima Coena Christus consecravit, Apostoli communicati sunt.

In nostra Missa quae commemorat ultimam Coenam omnes sunt pariter *iam*[5] sacerdotes. *In ultima Coena non aderant alii sacerdotes praeter Christum, et*[6] ideo convenit quod omnes pariter concelebrent.

Si habetur concelebratio in hac Missa apud fratres orientales, cur non apud nos?...[7]

Circa horam offerendi sacrificium, vellem dicere quod:[8]

Dominus nullam restrictionem posuit circa tempus Missam offerendi. *Ideo lex divina nullam posuit restrictionem.*[9]

Restrictiones disciplinares temporis praeteriti hodie non sunt amplius necessariae. Ideo nulla ratio datur restringendi legem divinam.

Vita hodierna ita evolvitur ut horae matutinae sint pro fidelibus minus aptae ad attendendum divino Sacrificio. Multi qui aliis horis possent facile ad Missam attendere, cur privari debent ut illis aptioribus temporibus Missae adsint?

Ideo, ita de hora Missae decerni posset: « Missa unaquaque hora celebrari potest, servatis ieiunii legibus ».

Nunc vellem quaerere aliquid quod, puto, nemo quaesivit: [10] de Communione fidelium quotiescumque Missam cum sacerdote offerunt. *Peto ut Patres hoc considerent, si hoc opportunum viderint.*[11]

Cur datur restrictio pro *fidelibus recipere S. Communionem quando ipsi Missam audiunt vel potius cum sacerdote offerunt?* [12]

Dominus nullum imposuit limitem; *ideo lege divina nullus adest limes.*[13] Immo ipse dixit quod omnes, non solum apostoli, debere Communionem recipere quando ipsum per Missam commemorant.

Si lex divina hoc imponit, cur deberemus nos illam restringere?

Mundus ita depravatus est ut revera magna detur necessitas reparationis. Nulla reparatio est melior quam Communio.

Fideles cum participent de regali Sacerdotio, debent cum sacerdote offerre Missam, et ideo etiam de Victima participare.

Si sacerdos potest *in prima, in secunda et tertia Missa, quas ipse offert,*[14] et ter de Victima participare, cur fideles, qui cum ipso offerunt Victimam *prima vice, secunda et tertia,*[15] de illa et ipsi non *possunt* [16] communicare?

Ideo propono quod novus numerus addatur istis verbis: « Fideles possunt recipere S. Communionem unaquaque vice Missam integre cum sacerdote offerunt ».

Aliquid etiam — quod non est in schemate sed vel potest proponi Patribus et quod possit esse magni momenti et utilitatis in Missionibus non tantum pro fidelibus quam pro sacerdotibus, est nempe de Communione sumenda in absentia ministri. Si praeses putat quod hoc non deberem legere, tunc non legam.[17]

Praeses card. TISSERANT: Unum momentum tantum habes.

Orator: Sufficit.

In textu scripto tradito: [1] Pag. 176, n. 44 a) Ad Missam chrismatis, feria V in Coena Domini. Non videtur convenire. [2] ad singulares celebrationes aliter provideri non possit, et de iudicio Ordinarii. [3] Pag. 176, n. 44. Proponitur concelebratio pro Missa in Coena Domini. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] Pag. 176. Additio proponitur post n. 46 *d*). N. 47: Unusquisque sacerdos concelebrans potest pro sua Missa concelebrata stipendium recipere. Convenit addere hunc numerum ne dubia et controversiae oriantur. Etenim, sicut tot sunt oblationes, quot sacerdotes concelebrantes, ita tot stipendia sumi possunt. Singuli sacerdotes concelebrantes liberi sunt applicandi Missam pro speciali intentione. [8] De tempore offerendi Missam. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] ipsis? [13] deest. [14] tres Missas dicere. [15] deest. [16] poterunt. [17] De Communione sumenda in absentia Ministri. Reverentiae causa Ecclesia reservavit Communionis distributionem sacris tantum ministris. Dominus hoc non fecit, ideo lex divina hoc permittit. In Ecclesia primorum saeculorum S. Communio tradebatur

fidelibus in manu. Puto quod ita fit in aliquibus ritibus non latinis. In locis ubi datur unus tantum sacerdos, speciatim in missionibus, ipse non potest conventibus aliorum sacerdotum intervenire; quandoque etiam pro ipso tempore exercitiorum spiritualium sacerdos non potest suam stationem relinquere; nunquam adesse potest alicuius essentialis recreationis gratia: et ratio est quia fideles simpliciter, et speciatim Sorores religiosae quotidie volunt S. Communionem recipere. Ideo propono quod haec verba addantur: « Si Ministri S. Eucharistiae in loco non adsunt, fideles permittuntur sumere propria manu sacram Hostiam ex proprio ciborio, quod super altare reponitur a persona apta a sacerdote designata, secundum rubricas approbatas ».

25

Exc.mus P. D. IOSEPH MELAS
Episcopus Nuorensis

Em.me Praeses, em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Quae aliquibus abhinc diebus breviter attigi iterum renovans, meam liceat pandere ansitudinem circa duo argumenta quae in hoc secundo schematis capite huius constitutionis agitantur: nempe circa Communionem sub utraque specie etiam laicis concedendam, et circa Missae concelebrationem.

Exercitatos atque peritos nos esse docuit vitae usus, et si quando res novae cuiuscumque generis inducuntur, novimus id populum tangere atque commovere, simulque indifferentes nos esse non sinit. Quod certo etiam fiet si ad effectum deducantur quae in hoc schemate statuuntur.

Populi mihi commissi communem animum interpretatus, quem bene novi, mens mihi est Communionem sub utraque specie pro laicis non esse probandam, ideoque schema reformandum ita ut pro casibus hucusque usitatis sit ipsa dumtaxat servanda. Ceterum non sunt praetereunda incommoda quae multis ante saeculis huiusmodi usum abolendum Ecclesiae suaserunt. Quare igitur nostris diebus restituendus esset iam obsoletus usus? Multa nec parva essent incommoda, minima beneficia!

Iisdem rationibus Missae concelebrationem ad quosdam casus conventus sacerdotum tantummodo contrahendam esse censeo, quando scilicet ob evidentem utilitatem aliter impossibile erit singulorum celebratio.

...[1] Sacerdotum petitionem significare cupio ut ipsis facultas concedatur Missae sacrificium feria V in Coena Domini celebrandi, ob solemnem instituti sacerdotii memoriam.

Insuper in art. 39, pag. 175, legitur: « Homilia, tamquam pars ipsius Liturgiae, valde commendatur, praesertim diebus dominicis et

festis de praecepto ». Quem ita immutandum propono: « Homilia, tamquam pars ipsius Liturgiae, quam saepius habenda valde commendatur, quotiescumque fieri poterit; at diebus dominicis et festis de praecepto semper habenda erit, nisi sacerdos aegritudinis aut senectutis causa excusandus sit ».

Norunt omnes qui pastorale ministerium experti sunt fideles saepe saepius Missae audiendae praeceptum, ignorantiae causa, facile praeterire, quia numquam, vel raro, verbum Dei audiunt. Igitur, quamquam mirum et absonum videri potest, dicendum est multis fidelibus praestantius ac magis necessarium esse verbum Dei audire quam ipsam Missam audire! Qui vero doctrina christiana instituuntur et ignorantiam a se depellunt et sacrosancto Sacrificio libentius adsunt.

In eodem capite perpulchrae eae notandae sunt locutiones: « mensa verbi » (in pag. 175, lin. 9); « ditior mensa verbi » (in eadem pag., lin. 22); « Liturgia verbi » (in pag. subs., lin. 13).

Bene igitur eadem constitutio, in art. 43, haec merito habet: « Liturgia Missae duabus partibus quodammodo constat, Liturgia nempe verbi et eucharistica. Hae duae partes tamen ita intrinsece coniunguntur ut unicum actum cultus efforment. Proinde animarum pastores in catechesi tradenda, fideles sedulo instruant, ut integrae Missae celebrationi intersint ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Et.

Praeses card. TISSERANT: Proxima congregatio generalis habebitur feria secunda, mensis novembris die 5, hora 9, in aula conciliari. Nunc fit repositio Evangelii.

CONGREGATIO GENERALIS XII

5 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XII

5 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Praeest hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Achilles Liénart, ep. Insulensis.

Antequam nomina dentur eorum, qui petierunt loqui in hac hodierna sessione, honorificum est communicare coetui amplissimo nomina eorum quos Ss. Dominus cooptare dignatus est in sodales tribunalis administrativi. Hi sunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Carolus Chiarlo; Franciscus Morano; Villelmus Theodorus Heard; exc.mi ac rev.mi DD. Andreas Rohracher, arch. Salisburgensis; Laurentius Begin, ep. Quercopolitanus; Edmundus Nowicki, ep. tit. Thuggensis; Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis; Eugenius Beitia, ep. Santanderiensis; Ioannes Vonderach, ep. Curiensis; Franciscus Furey, ep. tit. Temnitanus.

Nunc lego nomina eorum, qui petierunt loqui in hac hodierna sessione. Ut audietis, hi multi sunt adhuc; quapropter consilium praesidentiae iterum atque iterum enixe rogat Patres ut, si aliquid iam dictum sit, ne repetant vel saltem paucissimis verbis se referant ad ea quae iam dicta sint, ne tempus pretiosissimum inutiliter teratur.

Loqui igitur petierunt: em.mi DD. cardd. Carolus Confalonieri; Iacobus Franciscus McIntyre, arch. Angelorum in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; exc.mi DD. Ioseph Duschak, vic. ap. Calapanensis in Insulis Philippinis; Stephanus László, ep. Sideropolitanus in Austria; Carolus Ferrari, ep. Monopolitanus in Italia; Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia; Carolus Saboia Bandeira, ep. Palmensis in Brasilia; Ioannes Baptista De Mota, ep. Victoriensis in Brasilia; Albertus Cousineau, ep. Capitis Haitiani in Haiti; Henricus Jenny, ep. aux. Cameracensis in Gallia; Andreas Perraudin, arch. Kabgayensis in Ruanda-Urundi; Paulus Barrachina, ep. Oriolensis in Hispania; Augustinus De Moura, ep. Portalegrensis in Lusitania; rev.mus P. Benno Gut, abbas primas Confoederationis Benedictinae; exc.mi DD. Paulus Yü Pin, arch. Nanchimensis in Sinis; Marinus Bekkers, ep. Buscoducensis in Neerlandia; Eladius Vicuña, ep. Chillanensis in Chilia; Paulus Seitz, ep. Kontumensis in Vietnam; Ioseph Pont, ep. Segobricensis in Hispania; Thomas Muldoon, ep. Fesseitanus, aux. Sydneyensis; Patricius Kelly, ep.

Urbis Beninensis in Nigeria; Carolus Parteli, ep. Tucuarensis in Uruguaia; Simon Landersdorfer, ep. Passaviensis in Germania; Marcellus M. Dubois, arch. Bisuntinus in Gallia; Georgius Xenopulos, ep. Syrensis in Graecia; Petrus M. Théas, ep. Tarbiensis in Gallia; Caesar Antonius Mosquera, arch. Guayaquilensis in Aequatore; Gregorius Modrego, arch.-ep. Barcinonensis in Hispania; Ioseph D'Avack, arch. Camerinensis in Italia; Ioannes Pereira, ep. Leiriensis in Lusitania; Franciscus Zak, ep. S. Hippolyti in Austria; Franciscus Zauner, ep. Linciensis in Austria; Iulius Kandela, arch. tit. Seleuciensis pierius in Syria; Antonius Pildáin, ep. Canariensis in Hispania; Maximus Hermaniuk, arch. metropolitanus Vinnipegensis pro Ucrainis in Canada; Custodius Alvim Pereira, arch. de Lourenço Marques in Mozambico; Raphaël Bidawid, ep. Amadiensis in Iraq; Ioseph Souto, ep. Palentinus in Hispania.

Praeses card. LIÉNART:

Venerabiles Patres et Fratres, hodie continuare debemus disceptationem de cap. II sacrae Liturgiae schematis.

Ad disceptationem brevius faciendam oratores instanter deprecamur ut quod iam ab aliis dictum est non repetant, sed potius loqui abstineant. Exhortamur etiam Patres ut inter se velint eligere qui in nomine plurimorum animadversiones emittant, quia si unusquisque nostrum ius habet in Concilio loquendi, ius illud per delegatum exercere potest et sic faciendo omnibus officium praestaret.

1

EM.MUS P. D. CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Venerabiles Patres,

In postremis generalibus congregationibus mensis octobris nuper elapsi hic habitis, bona utique fide quaedam dicta sunt, quae possent confusionem ingerere circa apparata et emendata schemata Concilio postea subiicienda. Proinde cardinales, qui membra fuerunt pontificiae subcommissionis de schematibus emendandis praeparatoriae, venerabilibus Patribus, iis praesertim qui commissioni centrali opus dederunt, haec declaranda censent:

1) Munus commissionis centralis praeparatoriae definitum fuit a Summo Pontifice, n. 14 Motu Proprio *Superno Dei nutu* diei 5 iunii 1960, scilicet: « Sequi ac, si necesse sit, in ordinem disponere singularum commissionum labores atque illarum conclusiones rite perpensas ad

Nos deferre, ut res in Concilio Oecumenico tractandas Nosmetipsi statuamus ». (Sunt verba Summi Pontificis). Quod munus confirmatum fuit in Normis ab ipso Summo Pontifice approbatis die 16 septembris 1961 et sodalibus distributis.

2) Suffragia ergo Patrum commissionis centralis, data per verba *placet, non placet, placet iuxta modum,* hoc tantum respiciebant: convenientiam praesentandi schemata Summo Pontifici. Suggestiones, emendationes, animadversiones a Patribus in disceptatione factae, uti singulae et qua tales, suffragationi subiectae non fuerunt nec erant subiiciendae, quia talis singularum propositionum suffragatio a munere exsulabat. De cetero notum est quod multi Patres sententiam suam saepe exprimebant per verba generica: « Adhaereo his quae dixit Pater A et Pater B et Pater C, et ceteri »; sed Patres A, B, C, et ceteri vota inter se difformia et discordantia aliquando proposuerant. Quaenam ergo adhaerentium sententia?

3) Die 7 novembris 1961 vero, subcommissioni de schematibus emendandis tunc institutae, per decretum in publica sessione perlectum coram Summo Pontifice praeceptum fuit: « Ista subcommissio providebit emendandis schematibus, perpensis scilicet a sodalibus huius commissionis centralis propositis emendationibus ».

4) Hoc sibi commissum munus subcommissio, iuxta constitutum iter, studuit rite adimplere. Omnes observationes commissionis centralis, systematice collectae, transmissae sunt ad cardinalem praesidem commissionis originis ut eas, consultis tribus ipsius commissionis originis selectis membris, perpenderet et inde subcommissioni de schematibus emendandis significaret quaenam essent accipiendae aut reiciendae, argumentis adductis.

5) Tunc Patres cardinales subcommissionis, qui initio quinque, postea septem fuere, examinaverunt sive observationes sodalium commissionis centralis sive responsiones datas a commissione originis; ubi erat concordia, textus emendatus fuit sine ambage; ubi vero discordia, subcommissio, perpensis hinc inde argumentis pro munere sibi a Summo Pontifice commisso, prudenter et scienter illas propositiones selegit, quas aptiores iudicavit.

6) Ad haec omnia perficienda, perplures conventus habuit subcommissio et assiduos labores per integrum annum produxit. Schemata autem variis voluminibus continentur, quorum primum illud est quod, iussu Summi Pontificis, transmissum fuit ad omnes conciliares Patres et nunc ipsi prae manibus habent.

Discussio igitur Concilii et eius liberum et supremum iudicium non est de praeteritis, sed de schematibus prouti iacent in subiecto volumine,

iuxta monitum in primo folio ipsius voluminis positum, subsignatum a cardinali Secretario Status die 13 iulii 1962.

7) Ad martyrologium quod attinet, in n. 16, pag. 164 schematis de Liturgia praeclare dicitur: « Libri liturgici recognoscantur ». Iamvero martyrologium est liber liturgicus.

Haec sereno animo et caritate fraterna dicenda erant.

2

EM.MUS P. D. IACOBUS FRANCISCUS CARD. McINTYRE
Archiepiscopus Angelorum in California

Em.mi Praesides, em.mi et rev.mi Patres,

In Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis sacrosanctum Missae Sacrificium maxima fidelitate et devotione offertur secundum ritum romanum et rubricas Missalis romani.

Instructionibus dogmaticis et catecheticis distinctio inter « Missam catechumenorum » et « partem praeparatoriam » Canonis et Consecrationis clare monstratur et a fidelibus bene intelligitur. Christifideles permulti integram Missam cum celebrante assidue et secreto legunt per medium missalium manualium. Missalia haec in lingua vernacula latinaque in eadem pagina scribuntur.

Idcirco sacra Missa ab omnibus unum est in intentione atque actione, et omni ex parte ad consecrationem tendit. Missa actus cultus est et divinum sacrificium. Itaque attentionem omnium circumstantium absorbit.

In diebus dominicis et in diebus festis post Evangelium Missae in lingua latina, Missa interrumpitur. Celebrans aut alius sacerdos in pulpito Epistolam Evangeliumque Missae in lingua vernacula legit. Deinde Epistolam Evangeliumque cum commentario brevi explicat, aut instructionem de catechismo exponit. Deinde Missa cum « Credo » in lingua latina resumitur.

In hoc ordine integritas Missae in lingua latina conservatur. Lingua vernacula introducta ab actione Missae separatur; et hac in omnibus Missis non utitur.

Schema in pag. 175 confusionem complicationemque proponit. Si schema adoptetur, proxima ad scandalum nostro populo sit.

Continuitas Missae retineri debet. Traditio caeremoniarum sacrarum conservari debet. Instructiones in Sacris Scripturis, dogma et catechismus in lingua vernacula praeservari possunt sine offensione linguae

latinae. Hi omnes in methodo currente servantur; mutationes non requiruntur.

In schema de sacra Liturgia, cap. II, par. 41 ss., consideratio adaequata ad primum principium non datur.

In Instructione Sacrae Congregationis Rituum, data mense septembris anno 1958, dicitur, ut attentio, quae est primaria ad audiendam Missam, est interna, contemplatio mysterii Eucharistiae.

Ergo mihi videtur participationem actuosam in his discussionibus recipi maiorem considerationem quam debet.

Haec attentio interna frequenter habetur apud eos quorum capacitas intellectualis non est magna; participatio actuosa insuper frequenter est distractio.

Venerabiles Patres, in re lingua latina Summus Pontifex locutus est.[1]

In textu scripto tradito: [1] deest.

3

Exc.mus P. D. VILLELMUS IOSEPH DUSCHAK

Episcopus tit. Abiddensis, vic. ap. Calapanensis

Patres Conciliares em.mi, ill.mi et rev.mi,

Aliqua generalia et fundamentalia proponere vellem de Ordine Missae instaurando vel restaurando secundum art. 37 cap. II schematis constitutionis *de sacra Liturgia.*

Ultima Coena Christus Missam instituit ut memoriale sui ipsius, imprimis suae mortis: est corpus « quod pro vobis datur », est sanguis « qui pro vobis fundetur »; « Hoc facite in meam commemorationem » (*Lc.* 22, 19-20).

Nostris temporibus memoria Domini, Coena Domini, sacrificium Missae celebratur secundum diversos ritus. Ritus isti antiqui et valde venerabiles sunt, sed facti ab hominibus, licet doctis et sanctis. Per saecula nunc iam praeterita modi celebrandi Missam et ipsa missalia variis mutationibus et multis varietatibus subiecta sunt usque ad illam plus minusve finalem missalis editionem — hoc quidem valet pro ritu latino tantum — quae facta est post Concilium Tridentinum. Missali isto latino utimur usque ad tempus hoc.

Si nostris temporibus et ab hoc Concilio totius historiae Ecclesiae maximo desideratur et exspectatur instauratio Missae, necnon summa

mediorum et monitorum quae ad participationem fidelium actuosam conducant, methodus optima eligenda consistere videtur in reditu ad primam et originalem Missam quam et sicut Christus ipse ultima Coena instituit et uti memoriam sui facere et repetere praecepit. Si saecula et generationes quae transierunt suos pro celebratione Missae ritus formare potuerunt secundum eorum mentem et gustum, qua ratione non liceret Patribus maximi huius Concilii, post tot saecula, Summo Pontifice duce, et secundum dictum « omnia instaurare in Christo », quodammodo redire ad primam et venerabilissimam Missae formam a Christo ipso institutam?

Nihil dicam contra linguam latinam. Est lingua matris, sanctae Matris Ecclesiae, est lingua liturgica maioris Ecclesiae Catholicae partis, lingua Concilii, communicationis catholicae per totum orbem terrarum; lingua scientiarum sacrarum; est lingua pro seminariis et litteris sacris in operibus sanctorum Patrum innumerabilibus et Ecclesiae Doctorum depositis.

Nihil dicam contra diversos ritus, nihil contra ritum latinum. Exsistit, habet et habebit ius exsistendi et florendi, praesertim in Missis solemnibus, cantatis, in Missis sacerdotum sine congregatione celebrantium, pro monasteriis et communitatibus linguam latinam non ignorantibus. Sed quaestio est, num ritus latinus, uti est, immo variis modis et mediis participationem actuosam foventibus necnon consiliis auctoritatis Ecclesiae et peritorum adhibitis, illum actuosae participationis gradus admittat qui haberi posset et exerceri debet propter mandatum Domini, propter eminentem valorem intrinsecum et momentum sanctae Missae pastorale. Utile est hic meminisse dictum illud Domini de commissura panni rudis quae non immittitur in vestimentum vetus, vel de vino novo quod non mittunt in utres veteres (*Mt.* 9, 16-17).

Sperare liceat primam partem Missae, quae dicitur catechumenorum, qua christifideles doceantur et orationibus praeparentur, celebratam iri lingua vernacula. Cur enim sacerdotes per generationes iam, submissa voce, ista verba sacra et inspirata, nempe lectiones, Epistolas, ipsum Evangelium, repetere debent coram Deo solo, qui omnia scit et textus illos sacros inspiravit pro populo suo sancto vel sanctificando, dum populus Dei ipse post eum, i. e. sacerdotem, sedet et esurit et sitit, avidus illius panis qui est verbum *Domini* [1]?

Mentionem hic non facio eorum postulatorum et desideriorum circa Missam quae sunt multa et varia, et frequenter proferuntur a peritis sacrae Liturgiae. Hic quaestio sit de canone Missae tantum, uti Christus ipse fecit et fieri iussit illis pernotis verbis: « Hoc facite in meam commemorationem ».

Praesumi liceat verbo « hoc » Christum praecepisse in sui memoriam facere quod, et quo ritu, et quibus aliis circumstantiis quae in futuro repeti possent, ultima Coena et institutione sanctae Eucharistiae ipse et fecit et dixit. Immo dici posse videtur totam, ut ita dicam, atmospheram quae in ultima Coena vigebat in quacumque Missa celebranda repeti et effici debere in quantum fieri potest. Quaenam nunc sunt ista elementa sensu liturgico constitutiva et distinctiva secundum primam Domini nostri Iesu Christi Missae celebrationem ab ipso factam?

Christus celebravit Missam primam *coram* Apostolis — versus populum, secundum consuetudinem in coenis vigentem.

Christus locutus est *alta voce,* ita ut omnes, ut ita dicam, Canonem primae istius Missae audirent.

Christus usus est lingua *vernacula,* ita ut omnes sine ulla difficultate eum et verba eius intelligerent.

Verbis « hoc facite », secundum eorum integram notionem, contineri videtur praeceptum celebrandi Missam uti coenam, coram populo, vel saltem alta voce et lingua quam commensales intelligunt. Accedit quod difficile intellectu est *memoriam* Domini celebrari posse in silentio et lingua ignota adstantibus, uti mysterium, quamvis profundissimum sit mysterium ipsius Missae. Missa ritu ultimae Coenae celebrata praeberet participationem naturalem et intimam, ita ut non amplius opus sit istis modis et auxiliis ab extra illatis.

In ultima Coena Christus permulta et perpulchra dixit, docuit et oravit quae quodammodo ad memoriam Domini pertinent, et vix ac ne vix quidem a celebratione memoriae eius separari possunt. Conclusiones patent: demus populo nostro, quandocumque obligatione tenetur assistendi vel audiendi Missam, et quandocumque concursus populi habetur, istum ritum originalem institutum a Domino ipso. Stet sacerdos coram populo ut alter Christus, populus ipse audiat et intelligat omnia. Verba adhibenda, imprimis in Canone, sint verba Domini, et parce solummodo verba hominum. Sint verba promissionis Sanctissimi Sacramenti (*Io.* 6): « Ego sum panis vivus..., panis vitae ». « Qui manducat me... », etc.

Sint verba ultimae Coenae et ultimae noctis Domini super terram, secundum Evangelium S. Ioannis: « Exemplum dedi vobis », « Ego sum via et veritas et vita », « Si diligitis me, mandata mea servate », « Pacem relinquo vobis, ... non quomodo mundus dat... », « Ego sum vitis vera, vos palmites », etc. Et semper addatur vel pars ultimae Christi orationis circa istud « ut omnes unum sint ».

Patres Conciliares: neque diversi ritus neque fratres christiani qui non sunt catholici, sed credunt in Christum Eucharisticum, unquam ac-

cipient ritum latinum vel quemcumque alium ritum historicum, sed fortasse parati sunt accipere invitationem cooperandi, peritis omnium rituum necnon Ecclesiarum quae fidem eucharisticam tenent adiuvantibus, in compositione Missae quae vere vocari posset Missa oecumenica vel « Missa orbis », quae Missa sequeretur ritum Coenae Domini et principia superius generatim et passim enumerata.

Sic habere possemus Missam vere oecumenicam, Missam orbis, et cum ea istam multum desideratam unitatem, saltem in memoria eucharistica Domini. Videant auctoritates summae Ecclesiae, videant periti theoretici et practici. Populus autem Dei gauderet participatione ista perfecta et intima qua ultima Coena Apostoli gavisi sunt.

Conceptus et propositio « Missae orbis » audacitatem redolet, sed non temeritatem, quia sequemur exemplum et praeceptum Christi Domini. Meminisse etiam iuvat hoc Concilium esse maximum in historia salvationis et Concilium sic dictum unionis.

Conceptus et propositio « Missae orbis » fortasse est sicut istud granum sinapis, quod est minimum quidem (*Mt.* 13, 31-32) sed si habuerimus fidem (*Mt.* 17, 19), dabit fructum (*Mt.* 13, 8), et nihil impossibile erit (*Lc.* 17, 19).

Quae dixi et proposui, non dixi ut peritus scientiarum sacrarum, sed ex conscientia mere pastorali, et ex experientia plus triginta annorum pastorali vere et simpliciter missionaria. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Dei.

4

EXC.MUS P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ
Episcopus Sideropolitanus

Em.mi Patres, venerabiles Fratres,

Animadversiones meas ad art. 43 secretario generali scriptis trado, quod valet etiam de animadversionibus meis ad praeceptum Missae festivae imprimis quod valet de Dominica et diebus festivis.

Tantum aliqua verba ad n. 37. Forte nobis brevissimus conspectus instaurationis liturgicae in ultimis annis ad investigandam viam rectam in hac materia utilis esse possit, nempe: [1]

1. Quod instauratio, de qua in hoc capite, non aliquid novum est sed a pluribus annis abhinc iam incepit et adhuc semper perdurat. Quod permultae ordinationes Apostolicae sicut et S. C. Rituum, quae interim publicatae sunt, satis probant, quarum una aut altera fere quovis anno

in *A.A.S.* invenitur: ex. gr.: decretum generale de Rubricis...[2]; decretum *Maxima redemptionis nostrae mysteria* (*A.A.S.*, 47, 1955, pag. 638), Instructio de Musica sacra et sacra Liturgia (*A.A.S.*, 50, 1958, pag. 630), Litterae Apostolicae motu proprio datae de novo Rubricarum Breviarii et Missalis Romani corpore (*A.A.S.*, 52, 1960, pag. 593). Anno 1955 Pius Papa XII constituit commissionem, cui generalis instaurationis liturgicae studia demandata fuerant.

2. Quae instaurationes non tantum ad Sacramenta aut Sacramentalia se referunt, sed etiam ad sacrificium Missae (vide decretum *Maxima redemptionis nostrae mysteria* aut Litteras Apostolicas de novo Rubricarum Breviarii et Missalis Romani corpore, et alia).

3. Causae, quae pro istis instaurationibus afferuntur eaedem sunt quas tam saepe ibi audivimus, nempe:

a) Promotio participationis fidelium (ex. gr. textus: « sedulo curandum est, ut fideles non tamquam extranei vel muti spectatores Missae intersint, sed illam praestent participationem, quae in tanto mysterio requiritur » ex Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia, *A.A.S.*, 50, 1958, pag. 641).

b) Respectus biblicus sive promotio splendoris primitivi sacrarum actionum (cf. imprimis instaurationem Hebdomadae Sacrae. Iam in decreto de solemni vigilia paschali instauranda legimus: « Nostra autem aetate ... vivum obortum est desiderium, ut paschalis praesertim vigilia ad primitivum splendorem revocaretur, originali eiusdem vigiliae instaurata sede, ad horas videlicet nocturnas, quae dominicam Resurrectionis antecedit » (*A.A.S.*, 43, 1951, pag. 129).

c) Pastoralis sollicitudo et efficacia sacrae Liturgiae pro vita christiana (fere in omnibus decretis primum locum habet). Et non ultimo loco:

d) Petitio instans episcoporum (ex. gr. « His de causis viri in re liturgica peritissimi, sacerdotes curam animarum gerentes, et imprimis exc.mi antistites, recentioribus annis enixas ad Sanctam Sedem preces detulerunt, postulantes, ut liturgicae Sacri Tridui actiones, ad horas, ut olim, postmeridianas revocarentur, eo sane consilio, ut ... fideles facilius ... interesse possint » (*A.A.S.*, 47, 1955, pag. 839).

Talibus aut similibus causis impulsae ultimis annis non paucae innovationes in sacra Liturgia inductae sunt, quae tamen partem tantum materiae instaurandae efformant. Ideo instaurationem generalem Sanctissimus Dominus Concilio Oecumenico demandavit, et quidem Litteris suis de die 25 iulii 1960 (*A.A.S.*, 52, 1960, pag. 593) quibus novum rubricarum Breviarii et Missalis Romani corpus publicatum fuit...[3] Concilii erit ergo ex causis supra allatis sacram Liturgiam in genere instau-

randi et ad finem deducendi et quidem primum ut *statuantur*[4] principia hanc generalem liturgicam instaurationem respicientia, sed pari modo — ita humilis mea sententia — ut eadem et *applicentur*[5] saltem ad praestantiores quaestiones in hac materia. Alio modo Concilium nec officium nec exspectationes tam multorum fidelium et sacerdotum sicut et episcoporum impleret.

Quod ad opus ergo nos comitetur « sapientia caelestis » (ex oratione pro festo S. Pii X), sed pariter non desit nobis « fortitudo apostolica », quam apud Sanctum Papam in hac Basilica tam honoratum admiramur.

Gratias maximas!

In textu scripto tradito: [1] Nullus articulus, fere nullum verbum in cap. II adest, quod discussione nondum fuerit disceptatum. Ideo ad textum, qui forma proposita exspectationes iustas adimplere videtur et sapientibus observationibus Patrum conciliarium in melius adauctus fuit, mihi liceat pauca tantum addere, et quidem primum ad art. 43, nempe ut paulum emendetur et nonnullis verbis adaugeatur, i. e.

1. Ut pro verbis: « Ut integrae Missae celebrationi intersint », alia verba, e. g. Missae participent, Missae partem habeant, ponantur et ut verba: Missae interesse sive Missam audire aut legere et similia pro futuro non adhibeantur. Non tantum de emendatione accidentali ibi agitur, sed in hac locutione tota quaestio contenta esse videtur, quae adhuc satis ample disceptata fuit.

2. Articulus supra citatus innuat etiam praeceptum Missae festivae, dico innuat, quia hoc tantum ab inscriptione articuli evenit. Ideo propono, ut post verba: Ut integrae Missae intersint aut participent, ulteriora verba ponantur, nempe: « et ita etiam praeceptum Missae festivae rite adimpleant ».

3. Qua in connexione, ubi de praecepto dierum festivorum sermo sit, deliberandum esset, an non aliquid etiam de diebus festivis, imprimis de dominica dici debeat. Non parvum periculum est, fere ubique, ut dominica tum pro vita privata cum pro sociali valorem suum ammittat. Quam diem non pauci proh dolor non amplius ad implendum praeceptum Missae festivae adhibent, sed magis pro laboribus aut oblectationibus et similibus. Dominica etiam e vita sociali magis magisque evanescit, quia in pluribus fabricis labores industriales non amplius silent et in non paucis regionibus sic dicta hebdomada currens (i. e. hebdomada, in qua non amplius dominica, sed alius dies hebdomadae pro operariis liber est) inducitur aut iam inducta est.

Ideo ibi aut alio convenienti loco aliquod verbum in hac re necessarium esset, ut Concilium vocem suam tum ad saeculares potestates cum ad singulos possidentes fabricarum sicut et ad omnes fideles dirigat, ut Ordo vitae christianus e diebus festivis et ferialibus constans observetur, quia eius omissio aut negatio non sine detrimento pro genere humano esse possit.

4. Ad art. 37 (non minus ad art. 41 et 44) qui ob innovationes inconvenientes nonnullas difficultates causare videtur, forte tantum aliqua verba in genere, quae forte ad investigandam rectam viam in hac materia utilia esse possunt, nempe.

[2] ad simpliciorem formam redigendis (*A.A.S.*, 47 [1955], p. 218). [3] ne earum emendatio diutius protraheretur. [4] statuerentur. [5] applicarentur.

5

Exc.mus P. D. CAROLUS FERRARI
Episcopus Monopolitanus

Venerabiles Patres,

De hoc II capite aliqua humiliter sentio et breviter propono.[1]

1. Mihi videtur quod schema huius II capitis ex duplici titulo commendari debeat.

Imprimis propter sobrietatem partis doctrinalis: etenim repetere non praesumit « ea quae Patres ac theologi veteres et recentiores tradiderunt... ad hoc — *ut rem dicam cum verbis*[2] Summi Pontificis — non opus erat ut Concilium Oecumenicum indiceretur ».

Commendatur quoque propter studium patienter elaborandi aptiora principia pastoralia, *quae sunt necessaria in novo Ecclesiae conamine*[3] ad « plenius », « altius » et « amplius » tradendum nostris temporibus salutis nuntium. In hoc plane concordat intentio schematis cum mente Concilii a Summo Pontifice solemniter declarata.

Hanc igitur mentem commissionis praeparatoriae, quae expressiones desumit magis ex theologia biblica quam ex theologia scholastica, ut congruum est Magisterio pastorali, defensam vellem et commendatam.

2. Schema de sacra Liturgia non est constitutio dogmatica; attamen nulla theologia pastoralis construitur sine principiis. Opto ergo ut in introductione ad decreta huius capitis, inter sextam et septimam lineam locus detur brevi declarationi fundamenti dogmatici participationis fidelium ad Sacrificium eucharisticum, ita ut efficaciter revocetur carentia verae potestatis sacerdotalis conficiendi Sacrificium in christifidelibus; itemque salutariter declaretur eorum capacitas sacerdotalis Sacrificium offerendi. Sic clarius apparebit quod in sequentibus lineis dicitur.

3. Circa art. 37, pag. 174: de novo Ordine Missae instaurando. Adhuc desideratur in Liturgia, inter Missam solemnem et Missam simpliciter lectam, improprie « privatam » dictam, Missa magis communitati accommodata, in qua scilicet, ad normam n. 27 primi capitis, per actiones, per gestus, per habitus corporis, per acclamationes, responsa et cantica, foveatur illa dispositio animi quae ad optatam participationem fideles ducat.

Exopto ergo ut Ordo huius Missae aequa harmonia conciliet quae celebrantis et quae christifidelium sunt. Erit nova et peropportuna occasio practice demonstrandi quod possunt fideles et quod non possunt.

Ne desit, quaeso, ad n. 39 ubi loquitur de homilia, commendatio praecipuorum fontium, scilicet Scriptura, Liturgia, Patrum et Ecclesiae Magisterium. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] sunt verba. [3] quibus nitatur novum Ecclesiae conamen.

6

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis - episcopus Squillacensis

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Quasdam brevissimas animadversiones pono.

1. In redactione definitiva prooemii ad hoc cap. II, ne dedignentur commissarii prae oculis habere quae edicuntur in Concilio Tridentino, in sess. XXII, in cap. 1, ne in textu aliquid inconveniens aut expressio a doctrina communi discrepans irrepat.

2. Ad n. 37. Praeoccupatio de faciliore participatione fidelium ad Missam ne *ultra fas* extendatur. Praecipue in nullo tangatur Canon Missae, cum idem Concilium Tridentinum — in eadem supra citata sessione, in cap. 4 — declaraverit Canonem Missae esse ab omni errore purum (cf. etiam can. 6) et ipsum extulerit cum constet — *sunt verba Concilii*: [1] — « ex ipsis Domini verbis... ex Apostolorum traditionibus ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus » (cf. DB 942, 953).

3. Ad n. 39. De homilia in Liturgia verbis generalioribus tractetur quaestio. Praeceptis disciplinaribus normae aptiores tradantur.

4. Ad n. 40. Oratio communis fidelium retineatur uti nunc est, in forma solemni, in feria sexta Tridui sacri. In forma quadam litanica addi posset in Missis festivis Adventus et Quadragesimae ante Offertorium; et etiam in quibusdam aliis Missis: v. g. in festo Christi Regis: pro pace universali; in die Missionali: pro diffusione Ecclesiae in mundum; in die pro vocationibus ecclesiasticis: ad implorandas vocationes. Demum statui faciliter possent formularia litanica (non plus quam septem invocationes) ad varias occasiones: v. g. in festo S. Ioseph Opificis, pro operariis; in festo Patronorum nationum, pro prosperitate Patriae; initio anni scholastici, pro fructuosis studiis; etc.

5. Ad n. 42. Circa Communionem sub utraque specie, meo quidem iudicio, non recedendum videtur ab actuali disciplina, nec in ipsa Missa in qua conferuntur sacrae Ordinationes, etiam presbyteratus. Rationes potiores sunt: ad evitandam admirationem in populo et ad leges hygie-

nicas servandas. Perdurant adhuc rationes practicae ob quas in occidente ad Communionem sub specie panis tantum deventum est.

6. Ad n. 44. De concelebratione. Praescindendo a casibus *particularibus*,[2] puto maximam considerationem faciendam esse de petitionibus monasteriorum, monachorum et aliorum qui vitam communem degunt in gloriam Dei.

7 et ultimo. Unum addo, circa titulum secundae partis huius capitis qui inscribitur « De concelebratione sacramentali ». Dicendum esset potius: « De concelebratione Missae » vel « de concelebratione Sacrificii eucharistici ». Nam quotquot ad sacram mensam accedunt agunt concelebrationem sacramentalem seu frequentant idem Sacramentum; sed hic agitur de sacerdotibus ministris qui una simul, *uno ritu*,[3] unam Missam seu unum Sacrificium eucharisticum celebrant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] peculiaribus. [3] deest.

7

EXC.MUS P. D. CAROLUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

Venerandi Patres,

Legam animadversionem [1] ad n. 37, pag. 176, lin. 17: « De Missae Sacrificio ».

Structura Missae in ritu latino — *structuram dico*:[2] forma, ordinatio caeremoniarum et orationum, modus cunctus quo Missa celebratur *in ritu latino* — *omnino* [3] permanere debet ut nunc est, nec in generali dispositione nec in singulis partibus ulla recognitio facienda, etsi aliqua, e. g. « Lavabo », minus bene introducta esse videantur. *Minora* [4] quidem, quae structuram non tangant, possent innovari. Rationes:

Prima: Ritus latinus a primo saeculo christianismi venit in suis elementis basicis; ab aevo Martyrum, a quibus compositus fuit ea sensuum, fidei, pietatis, fortitudinis sublimitate, quae illis heroicis temporibus inhaerebant; utpote postea decursu saeculorum varia nova ab aliis sanctis et doctis viris, perpauca *quidem*,[5] eodem autem traditionis spiritu advenerunt. Immo suppositiones fundatae exsistunt, quod ritus romanus ab ipso S. Petro Apostolo in suis fundamentis exaratus est. Suspicatur ritum romana lingua in usu fortasse fuisse pro minus instructis, qui *tunc* [6] graeca lingua non pollebant, cum Liturgia *eo tempore* [7] graece litaretur.

Secunda ratio. Structura Missae, ut facta est, summum artificium repraesentat, litterarice, liturgice, canonice, iuridice, quocumque modo consideretur *est artificium.*[8] Est poesis perfecta! Adiungendo pietatis elementa omnes et graecorum maximas artes superat...[9]

Ritus latinus in romana vetere sobrietate fundatur (est *tertia ratio*): simpliciter...[10] immo simplicissime preces profert. Eo ipso liquide rem ostendit. Eo ipso ad pietatem uniuscuiusque, prout maluerit, inservit, quia sensus suos unusquisque ad verba et caeremonias applicare quit, ut Spiritus ei insufflaverit quocumque momento. Eo ipso quoque pro participatione fidelium, etiam in eis quae pro lingua vernacula schema providet, fidelium omnium nationum et conditionum maxime confert.

Quarta ratio. Si inceperimus quidquam mutare, non invenietur finis. Nam unus est contra manipulum; alter contra duas ex tribus orationibus ante Communionem; tertius se vertit contra « enim » et « mysterium fidei » *in Consecratione; unus vult S. Ioseph in Canone; alter dicit S. Antonium Paduanum esse sanctum totius mundi... Non pergam, venerandi Patres, quia esset repetitio earum rerum quae iam dixi, etsi graviora hic scripsi.*[11]

Conclusio: Teneamus quod habemus; forsitan, sine dubio, *minora*[12] quaedam melius expurgari sunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] structura. [3] — structura Missae in ritu latino omnino. [4] Minutissima. [5] deest. [6] deest. [7] tunc. [8] deest. [9] Tota S. Petri haec Basilica non attingit artificium nostri ritus. [10] ultra simpliciter. [11] (dicitur, quin aspectent veredictum Concilii vel Sedis Apostolicae, quosdam iam hodie illa verba iam non pronunciare in Consecratione). Et ita porro. Vellem, Patres beatissimi, me in manu habere scripta illa perniciosissima, quae mihi sacerdos quidam iam ante 30 annos legenda tradidit, quibus quam multa in Liturgia nostra in despectum trahebantur. Casula irridetur (chabsula erat vestis superior operariorum; ergo, dicunt, nos etiam veste nostra, qua ad opus nostrum quotidianum imus, Missam offerre debemus). Ludibrium faciebant de tribus *Ave* post Missam, et *Et cum spiritu tuo* ab ipso sacerdote sibi ipsi respondendo, de secundo mendace nocturno et de aliis, iam ante 30 et plus annos, subrepticie autem. Nunc aperte. Coelibatus episcoporum turpissime in dubio ponebant; hodie coelibatum abrogare, si possent, aperte satagunt. Dicunt se multo melius domi lectione S. Scripturae instrui, quam in Ecclesia pericopis, quae aliquando infeliciter electae sint in Missis. Cur audire illas, vel explicationes boni et pii, sed male instructi parochi, qui nesciat ulteriores conclusiones scientiae exegeticae? Exinde nolunt amplius ante-missam usque ad Offertorium, nisi ipsum solum initium, eo quod non essent catechumeni, nec ab indocto quodam sacerdote doceri eis opus esset. [12] minuscula.

8

EXC.MUS P. D. ALBERTUS COUSINEAU
Episcopus Capitis Haitiani

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Sequentes duae animadversiones ad quaedam particularia proponendae necessario mihi videntur.

1. *Ad art. 44*. Quod ad concelebrationem sacramentalem attinet, quam, secundum sensum clare enucleatum ab em.mo card. Paulo Aemilio Léger, magis foveo, mihi bonum videtur, Patres Concilii, animadvertere hunc modum agendi, praesertim hodiernis temporibus, cum usus Missae privatae magnae aestimationis est ubique in Ecclesia, aspectum communitarium Missae clarius manifestare atque expressionem unitatis Sacrificii in Ecclesia perfectiorem esse.

Praeterea, tantum abest ut fratres nostri separati dicant nosmetipsos aberravisse, sicut nobis significatum fuit, malo aestimare eos nobiscum gaudere de innovationibus, quas hoc sanctum Concilium introducere non timet ad utilitati Ecclesiae respondendum.

Quibus rationibus addam quod concelebratio sacramentalis in quibusdam regionibus magno adiumento erit, praesertim in regione Capitis Haitiani, ubi ministerium meum impleo. Fideles nostri enim, et in genere tropici populi, nisi fallor, in hoc conveniunt quod propensi sunt ad credendum semetipsos, concursu populi communique actione, vires suas vitales recuperare et exercere atque ita participes fieri validioris vitae.

Procul dubio autem actuosa, conscia et pia participatio fidelium nostrorum Sacrificio Missae, ubi viderent, occasione data, sacerdotes eorum concelebrantes, eis fortius et expressius quam multae catecheses exprimeret hanc fundamentalem veritatem christianam: unum est Christi Sacrificium quod nobis omnibus, sacerdotibus fidelibusque, dat vitam superabundantem.

2. *Ad art. 37*. Altera animadversio votum est, quod sic enuntio: introducatur intra Missam nomen Beati Ioseph, Sponsi Beatae Mariae Virginis, ubicumque nomen Beatae Virginis Mariae nominatur.

Nihil enim opportunius mihi videtur, quam ut, recognitione Ordinis Missae nunc peragenda, istud votum multorum cardinalium, episcoporum atque superiorum Ordinum Congregationumque religiosarum demum exaudiatur.

Verum est enim S. Ioseph iam multos atque summos liturgicos

honores Ecclesiae habuisse; nondum tamen nomen eius intra Missam introductum est.

Quidam autem Patres Concilii Vaticani I vota in hoc sensu proposuerunt. Mihi perfacile esset Romanorum Pontificum actus a centum annis peractos ad S. Ioseph cultum promovendum enumerare. Quod bene vobis notum est.

Vestrum animum solum in memoriam revocabo Pium Pp. IX, ipso Concilii Vaticani I anno, S. Ioseph Catholicae Ecclesiae Patronum solemniter declaravisse; Pium Pp. XI, in Litteris Encyclicis *Divini Redemptoris,* navitatem Ecclesiae auspiciis atque tutelae S. Ioseph concredidisse; Pium Pp. XII festum S. Ioseph Opificis instituisse, qui omni coetui operario exemplo sit atque praesidio, aptissimeque hoc festum kalendis maiis celebrari iussisse; Ioannem Pp. XXIII, dilectissimum Pontificem regnantem, Concilium Vaticanum II posuisse sub patrocinio S. Ioseph, augusti Nazarethanae familiae custodis atque sanctae Ecclesiae Protectoris.

Non aestimo esse necessarium ut coram vobis exponantur rationes omnes quae militant pro voto iam enuntiato in honorem S. Ioseph. Quae rationes ordinis theologici, moralis et socialis bene a vobis cognitae sunt. Satis est animadvertere, venerabiles Patres, tempus nunc esse ad finem ducere actionem admirabilem a Summis Pontificibus tam feliciter peractam, approbando votum iam propositum.

Et sic responderetis ad votum Hierarchiae tam ritus latini quam ritus orientalis recenter ad Sacram Congregationem Rituum missum. Cui petitioni enim nomen suum subscripserunt:

Em.mi cardinales	30
Exc.mi patriarchae, archiepiscopi atque episcopi	400
Rev.mi superiores generales	60
Universitates	16

Omitto omnes rationes recensere istorum documentorum quae tradere audeo commissioni liturgicae. Verbum unum amplius addam.

Si hoc propositum enim in sollicitudinem nos adducat de « Actione oecumenica », nonne rursus dicere possumus nos, ipso voto, non aliud intendere quam ad id perficiendum quod tam feliciter exortum est, cum Ioannes Pp. XXIII hoc Concilium sub patrocinio S. Ioseph posuit?

Ideo, venerabiles Patres, humiliter vos rogo atque obsecro, ut omnibus his rationibus obsequamini et, ad maiorem Iesu Christi gloriam, intra Missam introducatis nomen Ioseph ubicumque nomen Beatae Mariae Virginis nominatur. Dixi.

9

EXC.MUS P. D. HENRICUS JENNY
Episcopus tit. Lycaonensis, aux. Cameracensis

Venerabiles Patres,

Veniam mihi dare velitis ut aliqua dicam de n. 37: « Ordo Missae recognoscatur ».

Hic numerus maximi est momenti in cap. II.

Aliqui ex Patribus interrogant: cur et quomodo recognoscendus Ordo Missae? Profecto clarius scire debemus de quanam re hic *praecise* [1] agatur.

Responsionem audire velitis, venerabiles Patres. Si obscura verba sunt huius n. 37, hoc accidit post « declarationem » suppressam, quam paraverat commissio de Liturgia, necessariam omnino ad mentem istius recognitionis intelligendam.

Non cuiuscumque reformationis cupidi, nec novationis malo pruritu accensi, non ad contrahendam Missam neque gravandam, sed potius gloriae Domini zelo ac sanctissimae Missae amore inspirati, in commissione praeparatoria, pastores una cum peritis, et quidem illustribus, enixe adlaborarunt.

Hodiernus enim Ordo Missae qui decursu saeculorum succrevit *certe* [2] retinendus est. Nonnulla tamen passim emendanda videntur, ope studiorum quae peracta sunt sive circa originem sive circa evolutionem singulorum rituum, ita ut cuiusque partis natura et significatio in clariore luce ponatur, nec non fidelium participatio... [3] facilior reddatur et ideo Pater noster et Dominus melius a populo sancto per Iesum Christum cognoscatur, ametur et adoretur.

Et ideo, antequam declarationem ipsam integram prae oculis habeamus, nunc sufficit, Patres venerabiles, *sed necessarium est,* [4] ut illius puncta maioris momenti breviter complectamur ac *ita* [5] de principiis pro reformanda Missa clare doceamur.

1. Preces ad gradus altaris aliquatenus minuendae.

2. Clarius distinguendae duae partes Missae: Liturgia nempe verbi et Eucharistica; quod obtineretur cuiusque locum separando: pro Eucharistia locus est altare; pro Liturgia verbi, versus populum: sedes et ambones.

3. Rariores in Missa fiant cruce signationes, altaris oscula, genuflexiones et alia huiusmodi.

4. Ritus Offertorii ita describatur ut populi participatio magis ap-

pareat. Orationes sacerdotis, quae potius privatam vel singularem pietatem sapiunt, recognoscendae; oratio super oblata clara voce dicenda.

5. In Canone Missae, preces praecipuae, saltem doxologia finalis, elata voce dicantur ita ut populus clamare valeat: Amen, quod in fine tantum exstare deberet.

6. Fractio hostiae et Pax melius ordinentur.

7. Formula ad Communionem brevior sit: « Corpus Christi », cum responso « Amen ».

8. Missa compleatur benedictione sacerdotis et formula dimissionis.

9. Missa solemnis cum diacono *in ordinaria praxi* [6] restituatur.

10. Missa Pontificalis simpliciori ritu celebretur.

Illa sunt puncta principaliora.

Cum Missa, praesertim dominicalis, populo Dei tantum afferat ad laudem Domini maiorem, ad fidem nutriendam, ad animas salvandas, oportet ut illud Missae Sacrificium, in suis partibus *splendorem et* [7] aequilibrium, in suis varietatibus *unitatem,* [8] in suis momentis *viam* [9] ascensionis ad Patrem omnibus fidelibus manifeste demonstret. Talis est multorum spes in recognoscendo Ordine Missae.

Itaque emendationem scriptam trado exc.mo Domino secretario, quae clariorem reddat n. 37. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] actuosa. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] splendorem. [9] unitatem.

10

Exc.mus P. D. ANDREAS PERRAUDIN
Archiepiscopus Kabgayensis

Venerabiles Patres,

Nomine Conferentiae episcopalis de Ruanda et Burundi, sequentes propositiones facimus:

1. Relate ad nn. 37, 38 et 39 cap. II schematis de Liturgia. Liturgia verbi intra Missae celebrationem practice est quasi unicus modus quo adhuc instruuntur fideles, praesertim adulti. Ergo hoc modo fideles totam doctrinam christianam discere debent. Hanc ob rem, Liturgia verbi intra Missae celebrationem praestare locum debet ad docendum totam doctrinam christianam.

Hac ratione petimus ut Missali Romano inserantur lectiones Sacrae Scripturae aptae ad hunc finem obtinendum. Haec instructio per-

trahi posset per spatium duorum vel trium annorum, salva tamen historia salutis, in primis ea qua commemoratur Incarnatio, Passio, Resurrectio et Ascensio Domini Nostri Iesu Christi, nec non Adventus Spiritus Sancti et Eschatologia.

2. Relate ad n. 41. Optamus ut deleantur verba « sublato fidei periculo », quae iniuriosa videntur esse Christo ipso et eis qui Christum sequuntur in hac praxi.

3. Relate ad n. 44. Nos coniungere volumus em.mo card. Léger roganti, ut concelebratio restituatur secundum modum a commissione praeparatoria elaboratum. Immo et praecisionem relate ad stipendium *inseri* [1] volumus textui schematis, nempe quod: « dispositio can. 824 Codicis Iuris Canonici relate ad stipendium Missae valet pro unoquoque concelebrante ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] inserere.

11

Exc.mus P. D. PAULUS BARRACHINA ESTEVAN
Episcopus Oriolensis-Lucentinus

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

In n. 37 cap. II dicitur: « Ordo Missae ita recognoscatur sive in generali dispositione sive in singulis partibus... », etc. Haec dictio ambigua videtur. Finis huius numeri clara perceptio et activa participatio est, ut patet; qua de causa parvas videtur innovationes postulare, eo magis quod emendatio maioris momenti in sequentibus numeris exprimitur. Attamen textus ansam duabus propensionibus extremis praebet: aut integrae nempe commutationi Missae, aut deficienti aptationi, ut patet. Quapropter nonnulla addam dictis, relate ad traditionem et progressionem simul.

Ut haec verba n. 37 iusto pondere et extensione donentur, consentaneum erit historiam ipsam Ecclesiae recolere. « Ad sacras Liturgiae fontes, mente animoque, sapiens profecto ac laudabilissima res est », ut ait Pius XII in Encyclica *Mediator Dei.*

Re enim vera, facile est Missam hodiernam cum primigenia conferre. S. Iustinus, saeculi II (*Apologia* I, cap. 67), verbis praecisis partes Missae enuntiat...;[1] cuius comparationis gratia, apparet Missae structuram eamdem ac hodiernam esse...[2] Et ita omnibus subsequentibus saeculis servatur. Testis est Didascalia quae Missam saeculi III de-

scribit, et « Ordo Romanus » primus, ubi singulae partes Missae saeculi VII et VIII enumerantur.

Verum est *etiam* [3] efficientiam gallicanam, maxime sub Francorum imperatoribus, multum valuisse, et illae praecellenti et antiquae doctrinae suas caeremonias et nimias orationes addidisse. Sed Missa eadem ad Tridentinum Concilium pervenit. Cuius rei traditio tanta erat ut ante 1562, annum decreti huius Concilii Tridentini...,[4] ipsis dioecesibus innovare Missae ritus licebat, quin corpus tamen Missalis mutare possent. Quam doctrinam Concilium Trevirense et Moguntiacum, inter alios, tamquam veram et unicam habuerunt.

Cum ergo eadem sit structura Missae ac temporis S. Iustini, qui certo immediatos successores Apostolorum cognovit, evidens et definitive apparet Missam nec mutari nec variari posse in hac structura.

Quam ob rem legitur in prooemio sessionis XXII Concilii Tridentini: « Ut vetus ... fides atque doctrina retineatur et in sua puritate conservetur »; et S. Pius V, in Bulla anni 1570, ait: « Qui quidem (agit de peritis) ad pristinam sanctorum Patrum normam ac ritum Missale ipsum restituerunt »...[5]

Neque tantum de nuda structura Missae loqui debemus, sed etiam de aliis partibus, dictionibus, verbis, quibus illae partes essentiales in proprio suo sensu, theologico et ecclesiastico, definiuntur. Asserere enim debemus, teste historia et Traditione, saeculum III et IV eminere, in Liturgia, puritate doctrinae, et VII et VIII simul in splendore cum actuosa participatione fidelium, ut satis demonstratur ex ipsa Missa stationali Romae. Quae omnia, Patres Tridentini, cum optime nossent, dixerunt: textus non mutandos esse, sed intelligendos. Ipsumque Concilium solemniter declaravit non tantum nullos continere errores, sed loquitur etiam « de intellectione verborum et perceptione », uti nos loquimur.

His omnibus de causis dicendum est: *a*) schema vel structuram Missae servandam esse; *b*) doctrinam firmam stare, et multis in locis aptam et consentientem esse huic fidelium participationi, quare retinendam esse; *c*) cum ita res se habeant, maxima cum prudentia agendum esse: ob eius sanctitatem, ob eius in saeculis permanentiam et ad vitandum scandalum.

Sed etiam certum esse affirmare debemus, nonnulla elementa, aliena ipsi Missae, cumulavisse aetate media. Et praeterea consulere necesse est opportuniori adaptationi fidelium conditionibus.

Hac de causa, praeter ea quae in n. 38 et sequentibus dicuntur, illa proponere audeo, quae ab aliquo dicta sunt: relate ad preces ante altare, ad distinctionem partis didascalicae et sacrificialis, etc. ...[6]

Activa participatio fidelium haec duo praerequirit: Accessum Missae

ad fideles, hac prudenti revisione consequendum; et fidelium accessum ad Missam, potissimum ex illa instructione directa quae primus modus et primus medius visus est sanctis Patribus.

Ultimo: Agendo de concelebratione, in n. 44, sub littera *b*), et n. 45, semper mentio fit de licentia Ordinarii tantum...[7] Iudico licentiam vel iudicium semper pertinere Ordinario *loci,* nisi agatur de convenientia alicuius communitatis, utique exemptae, sed pro suo regimine interno, absque adsistentia populi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] his verbis loquitur: « In eundem locum fit conventus ... commentaria apostolorum aut scripta prophetarum leguntur ... is qui praesit admonitionem et adhortationem facit ... preces emittimus ... panis offertur et vinum ... qui praeest preces et gratiarum actiones totis viribus emittit ... distributio fit et communicatio ... ». [2] ut apparet. [3] deest. [4] (de « observandis et evitandis in celebratione Missae »). [5] Illis quidem temporibus asserebatur Missam opus esse perfectissimum nec reformari posse. Quae verba in omni sua extensione nimia sunt. Et ipsum Tridentinum, quod agnovit miram illam pristinam participationem fidelium, nihilominus illas aptationes non quaesivit. Sed nobis affirmandum est: adiuncta opportuna non esse ad hanc reformationem; et Missam praecipue tuendam esse et ab haereticorum impugnationibus, et ab irreverentiis et superstitionibus clericorum. [6] *a*) Preces ante gradus altaris breviores fiant. *b*) Pars didascalica accuratius a sacrificali parte distinguatur: cuius rei gratia, sacerdos, post salutationem, versus populum ipse maneat, ut lectionem et evangelium recitet. *c*) Missa verbis « Ite Missa est » et « Benedictione » finiatur. [7] Unicum sacrificium, nisi ob necessitatem vel devotionem fidelium, esset, utique celebrandum. Ideo videretur agi in casu de licentia Ordinarii loci. Sed quia aliquando pro communitate aliqua, exempta ab Ordinario loci, possit esse conveniens illa celebratio; dummodo non sit concelebranda cum assistentia populi vel fidelium, licentia, tantum in hoc casu.

12

Exc.mus P. D. AUGUSTINUS LOPES DE MOURA
Episcopus Portalegrensis-Castri Albi

Em.me Praeses, Patres venerandi,

Ad cap. II, n. 38: *Lectiones in Missa.* Magna cum reverentia prosequens mentem illorum qui hunc textum vel confecerunt vel adprobaverunt, tamen, mea humili sententia, non videtur undequaque placere.

Etenim praestantior pars Scripturarum legenda populo proponitur, quin talis praestantia prae oculis habenda sit in textibus seligendis, aliqua ratione declaretur, immo definiatur.

Omnes nos noscimus S. Paulum iudicavisse se aliquid scire inter Corinthios nisi Iesum Christum et hunc crucifixum (*I Cor.* 2, 2), quem sacrificio Missae praesentem, sese Deo Patri offerentem « pro nostra omniumque salute », unanimiter credimus. Ita etiam pro hominibus quibuscumque, in hoc mundo qualibet conditione degentibus, qui omnes, sciant vel nesciant, viatores sunt mansionem Patris petituri, nonne Christus ipse unice est pro omnibus via, veritas, vita?

Igitur seligendi videntur textus in quibus via ad Patrem apprime demonstratur, v. g. parabolae de filio prodigo et de divite et Lazaro; colloquium Christi cum Nicodemo, ordinem supernaturalem innuens; cum muliere adultera et Zachaeo, misericordiam extollens; cum Samaritana, oecumenismo favens; necnon colloquium de iudicio finali habiturum, etc. — quae omnia, incredibile dictu, in Missa dominicali usque adhuc omnino desiderantur.

Veritas et vita cum Christus sit, etiam et simul, et S. Paulus confiteatur: « Si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam..., caritatem autem non habuero, nihil sum », praestabit innuere quod selectio textuum aggredienda vere theologica sit, i. e. respiciat in omnibus finem a Christo sibi, et nobis consequenter, propositum: « Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant ».

Haec omnia redundantia mihi visa non sunt eo vel magis quia, hisce praesertim temporibus, conatus fiunt ut textus Scripturarum ita diabolicis interpretentur insidiis ut illationes etiam atheismum redolentes exsecrando ausu deducantur.

Quibus omnibus perpensis, iuvat proponere ut textus sub n. 38 sic, plus minusve, redactum iri: « Ut fidelibus cum mensa eucharistica etiam ditior mensa verbi Dei paretur, divitiae Sacrae Scripturae ita seligantur ac distribuantur ut: 1) primatum teneant quae Christum Dominum — viam, veritatem, vitam — vel praefigurant vel demonstrant; 2) communi auditorum ingenio ad amussim accommodentur; 3) singulis annis pabulum integrum necnon stimuli efficaces sive ad gratiam augendam sive ad conversionem peragendam omnibus largiantur ». Dixi.

13

Rev.mus P. D. BENNO GUT
Abbas Primas O.S.B.

Venerabiles Patres Conciliares,

Plurima [1], quae dicere volui, iam dicta sunt a pluribus venerabilibus Patribus Concilii, imprimis ab em.mo card. Léger et ab abbate generali Cisterciensium.

Tamen mihi permittatis ut insistam in concedenda concelebratione nomine et de mandato plurimorum Patrum *Concilii* [2] ex Ordine Monastico, id est Benedictinorum Confoederatorum, Camaldulensium, Silvestrinorum, Vallumbrosanorum, Cisterciensium, Trappistarum.

Restituatur textus commissioni centrali hac de re propositus, n. 44. Inter rationes a diversis Patribus adductas non potest nimis inculcari ratio oecumenica, propter Ecclesias scilicet orientales.

In familiis religiosis committatur facultas decidendi pro singulis casibus iudicio Ordinarii, id est abbatis vel superioris maioris.

Quoad Communionem sub utraque specie, desiderarem ut in schemate prorsus rari et extraordinarii casus determinentur; et ita propono mutationem n. 42: [3] « Firmo decreto Concilii Tridentini in sessione XXI, Communio sub utraque specie permittitur: 1) Ordinatis ad quemcumque gradum Ordinis sacri, in Missa in qua Ordines recipiunt et de iudicio praelati ordinantis; 2) fidelibus qui emittunt vota publica, sive temporalia sive perpetua, in Missa cui ritus pronuntiationis votorum connectitur, necnon in anniversario vigesimo quinto et quinquagesimo; 3) sponsis in Missa pro sponsis et in anniversario vigesimo quinto et quinquagesimo desponsationis; 4) semper, ut patet, omnibus sacerdotibus in ritu concelebrationis concedendo ».

Patres venerabiles, [4] rogo *vos* [5] quam instantissime ut *faveatis* [6] audire *humilem* [7] hanc vocem turturis ex caverna *maceriae, id est monasterii* [8] clamantem.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] art. 42, pag. 176: de Communione sub utraque specie. Certe melius esset si saltem multis fidelibus dari posset facultas ad litteram oboediendi mandato Domini: accipite et manducate ex hoc omnes ... accipite et bibite ex eo omnes ... Tamen in hodierno ritu romano adesse ad hunc finem attingendum difficultates ordinis practici (quamvis non doctrinalis) negari non potest. Solutio videtur invenienda in accuratissima determinatione casuum in quibus Communio sub utraque specie permittitur, ita ut abusus oriri non possint. Mea quidem sententia, hi casus esse possunt: *a*) ordinationes

pro ordinatis; *b*) emissio votorum pro iis qui ea profitentur; *c*) celebratio matrimonii pro sponsis; *d*) pro omnibus fidelibus dies anniversarius baptismatis. Necessarium non videtur per longum et latum explicare maximam opportunitatem spiritualem et pastoralem, ut in his quatuor casibus Communio sub utraque specie permittatur et cur concessio ad hos casus limitata ansam abusibus praebere non possit. Propono ergo Concilio ut art. 42 ita immutetur. [4] deest. [5] deest. [6] Patres venerabiles Concilii faveant. [7] deest. [8] non maceriae, sed monasteriorum.

Animadversiones additae:

Schema generatim spectatum valde placet. Programma instaurationis liturgicae a S. Pio X susceptum et a suis in Pontificatu successoribus particulari cura promotum, hoc schema modo efficaci et prudenti fovetur.

Placet imprimis quod fundamentum theologicum delineatur, quo praecellens actionis liturgicae dignitas eiusque peculiaris efficacitas innituntur.

Haec pars ab aliquibus in hac aula impugnata est; ea autem videtur omnino necessaria. Si enim vera ac germana Liturgiae notio non profunde enucleatur, non expellitur error eorum qui eam utpote divini cultus partem indicant externam solummodo ac sensibus obiectam vel quasi decorum quendam caeremoniarum apparatum. Qui error in Encyclica *Mediator Dei* deploratus in hoc schemate positiva expositione theologica superatur.

Placet animus vere pastoralis huius schematis, quo actuosa fidelium participatio in cultu sicut oportet iuvatur. Placet summopere quod imprimis principia enuntiantur, ad nimis particularia autem non descenditur. Placet quod necessaria unitate cultus imprimis sacrificalis servata, plura committuntur episcopis, praesertim quod terras missionum attinet. Placet etiam quod in ulteriore principiorum applicatione auxilium alicuius commissionis post-conciliaris ex peritis totius orbis componendae quaeritur.

14

Exc.mus P. D. PAULUS YÜ-PIN
Archiepiscopus Nanchimensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres Conciliares,

Paucissima verba vellem addere [1] de n. 41 cap. II, ubi agitur de Missa cum populo et de usu partiali linguae vernaculae.

Sed ad consciam, actuosam ac faciliorem participationem fidelium in sanctissimis Sacrificiis Missae efficaciter promovendam, mihi videtur linguam vernaculam in omnibus partibus Missae celebratae cum populo usurpari oportet, incluso etiam canone Missae, sed salvo usu linguae latinae in Missis privatim celebrandis, in Breviariis recitandis et in studiis seminariorum. Multae linguae vernaculae sunt idoneae ad usum completum liturgicum, etiam in terris Missionum, v. g. in Sinis quarum lingua scripta, quamvis quater millenariam historiam habeat, nunc adhuc usurpata, non solum apud populum sinensem, sed etiam apud po-

pulos finitimarum nationum, ita ut quasi tertia pars humanitatis hac scriptura quotidie utatur. Haec lingua, toto caelo a lingua latina differens, ideographica, synthetica, monosyllabica, proinde mensuris rythmisque aptior, valde idonea est ad Missale romanum interpretandum ac intellectu facilius reddendum.

Liceat ergo mihi humiliter petere ut saltem diebus dominicis et festis de praecepto, in celebratione Missae cum populo, nihil ei remaneat absconditum vel mysteriosum vel phonetice discordans; quod christifidelibus ritus orientalis clare et harmonice patet, et delicias spirituales afferre numquam desinit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Velim pauca verba dicere.

15

Exc.mus P. D. VILLELMUS MARINUS BEKKERS
Episcopus Buscoducensis

Venerabiles Fratres,

Nomine episcoporum Conferentiae Neerlandicae et Indonesiae laudare velim etiam cap. II.

Indico solum: Sacra Communio sub utraque specie et concelebratio, quia sunt authentica prolongatio usus vere legitimi et in Ecclesia qua tota numquam praetermissi. Secundo, quia concelebratio maxime cohaeret cum intima natura ipsius Sacramenti Ordinis; et tertio quia sub respectu Oecumenico valde momentosa sunt.

Argumenta et alia puncta tradam secretario generali, v. g. ad n. 42: *Auferatur « sublato fidei periculo »* quia: 1) additio includere possit offensionem fratribus orientalibus; 2) periculum ad quod alluditur ne timendum est, secus ipse Christus eligeret aliquod signum periculosum fidei, quod absit. Dixi.

Textus scripto traditus:

In hoc cap. II tanguntur duo problemata, etiam sub respectu oecumenico valde momentosa: nempe de communione sub utraque specie et de concelebratione. Quae de iis in schemate sunt dicta, non sunt inauditae innovationes traditioni sanae obnoxiae, sed e contra sunt authentica prolungatio et, forsan adhuc nimis prudens, perutilis extensio usus veri legitimi et in Ecclesia qua tota nunquam praetermissi. Nomine episcoporum Conferentiae Neerlandicae et Indonesiae laudare velim.

1) Communio sub utraque specie desumitur ex natura sacramenti qua *signi.* Restauratio liturgica pro maxima parte est restauratio authenticae significationis

efficacis ipsius signi sacramentalis. Porro, Christus Dominus in S. Eucharistia elegit signum, scil. panis qui est cibus et vinum quod est potus. Cum practicae difficultates inhaerere possint potationi quotidianae vini eucharistici, tantum vindicamus ut saltem pro certis et determinatis casibus, in quibus commode fieri possit, communio sub utraque specie omnibus concedatur.

2) Ex altera parte concelebratio maxime cohaeret cum intima natura ipsius sacramenti Ordinis. Episcopus enim, circumstantibus et concelebrantibus eius presbyteris, est dux vitae liturgicae fidelium. Etiam si desit episcopus, character collegialis presbyterii speciali modo elucet in ipsa celebratione sacramentali. Valor dogmaticus sacrificii Missae inde sub nullo respectu minuitur, potius eius significatio efficaciore modo exprimitur. Quo efficacior significatur, eo magis ritus liturgicus est invitatio et appellatio ad actuosam participationem fidelium, immo etiam ad fidem et devotionem personalem ipsorum concelebrantium.

Ex his considerationibus in genere repetuntur animadversiones in specie (quae tradam secretario generali). Et quidem:

1) ad pag. 176, n. 42: auferatur « sublato fidei periculo », quae additio includere possit offensionem fratribus orientalibus, dum ex altera parte periculum ad quod alluditur non amplius nec in Ecclesia latina adest; nec timendum est ne per communionem sub utraque specie reiteretur, secus ipse Christus eligeret aliquod signum periculosum fidei, quod absit.

2) Ad pag. 176, n. 44, sub littera *b*) legatur: « ad conventus sacerdotum, praesertim ubi singulae Missae sine incommodo celebrari nequeunt, et de iudicio Ordinarii, salva semper cuiusque sacerdotis libertate individualiter celebrandi, non tamen in eadem ecclesia et eodem tempore ».

16

EXC.MUS P. D. ELADIUS VICUÑA ARANGUIZ
Episcopus Chillanensis

Rev.mi Patres,

Conferentia episcoporum chiliensis ditionis (Chile, Sud-America) votum post maturum examen exaratum secretariae Concilii brevitatis causa tradit.

De duabus autem quaestionibus volo apertius mentionem facere *valde breviter.*[1]

1. Ut duae partes Liturgiae Missae, verbi scilicet et sacrificii, probe inter se distinguantur, oportet ut eisdem loci diversi assignentur. Altare locus proprius est sacrificii. Liturgia autem verbi ita celebrari decet ut populus ad eam optime attendere possit. Quod sane obtinebitur si ad ambones vel ad alium idoneum locum fiat. Haec etenim sacrae Liturgiae pars ad erudiendum populum ordinatur; itaque ex natura sua expostulat ut sacer minister magistri partes agat.

Lex ergo hac in re sit christiani populi profectus. De quibus prae-

clarum exstat in Liturgia pontificali exemplum, ubi lectiones non fiunt ad altare.

2. Omnes omnino episcopi chilienses *sine ulla exceptione* (*sumus viginti et quinque praesentes, cum nostro cardinali*),[2] pastoralibus de causis vehementer permoti, enixius postulant ut Sacrosanctum Concilium admittat, praesertim in iis quae ad populi instructionem pertinent, vernaculae linguae usum. Ego ex toto corde — *ex toto corde*[3] — adhaereo sapientissimis verbis in hoc sensu iam ab aliis Patribus prolatis.

Liceat mihi denique paucis verbis meam mentem aperire circa Concilii munus.

A Romano Pontifice convocati sumus ut opportunas mutationes inducamus. Venerabiles quidem sunt traditiones, sed si quandoquidem in animarum detrimentum vergant, mutari possunt ac debent.

In hoc Concilio, occasio in vita nostra unica nobis praebetur in praxim deducendi quod Summus Pontifex non semel « Aggiornamento » nuncupavit.

Haec est sacerdotum et populorum nostrorum *magna*[4] spes. Non claudamus hanc portam, ut ait em.mus card. Bea in hac aula conciliari. Sonet in auribus nostris Redemptoris verbum: « Misereor super turbam ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest.

Animadversiones additae:

Emendationes quae ad cap. II constitutionis de S. Liturgia « De Sacrosancto Eucharistiae Mysterio » a Conferentia episcoporum chiliensium proponuntur.

Ad § 37. Pag. 175, post lin. 20: Addatur nova paragraphus: « Cum in Missa sint partes ex natura ab invicem distinctae, liturgia nempe verbi et sacrificii, locus proprius unicuique earum tribuendus est, ita scilicet ut populi christiani mysteriorum intelligentia facilior reddatur et insuper actuosa eius participatio foveatur. In futuro ergo licitum sit in Missis cum populo, Liturgiam verbi ad ambones vel ad alium idoneum locum, sicut in ritu pontificali, celebrare ». *Ratio*: Commissio praeparatoria de S. Liturgia optime notaverat, altare esse locum proprium sacrificii, Liturgia autem verbi, quae ad fidelium mentes illustrandas celebratur, peropportune ita disponi deberet ut populus ad lectiones et earum expositiones quam maxime attendere posset.

Post vero supralaudatam paragraphum additam, etiam sequentia addenda proponuntur: « Hodiernus Ordo Missae, qui saeculorum decursu succrevit, retinendus est; nonnulla tamen passim recognoscantur, praesertim sequentia:

a) Rariores fiant in Missa crucesignationes, altaris oscula, genuflexiones, inclinationes et alia huiusmodi.

b) Preces ad gradus altaris aliquatenus minuantur.

c) Praefationum numerus augeatur, canon recognoscatur eiusque finalis doxologia elata voce recitetur.

d) Fractio hostiae et pax melius ordinentur.

e) Formula distributionis S. Communionis brevior admittatur, scilicet: « Corpus Christi. Amen », tota a ministro recitata.

f) Tres orationes ante S. Communionem elata voce recitentur.

g) Numerus orationum pro liturgica gratiarum actione augeatur.

h) Usus vini in ablutionibus tollatur, ac

i) Missa compleatur benedictione sacerdotis et formula dimissionis: « Ite, Missa est ».

Ratio harum emendationum est desiderium ritum romanum ad pristinam suam formam revocandi, elementa adiectitia auferendo, simplicitatem quaerendo et simul antiquas divitias quae ad pastorale bonum conferunt renovando. In specie optandum est ut gratiarum actio liturgica augeatur ad spiritualem profectum fidelium, ne ex abbreviatione partis finalis Missae, veneratio erga sacramentum minuatur.

Ad § 39. Pag. 175, lin. 25: Paragraphus sic emendanda proponitur: « Homilia, tamquam pars ipsius Liturgiae, diebus dominicis et festis de praecepto nonnisi gravi ex causa omittatur ». *Ratio*: Momentum expositionis Ss. Scripturarum maximum est pro populi de historia salutis institutione. Homilia multum confert ad aedificationem animarum, ad amorem erga Ss. Scripturas excitandum nec non ad veram doctrinam in christifidelium animos imbuendam.

Et addatur: « Episcoporum est homiliae praedicationem urgere et insuper de ea practicas normas etiam ad materiam quod attinet statuere ». *Ratio*: Animarum ex iure divino pastores ius habent ad praedicationem informandam ita ut ad populi necessitates optime aptetur, quin opportuna sacerdotum libertas tollatur.

Ad § 41. Pag. 176, lin. 4: Nova redactio proponitur: « Linguae vernaculae in Missis cum populo congruus locus tribuatur ad normam § 24 huius constitutionis ». *Ratio*: Vitentur exempla quae possunt rem difficiliorem reddere aut coangustare. Collatio § 24 constitutionis fit secundum novam eius redactionem ab em.mo D.no card. Radulfo Silva, pro primo capite propositam, nomine omnium ditionis chiliensis episcoporum.

Ad § 42. Pag. 176, lin. 8: Paragraphus sic immutanda proponitur: « Communio sub utraque specie pro certis casibus a S. Sede bene determinatis tum clericis et religiosis, tum laicis concedi potest ». *Ratio*: Orientalium Ecclesiarum consuetudo hac innovatione maxime honoratur; sensus sacrificalis liturgiae eucharisticae apertius proponitur, devotio denique erga pretiossimum Domini Nostri Iesu Christi Sanguinem sic profundius fovetur. Novus textus praescindit de periculo fidei, quia hodie non est probabilis, et insuper de iudicio episcoporum, ne diversitates in disciplina eucharistica oriantur.

Ad § 43. Pag. 176, lin. 14: Omittatur verbum « intrinsece ». *Ratio* est quia nimis probare videtur, et insuper quia sensus huius vocis ita analogus est ut nonnisi declaratione aliqua adhibita uti possit.

Ad § 44. Pag. 176, lin. 21. Casus concelebrationis sic proponuntur:

a) Ad Missam Chrismatis et in Coena Domini.

b) Ad Missam conventualem et ad Missam principalem ubi plures sacerdotes adsunt quorum singularis celebratio ad utilitatem fidelium non requiritur, salva semper cuiusque sacerdotis libertate singulariter celebrandi, non tamen in eadem ecclesia eodemque tempore.

c) Ad conventus sacerdotum ubi singulae Missae sine incommodo celebrari nequeunt, de iudicio Ordinarii, et

d) Ad extraordinarias celebrationes festivas, item de Ordinarii iudicio.

Ratio: Concelebrationis causa non est proprie et quasi exclusive impossibilitas singularis celebrationis plurimorum sacerdotum. Concelebratio enim est, imprimis, liturgicae traditioni consentanea, qua collegialitas presbyterii ac sensus communitarius Ecclesiae et proinde Liturgiae manifestissime apparent. Fraterna ad invicem sacerdotum dilectio eorumque cum episcopo coniunctio concelebratione roborantur. Ac denique usus orientalium ecclesiarum honoratur sicque caritatis et unitatis opus fovetur. Textus propositus fere ad litteram ex schemate commissionis pontificiae de S. Liturgia desumptus est.

17

Exc.mus P. D. PAULUS SEITZ
Episcopus Kontumensis

Venerabiles Patres,

Vellem afferre plenum assensum meum articulis 42 et 44, ratione habita evangelizationis societatum, nondum technicarum, antiquiorem religiosum cultum iam habentium.

Plurimi centeni milleni aborigenes degunt in summa planitie Vietnam. Vigesima pars evangelizatur. Singuli ad fidem se convertunt, sed societas non fit christiana. Adest revera paucitas operariorum evangelicorum sed maximo impedimento est expressio totius religionis, speciatim forma Liturgiae nostrae quae ad horum hominum desideria non est apta.

Religio aborigenum est religio communitatis, a mythis originalibus deducta, ritibus proprie dictis expressa, sacrificiis sumptuosis dotata. Recapitulatur haec religio sacrificio unico: non inveniuntur supplicationes vel benedictiones nisi in sacrificio quod est fons gratiae. Sacrificium illud sive in persona familiae, sive in persona pagi, perficitur. Preces liturgicae sunt formalia verba, sacra, immutabilia, vulgari sermone expressa. Unusquisque particeps fit sacrificii, materiam offerendo et per manducationem et potionem communicando.

Usus linguae latinae animadversiones sicut haec suscitat: « Religio vestra ad nos non quadrat ».

Series Missarum privatarum offendit eorum sensum sacrificii unici.

Defectus communionis sub specie vini inducit eos in hanc cogitandi propensionem: sacrificium ad solum ministrum pertinere.

Assueti tali religioni quae ritus ex mytho trahit et inde in totam vitam personalem et socialem invadit, ab Ecclesia Dei exspectant: concursum in sacram actionem peragendam; ritus veros...,[1] gestus ex seipsis significantes, verba quae apertam significationem praebent; initiationem ad mysterium mortis et resurrectionis Iesu.

Expedit ergo ut isti aborigenes, in omnibus ritibus Liturgiae nostrae, *signa authentica Iesu adstantis* inveniant velut mysterii paschalis in Ecclesia primarii actoris. Ideo illud sacrificium ab eis teneretur ut fons Sacramentorum, pignus efficacitatis sacramentalium, principium totius vitae christianae.

Cum ritus, qui illud solum sacrificium significarent et omnia desideria vere religiosa adimplerent, in nostra Liturgia non inveniunt, secrete ritus antiquos peragere pergunt.

Non desunt in hac aula Pastores qui eamdem sollicitudinem et anxietatem experiuntur. Quapropter, venerabiles Patres, rogo ut aperiatur porta ad necessarias aptationes ut divulgetur Evangelium Dei.

Insuper non adest *hinc* massa christiana quae Ecclesia Dei esset, *illinc* populi pagani relegati. Quamobrem plene consentio cum em.mo card. Léger et exc.mo Bekkers ut vocabulum « Missiones » formulae « Ecclesiae nuper erectae » cedat.

Ecclesia vivens non est ubique terrarum nisi ad missionem. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] verum panem, verum vinum.

18

EXC.MUS P. D. IOSEPH PONT Y GOL
Episcopus Segobricensis-Castellionensis

Venerabiles Fratres,

Pag. 176, de n. 41 breviter dicam. Placent omnia quae hac paragrapho continentur. Aliquid tamen addendum in fine humiliter censeo, nempe hoc modo: « In locis autem ubi in usu habeantur plures linguae vulgares, illa in celebratione Missae adhibeatur, qua fit, in eadem Missa, homilia ad populum, iuxta usum vel normas ab Ordinario loci approbatas. Ubi autem duabus forsitan linguis, successivo tractu, unica homilia dicatur, Ordinarius normas statuat, quibus utraque lingua aequo in Liturgia adhibeatur ».

Certissime aliquod incommodum offert usus linguae vulgaris in Liturgia, ubi, propter factum ethnographicum, vel praesentiam immigrantium, vel propter alias causas, de facto in quotidiano usu adsunt plures linguae vernaculae. Cui incommodo obviando, auctoritas episcopalis loci normas statuere certe iam debuit quibus usus linguae vulgaris regularetur in piis exercitiis et praesertim in praedicatione.

Extendantur istae normae etiam ad illas partes Missae quae lingua vernacula forte recitentur.

Cum enim ratio potissima pro introductione linguae vulgaris in priori parte Missae sit pastoralis, nempe ut catecheticae Liturgiae partes, quibus verbum Dei proclamatur, a populo intellegantur pro ipsius christiana institutione, aequum est ut hae Missae partes eadem lingua exprimantur qua, in eodem actu liturgico, ipsum verbum Dei per homiliam explicatur. Unde consonum quoque est ut determinatio linguae in his partibus Missae adhibendae Ordinarii loci sit, nempe illius penes quem, secundum sacros canones, potestas est statuendi quae ad praedicationem verbi Dei in dioecesi pertinent...[1] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ceterum, in tota hac re, prae oculis habenda est illa expositio Patrum de miraculo Pentecostes, secundum quam et iuxta Augustini dictum, Ecclesia catholica illa est « quae omnium loquitur linguis ».

19

EXC.MUS P. D. THOMAS MULDOON

Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis

Em.me Praeses et venerabiles Patres,

Duo capita inter proposita in schemate tangere velim.

Primum respicit ea quae in prooemio huius capitis II exhibentur, in pag. 175. Siquidem pro certo habemus theologos omnes vigilanter inspecturos esse ea omnia quae nos de Sacrificio Eucharistico hic dicimus. Ideoque oportet nos *et* terminos theologice exactos adhibere *et* doctrinam, in quantum possumus, lucide explanare. Ad quid enim de sacra Liturgia tam prolixe loqui si eius fundamenta theologica non clare exhibeantur?

Porro, ad primam paragraphum prooemii quod attinet, salva reverentia erga conscribentes, videtur adesse congeries sat confusa terminorum et conceptuum, in quantum ratio Sacrificii cum ratione Sacramenti confunditur, vel saltem una ab alia haud satis distinguitur. Praeterea, arcta connexio Sacrificii Missae cum Sacrificio Crucis desideratur. Propterea propono ut commissio prius tractet de *Sacrificio Missae* ac de eius relatione *et* ad Coenam *et* ad Crucem, et deinde de *Sacramento Eucharistiae,* sicut iam fecit Concilium Tridentinum. Haud dubie enim paragraphus ista in forma proposita theologis omnino non placeret; et, quod peius est, sacerdotes, qui curam animarum gerunt, confunderet. Nemo enim non

videt quod clara et fecunda expositio doctrinae valde maius valeat quam forma quaedam externa, cum de mysteriis fidei loquimur.

Deinde in eadem paragrapho opere pretium est omnino, explicare germanum sensum istius verbi Tridentini « repraesentaretur ». Revera, experientia docet vocem istam « repraesentationem » pro hodiernis nudam quamdam et mere symbolicam repraesentationem fere semper significare. *Hanc igitur* [1] propono emendationem: loco verborum « Salvator noster... » (in prima linea) usque ad verbum « repraesentaretur » (in linea quarta), haec sufficiantur: « Salvator noster, in Coena novissima qua nocte tradebatur, Ecclesiae suae augustum Sacrificium Eucharisticum in perpetuo reliquit, quo Sacrificium salutis in Cruce peractum mirabili modo iterum praesentatur seu renovatur ». Deinde cetera in ista prima paragrapho recognoscantur iuxta ea quae iam diximus.

Postea, initio paragraphi secundae *huius prooemii,*[2] loco verborum quae in schemate proponuntur, velim ut haec substituantur: « Itaque curat Ecclesia ut christifideles hoc mysterium fidei adeo intelligant atque magni aestiment ut non velut inertes... », etc. Et ratio semper eadem est, nempe: voluntas *sequitur* intellectum.

Deinde in lin. 11 non placent verba « una cum sacerdote offerendo », nam *haec verba* [3] nimis accedunt ad errorem a Pio XII damnatum in Encyclica *Mediator Dei,* iuxta quem errorem Sacrificium Eucharisticum tamquam veri nominis concelebrationem habendum esset. Re quidem vera fideles non offerunt *cum* sacerdote nisi in quantum *per* sacerdotem offerunt, utpote organum Corporis Mystici ad hoc divinitus deputatum. Ita Papa Pius XII: « Christifideles autem *per sacerdotis manus* Sacrificium offerre ex eo patet, quod altaris administer personam Christi utpote Capitis gerit, membrorum omnium nomine offerentis ».

Propterea loco verborum « una cum sacerdote », haec propono sufficienda: « ita cum sacerdote ut per sacerdotem »...[4]

Alterum quod velim tangere caput, spinosam illam quaestionem de communione sub utraque specie spectat.

Sicut fere omnia quae in hoc schemate de sacra Liturgia proponuntur, verba nobis exhibita in pag. 176, n. 42, nimis nimisque generatim rem proponunt. Pro certo enim habemus, Summum Pontificem *Ioannem* [5] non nos hic de finibus terrae vocasse ut in fine dicamus: quidquid Sancta Sedes de hac vel illa re statuat, nos illud libenter amplectemur! Hoc esset absurdum. Absque dubio autem Summus Pontifex vult nos commendationes nostras *in concreto* facere ut mens collegii episcoporum ei penitus pateat.

Propterea, *dimissis omnibus rationibus,*[6] hanc emendationem vobis propono: « Communio sub utraque specie, iudicio Ordinarii, in ritu ro-

mano admitti potest solummodo in Missa sacrae Ordinationis ad Sacerdotium, in Missa professionis *finalis* religiosorum, et in Missa nuptiali pro sponso et sponsa tantum ».

Cum iam tempus consumptum sit, alia secretario tradam.[7]

In textu scripto tradito: [1] Proinde, hanc. [2] deest. [3] deest. [4] Alia adsunt in hoc prooemio saltem male sonantia sub aspectu theologico, sed tempus fugit. [5] deest. [6] deest. [7] Et explico. Communio sub utraque specie admittenda esse videtur, nullatenus idcirco dumtaxat quod antiquitatem sapit ac redolet, sed propter firmas rationes sive theologicas sive pastorales sive oecumenicas. Atqui huiusmodi rationes, iudicio meo, profecto adsunt pro casibus propositis. *Primo*: quoad ordinationem sacerdotum: argumentum sic sonat: decet omnino quod ii qui consecrant, sacrificium integrent. Atqui sacrificium non integratur nisi per communionem sub utraque specie, uti omnes norunt. Ergo sacerdotes cum episcopo consecrantes in Missa ordinationis communionem sub utraque specie sumere deberent. *Secundo*: quoad professionem finalem religiosorum: Professio religiosa finalis est foedus seu pactum solemne atque, ex intentione, aeternum, quo homo vel mulier se Deo omnipotenti totaliter devovet. Atqui, iuxta usum biblicum, decet omnino tale foedus seu pactum sanguine obsignari. Atqui porro, solus sanguis Deo Patri nunc acceptabilis ille est Filii sui Unigeniti, quem praeterea devovens in sponsum sanctissimum sibi coniungit. Ergo decet omnino quod sanguinem Christi sub propria specie sumat. *Tertio*: quoad sponsum et sponsam in Missa nuptiali, praeter rationem pacti, iuxta suum modum aeterni, adest haec alia ratio pastoralis bene perpendenda, scil. his diebus omni vi et conatu contra teterrimum illud malum — divortium scil. — agere debemus. Hoc autem bene facere possumus si naturam sacram et inviolabilem matrimonii coram omnibus premamus, pacto sanguine Christi sub specie propria obsignato.

20

Exc.mus P. D. GEORGIUS XENOPULOS
Episcopus Syrensis et Sanctoriensis

Venerabiles Patres,

Aliqua permittatur mihi dicere de Communione sub utraque specie.

In pag. 176, in art. 42 dicitur: « Communio sub utraque specie ... pro certis casibus ... tum clericis ... tum laicis concedi potest ». Hic agitur, ut bene intelligitur, de solo ritu romano. Nunc vero, si solum de clericis hoc dictum fuisset et praesertim in casibus concelebrationis, ut inferius in art. 44, paragrapho *c*), dicitur, ambabus manibus adprobarem. Sed, cum agitur hic de Communione etiam laicorum sub utraque specie, applicatio huius articuli perplures difficultates prae se fert, et

etiam aliquando pericula irreverentiae praestare potest. Maxima difficultas practica praesertim erit in acceptione pretiosissimi Sanguinis quando tot centena et millena fidelium sub duabus speciebus essent communicaturi.

Nam Communio sub specie vini tribus modis fieri potest:

1) per participationem vel sumptionem Sanguinis Christi ex eodem calice, ut fit in aliquibus concelebrationibus;

2) Communio pretiosissimi Sanguinis data per parvum cochlearium (« cucchiaino »);

3) sicut fit iam in aliquibus ritibus orientalibus, per immersionem panis consecrati in pretiosissimo Sanguine.

Nunc, si primus modus adhibeatur, ut fit aliquoties, scilicet per sumptionem Sanguinis ex eodem calice, cum ageretur de centenis et millenis fidelibus communicandis, iudicent Patres Conciliares quaenam quantitas vini requireretur! et quam magni calices adhibendi essent, immo forsitan, salva reverentia de tanto Sacramento, necessaria essent vasa similia ad illa quae, ut in Cana Galileae, metretas binas et ternas recipere possent!

Sed etiam, secluso periculo irreverentiae, semper magnum periculum erit arcendi fideles a Communione, nam illa applicatio et appositio tot labiorum, etiam infectorum, uti iam dictum est ab aliquibus Patribus, humanitus est anti-hygienica. Nunc, si temporibus nostris observantur fideles, praesertim viri, non adire ob osculum alicuius reliquiae, quia timent, inter alia, ne labia eorum colorentur a rubreis stigmatibus quae mulieres relinquunt in vitro reliquiarum, quid erit cum tot centena et millena tincta labia foeminarum vel centena forsan labia virorum non semper propria et pura et aliquoties ab ignobilibus infirmitatibus infecta necessario applicarentur ad ora calicis? Consequentia erit magna abstentio fidelium a Communione.

Si vero secundum modum Communionis accipimus, scilicet Communionem per aliquod cochlearium (uti dixi: « cucchiaino »), quod in ore uniuscuiusque communicantis ...

Praeses card. LIÉNART: Exc.me Pater, haec non pertinent ad rem, aut iam dicta sunt!

21

EXC.MUS P. D. PETRUS M. THÉAS
Episcopus Tarbiensis et Lourdensis

Venerabiles Patres,

Breviter loquar: 1) de concelebratione; 2) de Communione.

Iam, a pluribus Patribus, allatae sunt, pro concelebratione, optimae rationes, quibus tota mente et toto corde adhaereo. Vobis praebere audeo novum argumentum, desumptum ex experientia et ex indole sanctuarii mariani Lourdensis, quod merito vestrum studium retinet; multi enim fideles atque sacerdotes, ex pluribus nationibus, etiam dissitis, pergunt singulis annis ad specum Massabielle.

Mea humili sententia, in nostro sanctuario Lourdensi, concelebratio instaurari deberet, saltem ad experimentum, propter duas rationes, unam practicam, aliam spiritualem.

Ratio practica. Praesertim tempore aestivo, saepe adest maxima inaequalitas inter numerum, semper crescentem, sacerdotum et numerum relative exiguum altarium. Huius facti haec est consequentia: magnam difficultatem habent qui litari volunt ad inveniendum altare liberum; saepe debent multum exspectare; nervis dolent; Missa non celebratur placido animo neque devote, sed nimia cum festinatione: fideles mirantur et, aliquoties, scandalum patiuntur.

Admissa concelebratione, hoc incommodum tollitur: facilior et dignior evadit oblatio Sacrificii eucharistici.

Ratio spiritualis. Erga omnes peregrinantes, valde dissimiles, Virgo Immaculata vere et manifesto *Mater unitatis* est. Suo modo materno, *id est* [1] suaviter, corda fidelium disponeret ad assequendam et gustandam gratiam concelebrationis, quae est gratia unitatis.

Praeterea, ingens Basilica S. Pio X dedicata, cum unico suo altari, ita se habet ut omnes adstantes, participes effecti concelebrationis, experirentur unitatem Sacrificii, unitatem Sacerdotii, unitatem populi christiani.

Nam mysterium unitatis christianae in clariore luce apparet mediante actione liturgica, quam per doctissimas commentationes. Non quaelibet concelebratio optatur, sed illa quae, ritibus bene ordinatis, religionem in spiritu et veritate exprimat et actuosam fidelium participationem requirat.

Certior factus de optimis fructibus concelebrationis pro sanctuario Lourdensi, bis indultum apostolicum postulavi, et, singulis vicibus,

Sancta Sedes rescripsit: non expedire. Venerabundus hoc responsum accepi, sperans tamen quod, hora Providentiae, instauraretur concelebratio in nostro sanctuario *Lourdensi.*[2]

In hac aula, multi sunt episcopi qui, magna cum fiducia, exspectant a Patribus Conciliaribus, ut optatissimae concelebrationi *consentiant.*[3]

Secundo: *De sacra Communione.* Enixe a vobis postulatur ut, die Paschatis, fideles ad sacram Synaxim accedere possint, etiamsi in Missa vigiliae paschalis, post mediam noctem, iam sanctissimam Eucharistiam acceperint.

Hoc est ardentissimum votum multorum piorum fidelium, praesertim monialium et religiosorum. Omnes isti et istae maximas Deo agent gratias, si Patres Conciliares praesenti obsecrationi dignentur respondere: placet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] consensum dent.

22

EXC.MUS P. D. CAESAR ANTONIUS MOSQUERA CORRAL
Archiepiscopus Guayaquilensis

Em.mi et rev.mi Patres,

Duas tantum ex animadversionibus ab episcopis reipublicae Aequatorianae factis ad cap. II Liturgiae sumam, cum ceterae iam iterate prolatae sunt ab aliis.[1]

1. Postulandam videmus a Sacro Concilio abrogationem Missarum pro populo in festis suppressis; nam onus istud praebet locum confusioni sacerdotum et valde difficile evadit eius impletioni invigilare.

2. Enixe a Sancto Concilio petimus ut, attenta penuria sacerdotum, apud ditiones nostras quotidie ingravescente, tribuatur a iure facultas episcopis ut, onerata conscientia, in casu verae necessitatis et pro bono fidelium, possint permittere suis sacerdotibus binationem intra hebdomadam; sic providebitur vitae religiosae in collegiis, in cappellaniis et paroeciis hodie adsistentia spirituali, praesertim Sancta Missa, carentibus.

Dum devotissimum sensum erga Sacrosanctum Concilium manifestum facimus, ab ipso, divino afflante Spiritu, postremum verbum attendimus, quod iam ut nostrum habemus.[2]

In textu scripto tradito: [1] Coram magna hac venerandaque congregatione Sacrorum Pastorum, sensum meum et Fratrum meorum in republica nostra Aequa-

toris, cum quibus in hoc convenimus, pandere audebo circa caput secundum, de sacra Liturgia.

Primum: Circa praedicationem homiliae intra Missam diebus dominicis et festis de praecepto, parum videtur si praefata homilia *tantum commendetur* (numero trigesimo nono capitis secundi). Optimum esset si Sacra Synodus Vaticana Ordinariis locorum facultates praeberet *illam urgendi* ab omnibus sacerdotibus, sive saecularibus sive religiosis, Sacrum facientibus illis in diebus, *adstantibus christifidelibus*. Alioquin, perdifficile episcopis erit corrigendi habitudinem iam apud fideles exortam, secundum quam populus fugit ab auditione Missarum in ecclesiis ubi homilia habetur, et quaerit locum et modum ad praeceptum dominicale celeriter implendum. Nemo est qui non videat quod praxis ista non tantum noceat pietati et vitae liturgicae fidelium, sed quod sit revera una ex gravioribus causis ignorantiae religionis quam maxime dolemus.

Est etiam necessarium quod in ordinem trahatur factum quod non optimum reputamus; id est, dum in aliquibus locis, propter penuriam sacerdotum fideles manent in impossibilitate implendi praeceptum dominicale, aliis in locis eiusdem dioecesis vel civitatis adest copia Missarum quae, sive eodem tempore sive successive celebrantur, et quod frequentius accidit, absque homilia. Quapropter, valde opportunum esset si ab ipso Concilio rectores ecclesiarum commendentur in auxilium parochorum venire, ita ut sacerdotes qui in eorum ecclesiis superstant Sacrum faciant in paroeciis ubi minime adest talis copia sacerdotum.

Tandem existimamus praedicationem dominicalem minime debere absque logico ordine procedere et, ut ita dicamus, ad libitum sacerdotis; sed debet esse homiletica et, saltem fundamentaliter, secundum normas ab auctoritate Ordinarii datas.

[2] [*Subsignatus etiam*] Emmanuel a Iesu Serrano Abad, arch. Conchae.

23

EXC.MUS P. D. GREGORIUS MODREGO Y CASÁUS
Archiepiscopus-episcopus Barcinonensis

Em.me Praeses, em.mi, exc.mi ac rev.mi Domini,

Pauca et qua possim brevitate dicam, ne vos taedio afficiam et ne tempus pretiosissimum teram.[1]

1. Ad n. 39: *De homilia. Optarem homiliam ita ordinari*[2] ut, intra spatium quatuor vel quinque annorum, adstantibus Missae, diebus praesertim de praecepto, non pars solum sed tota doctrina christiana traderetur, occasione textuum liturgicorum qui leguntur *in Missa.*[3] Et utinam, ut dicitur in par. 38 huius capitis, thesauri biblici *latius*[4] aperirentur *et adhiberentur in Missa!*[5] Efficacia qua pollet homilia sacra, ut pars Liturgiae, efficeret ut christifideles integram doctrinam christianam audirent et corde optimo *reciperent.*[6]

In dioecesi Barcinonensi, mihi commissa — *parcite si de meis rebus*

loquor! Ut minus sapiens dico! [7] — ita factitatur inde a duodecim annis: tota materia doctrinae christianae in quattuor annos distribuitur iuxta programma confectum, et in omnibus Missis, diebus quidem dominicis et festis de praecepto, eadem quaestio explicanda proponitur omnibus *sacerdotibus* [8] celebrantibus, in omnibus ecclesiis, nulla excepta, etiam religiosorum exemptorum. Similiter fit in aliis dioecesibus per Hispaniam et quidem magno cum fructu, ut saepe audivi.

Ita posset depelli crassa ignorantia vel imperfecta admodum instructio christiana, qua maxima pars fidelium laborat, non solum rudes et indocti, verum etiam docti et in aliis disciplinis exculti. Quae quidem inscitia doctrinae christianae, tum dogmaticae, tum moralis, habenda est omnium malorum fons et origo: *inde laicismus, inde materialismus, inde indifferentismus.*[9] Ex ea, non vero ex usu linguae latinae in textibus partis didacticae Missae, quaerenda est causa discessionis fidelium ab Ecclesia. *Optarem, Patres rev.mi, ut haec consideraretis.*[10]

Quare, si praedicatio homiletica debito modo haberetur, non esset quaestio de introducendis linguis vulgaribus in qualibet parte Missae, praeter in oratione communi fidelium. *Ita vitarentur incommoda multa et gravia, quae hic exacte dicta sunt, praesertim illud quod non portemus ad altare factiones politicas.*[11]

Ad n. 42: *De Communione sub utraque specie.*[12] Iam satis superque dictum est; quare non vos taedio feram. Nihilominus quaedam dicam. Certum est ... Parcite mihi! Unicum punctum quod est adhuc sub disputatione est illud: utrum in aliquibus casibus possit adhiberi communio sub utraque specie, exempli gratia, in ordinatione sacerdotali, in prima communione puerorum, in professione religiosa, etc.; iam audistis. Dico: num satis est quod solum habeatur communio sub utraque specie etiam ut pars ritus? Quia periculum ne fideles parum instructi in errores incidant aestimandi aliquid amplius gratiae recipi in communione sub utraque quam sub una tantum specie, cum videant illam concedi in adiunctis peculiaris solemnitatis.

2. Principium, quod viget de vigore et vigere debet in disciplina sacramentaria et liturgica ordinanda, est principium simplicitatis normarum, rituum et caeremoniarum. In hoc puncto habemus a saeculis normam simplicissimam et omnino claram. Ad illam mutandam inducendo exceptiones et complicationes, moveri non debemus nisi ob rationes quae huiusmodi mutationes valde convenientes re vera esse ostendant. Tales vero non video adesse.

Quae cum ita esse mihi videantur, nihil immutandum puto in disciplina a saeculis vigenti in Ecclesia latina circa communionem sub unica

specie panis, excepta forte Ordinatione sacerdotali, quia ibi habetur concelebratio.

Quoad concelebrationem... nil dicam..., fere nil dicam.

Quoad concelebrationem, mea sententia, non essent inducendi novi casus, fortasse ne in feria V Hebdomadae Maioris et quidem propter hanc rationem: quia non sufficientes erunt sacerdotes, aliis Missis necessariis ut fideles voluntati audiendi sacrum hac die satisfaciant, nec ceteris ministeriis sacerdotalibus praesertim confessionibus, cum valde solliciti simus de penuria sacerdotum; hoc sentio in mea dioecesi quam maxime.

Ceterum, e contrario vellem ut ... [*Praeses agitat tintinnabulum*] ... Satis.

Praeses card. LIÉNART: Ah!... Tempus elapsum est!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Vellem ut homilia ita ordinetur. [3] deest. [4] largius. [5] deest. [6] acciperent. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] [*quae sequuntur desunt et eorum loco habetur:*] Ad num. 42. *De Communione sub utraque specie.* Quod attinet ad *doctrinam* nihil addendum videtur veritatibus definitis in Concilio Tridentino. Tres enim veritates, quae ad rectam huius quaestionis solutionem praesupponuntur, clare et praecise in sessione XXI definiuntur:

1) Communio sub utraque specie non praecipitur iure divino (cap. 1, can. 1).

2) Ecclesia habet potestatem praecipiendi communionem sub una tantum specie (cap. 2, can. 2).

3) Sub alterutra specie sumitur Christus totus ac verum sacramentum, et quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudatur, qui unam speciem solam accipiunt (cap. 3, can. 3).

His veritatibus in tuto positis, tota quaestio nunc limitanda videtur ad perpendendum utrum opportunum sit aliquid immutandi in disciplina de communione sub sola specie panis, a saeculis iam vigenti in Ecclesia latina.

Ex principio generali prudentiae legislativae, immutatio non est inducenda, nisi in adiunctis hodiernis non sint amplius « graves et iustae causae » (Trid. cap. 2), quibus Ecclesia inducta est ad consuetudinem communionis sub una tantum specie approbandam eamque pro lege universali imponendam.

Huiusmodi rationes his verbis exponuntur in Catechismo ex decreto Conc. Tridentini edito:

« *Rationes, ob quas Ecclesia alterius tantum speciei usum laicis concesserit.* Multis vero et iis quidem gravissimis rationibus, adductam esse Ecclesiam patet, ut hanc potissimum sub altera specie communicandi consuetudinem non solum approbaret, sed etiam decreti auctoritate firmaret.

Primum enim maxime cavendum erat, ne sanguis Domini in terram funderetur; quod quidem facile vitari posse non videbatur, si in magna populi multitudine eum ministrare oportuisset.

Praeterea, cum sancta Eucharistia aegrotis praesto esse debeat, magnopere timendum erat, ne si diutius vini species asservaretur, coacesceret.

Permulti praeterea sunt, qui vini saporem, ac ne odorem quidem perferre ullo modo possint. Quare ne, quod spiritualis salutis causa dandum est, corporis valetudini noceret, prudentissime sancitum est ab Ecclesia, ut panis tantummodo speciem fideles acciperent.

Accedit ad alias rationes, quod in pluribus provinciis summa vini penuria laboratur; neque id aliunde, sine maximis impensis, ac non nisi longissimis ac difficillimis itineribus convehi potest.

Deinde, quod maxime omnium ad rem pertinet, convellenda erat eorum haeresis, qui negabant sub utraque specie totum Christum esse, sed corpus tantum exsangue sub panis, sanguinem autem sub vini specie contineri asserebant. Ut igitur fidei catholicae veritas magis ante omnium oculos poneretur, sapientissimo consilio alterius speciei, hoc est panis, communio inducta est... » (Pars II, cap. IV, num. 66).

Hae rationes hodie procul dubio magis urgent quam temporibus anteactis, cum fideles multo magis frequenter ad communionem accedant. Nemo igitur qui ad difficultates ordinis praesertim practici attendat, communionem sub utraque specie inducere intendet in Liturgia *quotidiana.*

Tota quaestio versari potest solummodo circa opportunitatem permittendi vel praecipiendi communionem sub utraque specie in determinatis diebus festis vel in peculiaribus adiunctis vitae christianae, manente lege de communione sub specie panis ut norma ordinaria.

Plura incommoda sunt in hac innovatione admittenda:

1) Periculum ne fideles parum instructi in errorem incidant aestimandi aliquid amplius gratiae recipi in communione sub utraque quam sub una tantum specie, cum videant illam concedi in adiunctis peculiaris solemnitatis.

2) Si aliquae concessiones vel exceptiones fiant ad legem generalem de communione sub una specie, periculum est ne abusus paulatim irrepant.

3) Difficultates ordinis practici: requireretur tempus, quod forte sacerdotes non habebunt, ad fideles instruendos circa modum communionis sub utraque specie, cum hanc recipere debeant. Sacerdotes ex defectu exercitii difficultatem invenient in distribuenda communione sub utraque specie expedite et reverenter, etc.

4) Principium quod viget et vigere debet in disciplina sacramentaria et liturgica ordinanda est principium simplificationis normarum, rituum et caeremoniarum. In hoc puncto habemus a saeculis normam simplicissimam et omnino claram. Ad illam mutandam inducendo exceptiones et complicationes, moveri non debemus nisi ob rationes quae huiusmodi mutationes valde convenientes re vera esse ostendant. Tales vero rationes non apparent.

Quae cum ita esse mihi videantur, nihil immutandum puto in disciplina a saeculis vigenti in Ecclesia latina circa communionem sub sola specie panis, excepta missa ordinationis sacerdotalis, eo quod concelebrant.

Hi duo ritus, concelebrationis et communionis sub utraque specie, laudabiliter retenti in Ecclesia Orientali, non est cur in Ecclesiam occidentalem extendantur. Quod attinet ad cohaesionem fidelium utriusque ritus satis provisum est a Pio X, qui omnia decreta derogavit quibus prohibebatur permiscua communio, ita ut nunc fideles orientales possint communicare in Ecclesia occidentali et vicissim occidentales in Ecclesia orientali.

Ad num. 44. *De concelebratione.* Quoad concelebrationem puto non esse extendendam ad novos casus, ne ad feriam V Hebdomadae maioris quidem. *Ratio* est quia non sufficientes erunt sacerdotes, aliis missis necessariis ut fideles voluntati audiendi sacrum hoc die satisfaciant, nec ceteris ministeriis sacerdotalibus praesertim confessionibus, cum valde solliciti simus de penuria sacerdotum.

Ceterum, puto occasionem opportunam dare caput II ad intercludendam viam quibusdam erroribus sparsis circa concelebrationem et participationem fidelium, de quibus Pius XII, felicis memoriae, locutus est in encyclica *Mediator Dei.* Proinde votum meum est: Concilium tueatur doctrinam catholicam contra errores qui in praelaudato documento enuntiantur, verbi gratia: circa participationem fidelium, cuius limites optandum esset ut Concilium determinaret; et concelebrationem in sensu lato de qua in adlocutione « Magnificate Dominum » idem Romanus Pontifex satis loquitur.

Errores ergo a Pio XII signati a Concilio reiciantur. Quoad concelebrationem stricto sensu non video causam sufficientem ut disciplina hodierna, in can. 803 expressa, immutetur.

24

Exc.mus P. D. IOSEPH D'AVACK
Archiepiscopus Camerinensis

Em.mi, exc.mi et rev.mi Patres,

Brevissime de prooemio. Humiliter et firmissime [1] adhaereo iis quae de prooemio dixerunt em.mi card. Bea et Browne et *nonnulli exc.mi etiam nuper.*[2] Propono *autem* [3] ut ad pag. 175, in linn. 10 et 11, afferantur brevia, sed magni momenti, additamenta, ita ut pericopa secunda prooemii, salvis *aliis immutationibus,*[4] plus minusve ita sonet:

« Itaque curat Ecclesia ut christifideles huic mysterio fidei... actuose, conscie et pie participent, etc.; per Christum accedant ad Patrem, ei gratias agentes eiusque misericordiam implorantes; per ministerium sacerdotum offerendo hostiam immaculatam, scilicet Christum Dominum, per ipsum et cum ipso sese, eidem Christo obtemperantes, offerre discant etc. ».

Ratio est: ut, melius recolendo doctrinam apostoli, in epistola ad Hebraeos, de Christi sacerdotio et sacrificio, efficacius exprimatur et magis in concreto urgeatur arctissimus immo vitalis ille nexus inter uniuscuiusque vitam christianam et Missam.

Ceteroquin, praesertim in tuto integri huius capitis, et ut melius et satis appareat locus et momentum christifidelium, et cultus sanctorum et omnino summopere, ut necesse est, locus et momentum Beatae Virginis Mariae in Missa in universa Liturgia, instantissime commendo

petitionem, iam ab aliis expressam, ut schema de Liturgia ex integro recognoscatur et retractetur a commissione mixta cum theologis.

De hoc fusius scripsi in foliis quae trado exc.mae secretariae.[5]

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Exc.mus arch. Florit et alii. Revocans autem quae iam dixi de schemate de liturgia in generali. [3] deest. [4] immutationibus iam petitis de quibus supra significavi. [5] Ceteroquin, praesertim in hoc capite, de Mysterio eucharistico, dolendum apparet — iam dixeram — quod in universo schemate de Liturgia desit verum fundamentum doctrinale, firmum, definitivum, explicitum. Tantummodo enim si attente consideretur et expresse recolatur ordo Redemptionis, Sacerdotium et Sacrificium Christi, ea quae hoc Sacrificium nobis confert, ea quae a nobis — de suis donis et datis — exigit ut adimpleatur in nobis ea quae desunt passionum Christi pro Ecclesia, tantummodo — inquam — si haec omnia considerentur et revocentur, clare et plane apparebit locus et momentum fidelium in Missa, in tota Liturgia; locus et momentum cultus Sanctorum. Praesertim apparebit locus et momentum prorsus singulare, praecipuum, Deo sic volente, essentiale, Beatae Mariae Virginis. — De qua Beata Maria Virgine perexigua memoria in partibus essentialibus Liturgiae, immo quasi remotio in recenti reformatione breviarii (minime reparata per frequentiora Officia de sabbato) male explicatur, valde displicet, ferme absona videtur a veritatibus dogmaticis. Haec omnia item dicenda sunt de capitibus IV (de officio divino) et V (de anno liturgico). Dico nunc pro tunc. Unde, etiam non pro « pia pietate », sed pro debito amore dogmatico in Beatam Mariam Virginem, instantissime commendo petitionem exc.mi arch. Staffa, ut schema de Liturgia ex integro recognoscatur et retractetur a commissione mixta cum theologis.

CONGREGATIO GENERALIS XIII
6 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XIII

6 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Praeest hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Ignatius Gabriel Tappouni, patr. Antiochiae Syrorum.

Circa cap. II loqui petierunt, pro hac hodierna congregatione: exc.mi DD. Franciscus Zak, ep. S. Hippolyti in Austria; Franciscus Zauner, ep. Linciensis in Austria; Iulius Kandela, arch. tit. Seleuciensis pierius in Syria; Antonius Pildáin, ep. Canariensis in Hispania; Maximus Hermaniuk, arch. metropol. Vinnipegensis pro Ucrainis in Canada; Raphaël Bidawid, ep. Amadiensis in Iraq; Ioseph Souto, ep. Palentinus in Hispania; Renatus Pailloux, ep. Fort Rosebery in Rhodesia; Linus Gonzaga, ep. Palensis in Insulis Philippinis; Marius Oblak, ep. aux. Iadrensis in Iugoslavia; Athanasius Hage, archimandrita superior gen. Ordinis Basiliani; Octavianus Márquez, arch. Angelopolitanus in Mexico; Alexander Olalia, ep. Lipensis in Insulis Philippinis; Emmanuel Llopis, ep. Cauriensis in Hispania; Eduardus Nécsey, ep. admin. apost. Nitriensis in Cecoslovachia; Crispulus Benítez, ep. Barquisimetensis in Venetiola; Ioseph Fady, ep. Lilongwensis in Nyasalandia; Philippus Hannan, ep. aux. Vashingtonensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Iulianus Le Couëdic, ep. Trecensis in Gallia; Hyacinthus Argaya, ep. Mindoniensis in Hispania; Simon Landersdorfer, ep. Passaviensis in Germania; Eliseus Coroli, ep. tit. praelatus Guamensis in Brasilia; Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus in Aegypto; Michaël Doumith, ep. Sarbensis Maronitarum; Carolus Heerey, ep. Onitshaënsis in Nigeria; Franciscus Smiljan Čekada, ep. Scopiensis in Iugoslavia; Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico; Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis.

Et sic explicit disceptatio circa cap. II.

Secretaria generalis gratissima erit omnibus Patribus qui disceptant, si suae disceptationis duo praebeant exemplaria, quorum unum tradendum commissioni de sacra Liturgia, nempe commissioni competenti, alterum in archivo servandum.

Rogantur etiam Patres in suis petitionibus exponere brevem summam earum rerum quae dicenda erunt. Gratias!

1

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS ZAK
Episcopus S. Hippolyti

Venerabiles Patres et Fratres,

Non tantum caritas, etiam veritas urget nos. Quare verba art. 42 ita interpretari debemus [1] uti sonant. Nemo vult et nusquam postulatur, ut communio sub utraque specie sine limitatione omnibus fidelibus distribuatur; potius pro certis casibus tantum haec facultas petitur, et quidem pro casibus a Sancta Sede bene determinatis, iudicio episcoporum, sicuti iam optime em.mus card. Alfrink exposuit.

Curnam tunc toties a permultis difficultatibus disputatur, si istae difficultates numquam in illis casibus bene determinatis verificantur? Ad quid istae exaggerationes inserviunt? Si hanc facultatem (et alias in hoc schemate propositas) petimus, nec sumus homines haeresim vel schisma sapientes, nec fautores revolutionis, sed potius evolutionis, renovationis et reformationis. Et hoc est, ni fallor, munus ad mentem Romani Pontificis a nobis exercendum et perficiendum.

In instauratione S. Liturgiae, nos, facta et indigentias nostri temporis sequi nec dirigi debemus a sollicitudine falsa vel ab angore falso. Angor vel falsa sollicitudo semper animum compellunt in angustias.[2]

Peto ut art. 42, exceptis verbis « sublato fidei periculo »,[3] sine mutatione a Patribus Conciliaribus acceptetur...[4]

Reliqua trado secretario generali.[5] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Duas animadversiones proponere vellem. *Primo*: ad art. 42 huius capitis quod attinet pauca verba: debemus verba istius articuli ita interpretari. [2] Fundamentaliter dicendum est etiam in instauratione S. Liturgiae nos facta et indigentias nostri temporis sequi nec dirigi debere a sollicitudine falsa vel ab angore falso. Angor vel sollicitudo semper animum compellunt in angustias. Sequamur exemplum Summi Pontificis sanctissimi Domini nostri Ioannis XXIII feliciter regnantis et aperiamus corda nostra desideriis pastoralibus dierum nostrorum! Ista renovatio vel adaptatio tamen solido fundamento niti debet, quod fundamentum optime ex S. Scriptura hauriatur. Quomodo dici potest, nimia probantur, si rationes ex S. Scriptura etiam pro communione sub utraque specie sumantur? Ulterius non intelligo, curnam communio sub utraque specie sine aliqua difficultate neque concedi potest v. g. fidelibus matrimonium ineuntibus vel religiosis professionem emittentibus. [3] Ea de causa peto, ut art. 42. [4] Forsitan tantum loco verborum « sublato fidei periculo » (quia haec verba offensionem quandam offerre videntur ven. Patribus orientalibus) sequentia verba inserantur: « firmo decreto Conc. Trid. sess. XXI ». [5] *Secundo*: Praeter rationes, quae in nota 12 huius capitis pag. 177

quoad concelebrationem sacramentalem optime indicantur, aliquam animadversionem mihi addere liceat. Concelebrationem mihi videtur esse etiam postulatum curae animarum erga pastores animarum, qui pastores hoc nostro tempore non raro solitudine premuntur, ita ut quandoque pene desperare vellent. Verum est sacerdotem debere semper atque iterum de novo sustineri a personali communione cum Christo Domino, vel potius a personali relatione ad Christum Dominum. Sed haec relatio ad Dominum vel communio cum eo nonne praecipue efficaciter fovetur et a sacerdote ut felicem reddens sentitur, si hanc mysticam communionem in occasionibus saltem solemnioribus speciali modo de novo experiri possit per concelebrationem, veluti in concelebratione cum episcopo facta die sacrae suae ordinationis? Hic mihi liceat proferre tanquam casum specialem desiderium quoddam, quod pro monasteriis nostris maximi est momenti. Audio difficultates oriri pro multis regularibus sacerdotibus iunioribus ex eo, quod absoluto divino officio in communi, sacrificium Missae privatim offerre ac postea Missam conventualem decantare debeant. Hoc sentiunt, forsan non immerito, tanquam — faveatis verbo — non necessariam « binationem ». Una pars horum regularium celebrationem privatam renuntiare nolens quaerit causas pro dispensatione a Missa conventuali, alia pars nolens renuntiare Missam conventualem, saepe petit facultatem omittendi celebrationem privatam sacrificii Missae. Quibus in casibus nonne concelebratio optime possit eximere a dictis difficultatibus et simul praebere augmentum activitatis sacerdotalis? Ininterrupta experientia Fratrum nostrorum in Ecclesia orientali probat concelebrationem esse medium aptum ad fovendam pietatem fidelium, quod venerabiles Patres ex Ecclesia orientali certe confirmare possunt. Ratione habita ad hoc, quod concelebratio in Ecclesia orientali in usu hucusque remansit, et relate ad factum historicum, quod etiam in Ecclesia latina — praesertim in collegiis sacerdotum — concelebratio erat regula usque ad altum medium aevum, laeto animo annuere debemus, si hodie desiderium concelebrandi etiam in Ecclesia occidentali semper magis crescit. Quapropter a venerabilibus Patribus conciliaribus assensionem peto ut restituantur casus a commissione praeparatoria praevisi, et quidem ita, ut mutatio fiat in n. 44 littera *b*): ad Missam conventualem et ad Missam principalem in ecclesiis ubi plures sacerdotes adsunt, quam utilitas fidelium requirit, salva tamen semper cuiusque sacerdotis libertate individualiter celebrandi; *c*) ad conventus sacerdotum, uti sunt v. g. exercitia spiritualia, cursus studiorum, peregrinationes et ita porro, praesertim ubi singulae Missae sine incommodo celebrari nequeunt; *d*) ad extraordinarias celebrationes festivas, e. g. occasione synodi dioecesanae, visitationis pastoralis etc.; semper autem de iudicio Ordinarii.

2

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ZAUNER
Episcopus Linciensis

Emendatio mea proposita sic est: extendatur concelebratio ad casus qui in schemate commissionis praeparatoriae enumerati erant.

Cap. II, de quo nunc agimus, videtur quibusdam culmen exaggerationis Liturgistarum esse; ideo gravia verba audivimus de nostra lae-

sione canonum Conciliorum ac periculis schismatis et modernismi, quae nos paramus Ecclesiae, et praesertim quidem per concelebrationem et communionem sub utraque specie.

Ideo iuvat quaedam dicere de nostro coetu commissionis praeparatoriae. Fuerunt 20 membra et inter eos 7 episcopi, *omnes ex cura animarum,*[1] insuper plus quam 30 periti. Quis nos vocavit? Nemo seipsum praesentavit! Fuimus vocati a Sanctissimo Patre feliciter regnante. Secuti sumus laeti ex totius mundi partibus. Fueruntne omnes membra et periti iuvenes? Episcopus Passaviensis, confrater noster, 82 annos superavit. Episcopus Bugellensis etiam 72. Episcopus Gandavensis 69 annos natus. Ego, proh dolor!, iam proximus sum anno 60. Sumus omnes in provecta aetate. Idem valet de ceteris membris et peritis: *multi habebant iam canitiem venerandam.*[2] Omnes articuli huius constitutionis a membris coetus nostri votum unanime acceperunt, vix uno vel alio dissentiente. Scitu dignum est a commissione praeparatoria exclusos fuisse curiales excepto praeside secundum ordinem statutum. Hoc probat Ss.mum Patrem noluisse scire vota liturgica SS. Congregationum tantum, quas semper potest consulere, sed vota membrorum necnon peritorum ex omnibus orbis catholici partibus. Laboravimus cum sudore et labore. Proh dolor! duo abbates, tempore sessionum nostrarum, mortui sunt. *Ipse praeses nostrae commissionis, piae memoriae, etiam post sessiones morte correptus est. Sunt omnia signa nostri laboris istae tres victimae.*[3] Omnino absonum videretur nos tantum novarum rerum studio ductos fuisse.

Socii commissionis praeparatoriae et sub-commissionis, qui exaraverunt articulos de concelebratione, imprimis ducti sunt per vota et consilia praeconciliaria episcoporum et praelatorum, quae collecta sunt in amplis voluminibus; ea continent vota ... [4] totius mundi et haec vota toties amplificationem concelebrationis exprimunt. Non sunt inventiones nostrae commissionis...[5]

Hodie plurimum valet argumentum ex experientia. Habemus iam dioeceses in quibus participatio populi et largior usus sermonis vulgati per plura decennia commendantur fidelibus. Nostris dioecesibus iam ab anno 1943 tale indultum S. Sedis concessum est. Tempore belli et persecutionis sacerdotes multi — ducibus episcopis — vocaverunt fideles et praesertim iuventutem, ut recitando et cantando sacros textus Missae sacris adstarent imprimis die dominica. Episcopi promulgaverunt determinatos ordines Missae, ut fideles propria lingua recitent versiones sacri textus. Talis usus usque hodie ...[6] per viginti annos viget. Videamus effectus huius studii liturgici:

In mea dioecesi, vix est parochia, etiam apud ruricolas, in qua fide-

les adhuc nesciant modos simpliciores participationis. Apud nos, ecclesiae die dominica fideles non capiunt. Sacra mensa non est derelicta. Immo index communionum secundum rationes statisticas semper augetur de anno in annum. Vocationes ecclesiasticae magnum incrementum capiunt. Ex iuventute operariorum, quae dicitur JOC, multi officinas dereliquerunt et ad studia se conferebant necnon nunc se praeparant ad sacerdotium sive saeculare sive regulare. Numerus vocationum ad sacerdotium apud regulares multo maior est quam apud saeculares.

Ex quo talis mutatio in melius coepta est? Coincidit omnino cum motione liturgica per participationem actuosam populi. Ex fructibus bonis arborem bonam cognoscere possumus. Omnes indices de statu animarum in nostris dioecesibus confirmant tale argumentum. Non periculum schismatis vel modernismi paratur! Fideles non amplius ex ecclesiis pelluntur! Indifferentes fideles praesertim ex iuventute iterum Missae in die dominica assistunt cum fervore et fructu!

Concludo.[7] Dictum est in hac aula: « *Missa sancta,*[8] terra sancta est, ne propius appropinquemus ». Ego omnino contrariam conclusionem invenio. Utique. Terra sancta est altare et sacra mensa. Sed nos debemus monstrare fidelibus istam terram sanctam, saepe opertam velaminibus, ut deponant calceamenta, id est impedimenta peccati et infidelitatis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] quasi. [5] Ego Romam veni olim ad commissionem praeparatoriam quasi acerrimus inimicus concelebrationis; sed hic audiendo rationes professorum necnon aliorum membrorum, inspiciendo documenta historiae, defensor factus sum huius thesis. Sunt qui timent rationes hygienicas in concelebratione. Adeamus Orientales! Si ipsos Patres venerabiles in nostro coetu aspicio, mihi videntur meliore sanitate gaudere quam nos occidentales. Nemo videtur esse infectus bacteriis. Ipsi nobis demonstrant pericula huius generis revera non esse, praesertim si concelebratio et plus adhuc communio sub utraque specie in quibusdam casibus tantum adhibeatur. Difficultates, quae contra concelebrationem prolatae sunt, solvi omnino possunt. Sic etiam solvitur difficultas in quaestione de stipendio. Eamus iterum ad Orientales! Interrogemus, quomodo apud illos stipendium in concelebratione adhibeatur. Unusquisque Patrum ex Orientalibus possunt nobis viam indicare. Non sine offensione audivi argumentum de sacerdotibus, qui — secundum quae dicta sunt — nullum valorem tribuerent concelebrationi, si non acciperent stipendium. Nonne argumentum multum peiora probaret, nempe: sacerdotes non dicere Missas, si non acciperent stipendia. Ego sine cunctatione defendo saltem meos 1200 sacerdotes meae dioecesis a tali imputatione. Tot sacerdotes et episcopi solent nonagies in anno pro populo applicare et quidem sine stipendio. Nos omnes monitum legimus et audivimus, ne tam celeriter procedamus. Sed mundus in paucis annis mutatur. Iam habemus congressus ubi multi sacerdotes conveniunt. Quaestio urget in monasteriis et conventibus, ubi sacerdotes quadraginta aut septuaginta singillatim li-

tant, vix cum aliquo qui ministrat. Nollem interrogare confratres meos episcopos, quomodo in hisce diebus mane Missam celebrant et quibus circumstantiis. Non putamus crastina die nos omnes concelebraturos. Tamen iuvat, ut Concilium quaestiones generales dirimat dum nos exspectamus cum fiducia et patientia, ut ea singula praeparentur, quae ad concelebrationem necessaria videntur. Non possumus sperare in Concilium Oecumenicum Vaticanum III! Ideo necessarium est, nunc vota faventia pro cap. II ferre. Nunc nos in Concilio possumus loqui. Nunc est tempus acceptabile, nunc sunt dies salutis! [6] iam. [7] deest. [8] Ritus Missae.

3

EXC.MUS P. D. IULIUS G. KANDELA
Archiepiscopus tit. Seleuciensis pierius

Em.mi ac rev.mi Patres Conciliares,

Praetermitto primam partem, in eo quod attinet ad communionem sub utraque specie, quia de ea dicta sunt multa.[1]

2. Cum agitur in cap. II de ordine Sacrificii Missae instaurando...,[2] de praecepto Missae festivae ac de instructione sedulo tradenda fidelibus ut integrae Missae celebrationi intersint (pag. 175, 176), ad alendam vitam christianam quae est secundus finis sacrae Liturgiae, decebat adiicere aliquid quoad conservationem Sacrosancti Mysterii divini in tabernaculo, quae est veluti extensio Sacrificii Missae, simul ac quoad obligationes fidelium erga hunc hospitem divinum praesentem in perpetuo in medio eorum, scilicet quoad debitum visitationis et adorationis factae, extra Missam, coram Deo praesente sive in tabernaculo, sive in ostensorio. Hoc enim sensu Summus Pontifex, gloriose regnans, docebat in Litteris Encyclicis *Sacerdotii nostri primordia,* dicens: « Sacerdotalis precatio diutissime producta ante adorabile Sacramentum, tali pollet dignitate atque efficacitate quae a sacerdote nulla alia ratione haberi, nullo alio modo substitui possit ». Quod vero docet Summus Pontifex sacerdotibus, valet non tantum pro eis, sed etiam pro laicis...[3]

Suppeditatur ipsa theologia sacra ad confirmandam hanc sententiam, quippe quae ipsa consideret hoc donum divinum sub triplici aspectu, scilicet:

a) tamquam Sacrificium Corporis et Sanguinis Domini Nostri, quapropter habemus praeceptum assistendi ad Missam, saltem diebus festivis;

b) tamquam Sacramentum et nutrimentum quod urget nos ad communionem recipiendam;

c) demum tamquam praesentiam divinam perpetuatam apud nos.

Propterea summopere decet nos offerre maiestati divinae debitum *orationis* [4] et gratiarum actionis.

3. Circa celebrationem duarum Missarum eadem die, videlicet circa binationem, tantum pro necessitate plebis christianae, velim postulare pro sacerdotibus binantibus facultatem percipiendi proprie duas eleemosynas, nec ultra:

a) quia eleemosyna sacerdotibus data, nostris diebus, est valde inferior quoad aestimationem pecuniae oblatae respectu ad illam quae dabatur ante primum et secundum mundiale bellum.

b) Eleemosyna debet sufficere necessitatibus cotidianis vitae sacerdotum, et haec est ratio eleemosynae traditae pro Missa celebranda. Iamvero, cui nostrum Orientalium non notescit eleemosynam ante primum bellum mundiale fuisse sufficientem etiam ad vitam totius familiae sacerdotis ...[5] dum, nostris diebus, non sufficit ne quidem ad solam vitam sacerdotis.

c) Numerus sacerdotum pauperum crescit de die in diem, dum sacerdos habet ius vivendi congruenter, modeste ex altari, et cum ministerium suum cogit eum ad duas Missas celebrandas die dominica, cur non licitum ei esset sumere istum maius emolumentum pro suo crescente labore?

d) Una Missa celebrata semel in hebdomada non magis locupletabit sacerdotem divitem, dum non parum adiuvat pauperem sacerdotem ad vivendum convenientiore modo.

e) Summus Pontifex *Ioannes, misericors noster Pater communis,*[6] auxit salarium menstruale operariorum in Civitate Vaticana laborantium, ob mutatas conditiones vitae...[7]

Quamobrem opinor stipendium Missae, *solummodo* [8] pro binatione obligatoria, sumi debere a sacerdotibus, et etiam ratione iustitiae distributivae.

4. Velim, in fine, *breviter sed* [9] vehementer rogare Sacrosanctum Concilium ut liceat Orientalibus celebrantibus in commemoratione mortuorum, iuxta tempus ab unoquoque ritu determinatum, tres Missas, ad libitum, celebrare. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] 1) Pag. 176, lin. 8. In eo quod attinet ad communionem sub utraque specie, humillime censeo multum fructuosam esse istam facultatem concedendam episcopatui iudicandi utrum congruens sit aliquando distributio communionis sub utraque specie an non, tum clericis, et religiosis, tum laicis. *a*) Experientia mihi videtur animas devotas multum profuturas ex hac innovatione; *b*) ceterum, existimo episcopos ad administrandam dioecesim, non debere esse minoris potestatis in occidente quam in oriente. Episcopi enim orientales in graeco ritu ac syriaco, nunquam desinerunt dare communionem sub utraque specie: quare

ergo episcopi occidentales non haberent potestatem illam erga Mysterium Corporis et Sanguinis Domini Nostri, in favorem fidelium? *c*) Quod institutum fuit a Domino in hac ratione, et ita concreditum Ecclesiae ab apostolis, convenientissimum est pro primis christianis, necnon pro postremis. Ad Ecclesiam autem pertinet determinandi quomodo hanc consuetudinem convenientiore ritu restituendam.
[2] de communione sub utraque specie. [3] Quamobrem enixe rogatur sacrosanctum Concilium ut commendentur explicite exercitia adorationis cultus eucharistici. Et hoc quidem addendo paragraphum specialem in fine primae partis « de Missa » post par. 43, aut adiungendo, in allata paragrapho hanc sententiam: « proinde ... pastores ... instruant fideles ut integrae Missae celebrationi intersint, neque obliviscantur debitum visitationis atque adorationis solvendum Deo praesenti in perpetuo apud eos in tabernaculo, sicut legitur in libro Proverbiorum: « Deliciae meae esse cum filiis hominum » (*Prov.* 8, 31). [4] adorationis. [5] (loquor de meipso in iuventute mea). [6] Ioannes XXIII. [7] non ergo esset conveniens sacerdotibus eleemosynam Missae augeri propter easdem rationes? [8] saltem. [9] deest.

4

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

Em.me Praeses, em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Displicet revera mihi iterum abuti benevolentissima patientia vestra et mensae praesidentialis.

Sed perlegens art. 40 huius cap. II (in quo agitur de reintegranda, post homiliam, oratione communi) et videns in eo, post obsecrationem pro Sancta Ecclesia, nullam aliam expressam et specialem mentionem fieri nisi pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, nullam vero pro pauperibus et pro omnibus qui in miseria tabescunt, non potui me cohibere quin verbum peterem, non ad impugnandum hunc articulum, quem plane subscribo, sed ad postulandam additionem, ad exposcendum nempe ut in hoc ipso articulo schematis, sicut expressa mentio fit pro regibus, sic et expressa mentio fiat pro pauperibus: ut sicut expressa mentio fit pro omnibus qui in sublimitate sunt, sic et expressa mentio fiat pro indigentibus et pro omnibus qui sunt in gravissima necessitate, sive spirituali, sive in aliqua ex dilacerantibus illis necessitatibus materialibus, de quibus statim, Deo favente, loquemur.

Et totus cardo meae propositionis in eo est, nempe: quod nunc non agimus de seligendo et retinendo unico illo textu paulino, qui in articulo citatur, et quem ego quoque retineri, et manere debere existimo; sed agitur de reintegranda oratione communi ...[1] fidelium, post homiliam, prouti in ipso articulo dicitur.

Iamvero — et est prima ratio propositionis meae — id quod ego expostulo est idipsum quod fit in pulcherrima illa oratione insignis romani Pontificis S. Clementis I, quae fuit velut principium et norma quamplurium orationum communium liturgicarum, quae decursu temporum ortae fuere, et iuxta quam, utique hodiernis temporibus adaptatam, redintegrationem desideratam fieri debere opinamur.

Secundam rationem, quae esset theologica, omitto, gratia vel potius timore decem momentorum, ut ea quae supersunt totaliter dedicem ad expositionem rationis, quae, nunc (in circumstantiis in quibus hodie versamur, tam pauperes et operarii, quam nos, Patres Conciliares), mihi potissima videtur, et est haec: quia articulum hunc 40, prout in schemate iacet, absque additionibus praedictis, nostris suffragiis approbare, idem esset ac deceptionem amarissimam, immo gravissimum scandalum, praebere ingentibus illis multitudinibus pauperum et operariorum, qui ex toto orbe nos, Patres Conciliares, inspiciunt; et qui, tragicis problematibus disrupti, Concilium hoc Oecumenicum tamquam pharum salvationis adspectant.

Detis mihi, quaeso, aliqua eorum problematum non iam describere, sed brevissime notare, ut ex ipsis, tamquam ex totidem praemissis, logica consequentia, effluat mea propositio, simulque innotescant quinam sint ii qui in oratione communi redintegrata et hodiernis temporibus aptata, speciali mentione commemorari debent, utpote victimae equidem lugendae teterrimorum horum problematum.

1. Problema de parva laboris mercede, seu de iniusto salario. « Miserrimum spectaculum » Sanctissimus Papa noster vocavit, quod, prout ipsemet dicit, in nationibus non paucis atque in latis terrarum continentibus, ingentes opificum multitudines tangit, eosque eorumque familias collocat in conditionibus vitae ab hominis dignitate omni ex parte alienis.

2. Problema carentiae seu privationis laboris, quo opifices innumeri, eorumque familiae, incidunt in eum quem Pius XII, gratae recordationis, in eloquentissimo nuntio radiophonico, appellavit « lo spettacolo più desolante di famiglie alle quali manca tutto, famiglie in miseria nera ».

3. Teterrimum problema, deficientiae videlicet domorum, quod plures adhuc, innumerabiles nempe familias, afficit fere ubique terrarum, quodque plurimas earum cogit in cubilibus, in stabulis — quid dico stabulis? melius dicam, cum Pontifice nuper laudato, « in baracche posticce, in tane che non si assegnerebbero neanche alle bestie ».

4. Adiungitur immane illud, immanissimum problema famis, de quo amarissimis et ardentibus verbis conquestus est non semel Sum-

mus Pontifex noster *Ioannes XXIII*,[2] problema famis quo vexantur nunc millies centena millium, ita ut dici possit, horrendum dictu, quod nostris hisce diebus, fere maior pars hominum famem patitur, et infirmitatibus ex fame provenientibus, fere maior pars humanitatis fame moritur. [*Plausus*].

Praeses card. TAPPOUNI: Satis!

Orator: In his ergo circumstantiis ...

Praeses: Satis!

Orator: In his ergo circumstantiis, in quibus teterrimis his problematibus, ut alia taceam ...[3]

Praeses: Satis!

In textu scripto tradito: [1] seu. [2] deest. [3] dilacerantur ingentes pauperum et operariorum multitudines, coadunatur Concilium hoc Oecumenicum et congregantur hic episcopi catholici universae terrae. Totus mundus, et praesertim ille pauperum et operariorum, oculos defixos tenet in nos. Primum ergo quod nos, Patres Conciliares, fecimus — et opportunissime quidem — fuit nuntium mittere ad universos homines, in quo specialem sollicitudinem manifestabamus ad humiliores, pauperioresque; super turbam, videlicet, fame et miseria laborantem. Attamen, iam fere per mensem, hic congregamur, et de illis miseris, pauperibus et esurientibus adhuc vix loqui potuimus, quia disputationibus nostris liturgicis mentes plene occupatas habemus. Sed ecce nunc, in ipsa Liturgia, tempus proprium, occasio peropportuna. Agitur enim de reintegranda oratione communi, oratione illa communitaria, oratio populi, in qua videlicet, inde a principio, ab oratione videlicet illa clementina, observationes, particularissimae mentionis, fiebant pro esurientibus, pro indigentibus, pro carceribus et diversas alias necessitates patientibus. Sed ecce nunc, in manibus nostris, schema cum articulo hoc 40 de reintegranda oratione communi, in quo fit expressa mentio de regibus; de pauperibus nulla; schema quod loquitur expressis verbis de omnibus qui in sublimitate sunt; sed de his qui in profundo miseriae tabescunt, neque verbum. Quid vobis videtur, reverendissimi Patres? Parcite mihi, omnium vestrum minimo, hanc libertatem vos alloquendi. Venerabiles Patres, si nos hunc articulum, prout in schemate iacet, et absque additionibus propositis, adprobamus, nonne iam ex nunc percipitis amarissimam deceptionem ingentis multitudinis pauperum et operariorum qui, anhelantes, adhuc nos aspiciunt? Non iam ex nunc auditis risus, chachinos potius dicam, choriphaeorum, illos a religione avertere conantium et dicentium: « en, en quod a Patribus Conciliaribus exspectare potestis; non iam facta et opera, sed neque verba. In toto enim schemate de S. Liturgia nulla nec minima mentio fit vestrum, pauperum videlicet et eorum qui in necessitate estis. Tota mentio peculiaris a Patribus Conciliaribus reservatur regibus et omnibus qui in sublimitate sunt. Quid iam de istis exspectare potestis? ». Firmiter credo omnes vos, Reverendissimi Patres Conciliares, ab his sequelis et consequentiis abhorrere. Atque proinde etiam a praemissis. Placeat igitur vobis, quaeso, meam propositionem vestris suffragiis adprobare.

Secretarius generalis:

Audiant omnes! Summus Pontifex dignatus est concedere consilio praesidentiae facultatem proponendi congregationi generali cessationem a disceptatione, cum materia, quae in disceptatione est, satis illustrata et enucleata eidem consilio videatur. [*Plausus in aula*].

Suffragatio congregationis fiet aut per sessionem vel erectionem personae, aut per elevationem manus, iuxta deliberata a consilio praesidentiae. Illi qui, post suffragationem favorabilem cessationi, aliquid addere desiderant, id scripto secretariae tradant generali.

Nunc repetitur variis linguis.

Versio gallica

(P. D. Ioannes Villot, subsecretarius)

Le Souverain Pontife a daigné accorder au conseil de présidence la faculté de proposer à la congrégation générale la clôture d'une discussion lorsque l'objet de cette discussion aura été, au jugement du conseil de présidence, suffisamment exposé et élucidé. Dans ce cas, la congrégation générale sera invitée à se prononcer sur cette proposition, soit par assis et levé, soit à main levée, suivant ce que décidera le conseil de présidence. Les Pères qui, à la suite d'une réponse positive de la congrégation générale à cette demande du conseil de présidence, estimeraient avoir quelque chose à ajouter, sont priés de remettre au secrétariat général le texte de leur intervention ou de l'amendement qu'ils proposent.

Versio hispanica

(P. D. Casimirus Morcillo, subsecretarius)

El Padre Santo se ha dignado conceder al consejo de presidencia la facultad de proponer a la congregación general que se dé por terminada la discusión de un tema cuando, a juicio de la misma presidencia, éste se considere suficientemente esclarecido. La voluntad de los Padres deberá expresarse en la forma más rápida y fácil, esto es, por elevación de las manos o poniéndose en pié.

Los Padres que después de acordada la terminación deseen exponer su parecer pueden presentarlo por escrito en la secretaría general.

Versio anglica

(P. D. Ioannes Krol, subsecretarius)

Your kind attention, please.

His Holiness has graciously deigned to grant to the Council Presidency the faculty to propose to the Council Fathers the termination of discussion when, in the judgement of the Presidency, the arguments on a subject under

discussion have been sufficiently presented. The Council Fathers will signify their pleasure and vote either by standing or by raising their hand according to the directions given by the Presidency.

When a vote is in favour of closing the discussion those Fathers who desire to add anything further have the right to do so and can do so by submitting their observations or suggestions in writing to the Secretariate. Thank you.

Versio germanica
(P. D. Villelmus Kempf, subsecretarius)

Der heilige Vater hat das Präsidium berechtigt dem Plenum Schluss der Debatte vorzuschlagen, sobald die zur Diskussion stehende Materie nach der Ueberzeugung des Präsidiums hinreichend geklärt ist. Die Abstimmung über den Abschluss der Debatte erfolgt entweder durch Aufstehen oder Erheben der Hand. Im Übrigen behalten alle Konzilsväter die nicht mehr zu Wort kommen oder auf das Wort verzichten das Recht ihre Bemerkungen und Vorschläge schriftlich über das Konzilssekretariat der zuständigen Kommission einzureichen.

Versio arabica
(P. D. Philippus Nabaa, subsecretarius)

تنازل قداسة الحبر الاعظم واعطى مجلس رئاسة المجمع الحقّ على أن يقترح على آباء المجمع. في الجلسة العامة انهاء المناقشة عندما يرى البحث في الموضوع قد يمكن اعتباره كافيا وكاملا ، على ان يتمّ اقتراع على ذلك الاقتراح بالوقوف او بالجلوس او برفع الايدي بحسب ترتيب مجلس الرئاسة

على انّه اذا ما اراد احد الآباء أن يزيد قولا بعد انهاء المناقشة في الجلسة العامة فله ان يكتب بيانه وان يقدّمه لمجلس امانة السر .

Em.mus card. TISSERANT, *primus e consilio praesidentiae*:

Consilium praesidentiae, usum facultate sibi a Ss.mo Domino concessa, cum cap. II constitutionis *de sacra Liturgia* satis illustratum videatur, postulat a congregatione generali, utrum a disceptatione circa hanc materiam cessari possit.

Secretarius generalis:

Suffragatio, de mandato praesidentiae, fiet per erectionem vel sessionem personae. Igitur, qui consentiunt proposito consilii praesidentiae surgant, et maneant sic per aliquot tempus, ita ut numerari possint qui favent.

[*Fere omnes se erigunt*].

Velint omnes sedere, qui surrexerunt! [*Omnes sedent*].

Nunc, surgant qui nolunt! [*Omnes sedentes remanent*].

[*Intervallum*].

Habita suffragatione favorabili, consilium praesidentiae statuit esse transeundum ad cap. III eiusdem constitutionis *de sacra Liturgia,* quod est « De Sacramentis et Sacramentalibus », et ita incipit: « Sacramenta et Sacramentalia ordinantur ad cultum debite Deo reddendum et ad hominem sanctificandum; utpote vero signa ad instructionem pertinent ». Et reliqua.

Loqui postulaverunt: em.mi DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus; Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis; Michael Browne; Radulfus Silva Henriquez, arch. S. Iacobi Chiliensis; exc.mi DD. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania; Iosephus Arnerić, ep. Sibenicensis in Jugoslavia; Dominicus Capozi, arch. Taiyuanensis in Sinis; Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis in Rhodesia Septemtrionali; Petrus Pham-ngoc-chi, ep. Quinhonensis in Vietnam; Ioannes McQuaid, arch. Dublinensis in Hibernia; Marius Maziers, ep. aux. Lugdunensis in Gallia; Antonius Plaza, arch. Platensis in Argentina; Zeno Aramburu, ep. Uhuvensis in Sinis; Iosephus Alí Lebrun, ep. Valentinus in Venetiola; Aloisius Carli, ep. Signinus in Italia; Tullius Botero, arch. Medellensis in Columbia; Elias Olazar, vic. ap. Yurimaguensis in Peruvia; Emmanuel de Carvalho, ep. Angrensis in Lusitania; Aloisius da Cunha Marelim, ep. Caxiensis in Brasilia; Ludovicus Cabrera, ep. S. Ludovici Potosiensis in Mexico; Demetrius Moscato, arch. Salernitanus in Italia; Petrus Rougé, ep. coad. Nemausensis in Gallia; Benedictus Tomizawa, ep. Sapporensis in Iaponia; Benedictus Reetz, archiabbas Beuronensis in Germania; Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus in Italia; Matthaeus Garković, ep. Iadrensis in Iugoslavia.

5

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres Conciliares,

...[1] In hoc capite, meo quidem humili iudicio, nonnulla emendanda vel saltem accuratius redigenda sunt.

Pag. 179 et subsequentibus, inconsulte, *ut mihi videtur,*[2] simul

tractatur de Sacramentis et de Sacramentalibus, quae maxime differunt inter se: Sacramenta enim, *ut omnes sciunt,*[3] a Christo Domino sunt instituta et gratiam conferunt vel augent ex opere operato; Sacramentalia vero originem ducunt ab Ecclesia et efficacitatem exercent ex opere operantis. Idcirco inepte, pag. 179, linn. 6 et 7, concluditur his verbis: « Ideo Sacramenta fidei dicuntur », quae sententia in Sacramentalia non quadrat.

In eadem pag. 179, lin. 15, postquam dictum est « Per liturgiam enim Sacramentorum et Sacramentalium, fidelibus bene dispositis nullus iam fere eventus vitae gratia divina non sanctificatur », subiicitur: « nullusque etiam rerum materialium usus, per se honestus, ad finem hominem sanctificandi Deumque laudandi non dirigitur ». Haec sane affirmatio, nisi temperetur, veritatem supergreditur.

Ibidem, lin. 14, fidei mysteriis Passionis, Mortis et Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi, addendam esse puto gloriosam eius ad caelum Ascensionem, sicut bis habetur in Missa, nempe in oratione quae subsequitur manuum ablutionem et in Canone.

Pag. 181, sub n. arabico 59. Permirum mihi est quod ibi proponitur. Ecce verba: « ... orationes quae ritum Unctionis infirmorum comitantur, ita recognoscantur, ut respondeant diversis condicionibus infirmorum, qui Sacramentum recipiunt ». Si id approbetur, innumeras habebimus orationes, quia condiciones in quibus versari possunt aegroti quamplurimae sunt. Propterea censeo sententiam propositam, de qua nunc dissero, aut delendam esse aut, saltem, ita imminuendam ut orationum diversitas certis limitibus contineatur.

Eadem pag. 181, sub n. 60, lin. 25 et subsequenti, legitur: « Unctio sacra in diuturna infirmitate aliquando iterari potest ». Consuetudo contraria inducta est septem abhinc saecula, sancita est a Concilio Tridentino, sess. XIV, cap. 2, et confirmatur in C.I.C., can. 940, § 2, equidem iustis rectisque causis. Cur nunc usus iamdudum abolitus in vitam revocaretur? Ratio quae in annotatione affertur, scilicet solacium spirituale quod inde infirmus perciperet, mihi videtur insufficiens; aegroti enim multo maiore consolatione afficiuntur si frequenter peccata sua confiteantur et Communione Eucharistica reficiantur.

Pag. 182, lin. 14. Ad vitandas faciles dubitationes de matrimonii validitate, exopto ut clare definiantur pro omnibus matrimoniis normae iuridicae, quae in consensu exquirendo et excipiendo ubique terrarum accurate diligenterque serventur.

Accommodationes et etiam immutationes liturgicae mihi molestae

non sunt, neque eis, *ex mea parte,*[4] repugnare intendo, modo eae sint *vere*[5] utiles ac opportunae, et id clare appareat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Etiam. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest.

6

EM.MUS P. D. FERDINANDUS CARD. CENTO

Em.me Praeses, em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Breviter *quaedam dicam*[1] circa cap. III huius schematis, cui titulus « De Sacramentis et Sacramentalibus », et expresse ad n. VI, « De Matrimonio », pag. 182.

In lin. 5, recte suggeritur ut ritus celebrandi matrimonium funditus recognoscatur et ditior fiat. Votum insuper exprimitur, in lin. 17, ut « Oratio super sponsam (quae dicitur infra Missam) ita emendetur ut supra utrumque coniugem recitari valeat ». Bene quidem.

At, meo humili iudicio, aliquid maioris etiam momenti innovare praestat.

Neminem latet *altam significationem quam habet anulus matrimonialis, symbolum eloquens*[2] fidelitatis unius partis erga alteram...[3] Porro: in rituali nostro romano, solummodo anulus sponsae benedicitur. Cur non et sponsi, maioribus periculis obnoxii, gravioribusque responsabilitatibus pressi? Cum de casto coniugio sermonem facimus, saepe saepius de aequalitate iurium et officiorum inter sponsos loquimur: nonne aequalitas haec perspicue apparere decet in labiis nostris, cum « Sacramentum magnum » *sponsi invicem*[4] sibimetipsis ministrant, in actu *id est*[5] a quo sors totius illorum vitae pendet?

Auderem[6] credere huic meae sententiae omnes adhaesuros *vos*[7] esse, qui in directam curam animarum *adlaboratis vel adlaborastis.*[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] loquar. [2] alta significatio anuli matrimonialis, eloquens symbolum. [3] (Pertinet hic evocare verba illa quae S. Ludovicus, Galliae rex, incidi iussit in latu interiore anuli sui coniugalis: « En cet anel tout mon amour »). [4] illi. [5] videlicet. [6] audeo. [7] deest. [8] adlaborant vel adlaboraverunt.

7

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

Em.mi Praesides, venerabiles Patres,

...[1] 1. Art. 56, pag. 181, *de Sacramento poenitentiae,*[2] valde generice enuntiatur, ita ut nonnisi difficiliter Sacrum Concilium de eo sententiam efformare possit. Saltem opportunum esset ut inserantur verba « in quantum opus sit ».

2. Art. 57, eadem pagina, linn. 12-17, ait:

a) « Sacramentum, quod communiter Extrema Unctio nuncupatur, deinceps Unctio Infirmorum vocabitur;

b) nam non est per se Sacramentum morientium sed graviter aegrotantium;

c) ac proinde tempus opportunum illud recipiendi est statim ac fidelis in gravem morbum inciderit ».

Nunc quoad *a*) *scilicet de mutando nomine,*[3] absolute loquendo, posset fieri haec nominis mutatio. In lingua italica frequenter Sacramentum nostrum vocatur « l'Olio Santo », in lingua anglica vocatur « Anointing ». Imo sacrum oleum quod sacerdos ministrans adhibet vocatur « Oleum Infirmorum ». Tamen nomen « Extrema Unctio » adhibetur in Actis Concilii Lugdunensis I (Denz. 451), in Actis Concilii Lugdunensis II (Denz. 465), in Actis Concilii Constantiensis (interrogationes propositae pro Wickleff et Huss (Denz. 669), in Decreto pro Armenis ex Concilio Florentino (Denz. 700), in Actis Concilii Tridentini in capitibus et canonibus (Denz. 907-910 et 926-929), necnon in Professione Fidei Tridentina (ex Bulla Pii IV).

Nunc: [4] an conveniat ut *nostrum* [5] Concilium *venerabile* [6] Vaticanum II mutet istud nomen? Hoc difficile invenio.

Quoad *b*). Verum quidem est ipsum non esse unice Sacramentum morientium seu illorum qui sunt quasi in mortis articulo. Tamen graviter aegroti distingui possunt: 1) in eos de quorum morte timetur ex eo quod reputantur esse in eius periculo et 2) in eos de quorum morte, adhuc saltem, non timetur. Pro quanto hucusque in sacra theologia *intellexi,*[7] Extrema Unctio est sacramentum illorum de quorum morte ex infirmitate vel senio timetur, seu talium qui reputantur esse in periculo mortis. In nostro sacro consessu non est necessarium longiore modo auctoritates citare quibus haec doctrina illustretur, quae, ceteroquin, est praxis communis, saltem in Ecclesia Latina, et quae tota resumitur in verbis Angelici Doctoris: « Hoc autem sacramentum non

debet dari nisi infirmantibus quando timetur de periculo mortis » (in Opusculo de septem Sacramentis). Exprimitur quoque a Tridentino, in prooemio ad capita et canones de Extrema Unctione, dicente: « ... clementissimus Redemptor... extremae unctionis sacramentum finem vitae tamquam firmissimo quodam praesidio munivit » (Denz. 907) et a Catechismo Romano ad Parochos ex Decreto Concilii Tridentini (Parte II, cap. VI, q. IX): « ... quum igitur illi tantum qui morbo laborant curatione indigent, idcirco iis etiam qui adeo periculose aegrotare videntur ut ne supremus vitae dies instet metuendum sit, hoc sacramentum praeberi debet ».

Item Codex Iuris Canonici, qui hic citatur, non ut mere iuridice praecipiens sed, ut in sua praescriptione testimonium praebens sensus Ecclesiae, statuit (can. 940): « Extrema Unctio praeberi non potest nisi fideli qui... ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur ».

Nunc, summam habeo reverentiam erga commissionem liturgicam quae praeparavit nostrum schema, et magis adhuc ex quibusdam relatis ab aliquo venerabili Patre. Unde in summa reverentia dico: teneo sententiam eorum; sed dico saltem ut in re tam gravi — qualis est mutatio finalitatis huiusdem sacramenti [8] — ut in re tam gravi omnes Concilii Patres tranquilli esse possint, et ut omni prudentia *in tali negotio* [9] procedatur, consuli *possunt, saltem possent — ut puto — nostri* [10] theologi peritissimi qui nobis a Summo Pontifice dantur in auxilium pro arduis Concilii quaestionibus, *saltem pro isto, pro ista propositione, hoc saltem.* [11]

Quantum ad illa quae dicuntur ab em.mo card. Ruffini, etiam puto quod saltem fundata sunt et ego quidem admittebam, quantum ad istud prooemium, non ad ipsum impugnandum, sed ad ipsum in aliquibus saltem modificandum. Sed haec scripto trado. [12] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] A. *Quoad Introductionem* (pag. 179). 1) In introductione (pag. 179, lin. 6) suggererem ut dicatur « ... *optime* disponit » loco « *etiam proxime* disponit ». 2) Ibidem linn. 6-7, consulerem ut omittantur verba « Ideo *sacramenta fidei* dicuntur ». Confusionem posset causare, saltem hodie, si Sacramentalia includantur, maxime in documento conciliari, sub voce *sacramenta.* 3) Ibidem lin. 10 consulerem ut loco « ... Sacramenta impensissime *frequentent* », dicatur « ... colant eisque pro opportunitate utantur ». 4) Ibidem linn. 15-17 loco verborum « *per se honestus* » consulerem ut dicatur simpliciter « *honestus* », et ut loco verborum « *non dirigitur* » dicatur « *non posset dirigi* ». 5) Ibidem linn. 20-21 consulerem ut dicatur « ... ut a fidelibus possint facile percipi et, *pro singulorum natura,* circumstantiis sinentibus, actuosa atque communitaria participatione celebrari ». Ratio huius est quod quidam ritus, v. g. confessio sacramentalis et nonnullae circumstantiae talem participationem communitariam non ad-

mittunt. 6) Ibidem, linn. 22-25, puto quod loco verborum « Cum autem ... minus bene respondeant » sufficeret dicere: « *Ut praedicta omnia optime fiant,* Sacrosanctum ... decernit ». B. *Quoad Articulos* (pagg. 179-183). [2] linn. 10-11. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] intelleximus. [8] deest. [9] deest. [10] quoque possent. [11] deest. [12] deest.

Animadversiones additae:

Quoad art. 57 (pag. 181). In Sacro Concilio argumentum est allatum ab aliquo venerabili Patre, ex verbis quibusdam Concilii Tridentini, ad probandum quod Sacramentum Extremae Unctionis est simpliciter Sacramentum graviter aegrotantium, et proinde, ut ex eius verbis pronum esset concludere, non esset necessarium ut de eorum mortis periculo timeatur.

Verba Concilii de quibus agitur, inveniuntur in sess. XIV, cap. III de Extrema Unctione (Denz. 910). Sunt tenoris sequentis: « ... Declaratur etiam esse hanc unctionem infirmis adhibendum, illis vero *praesertim* qui tam periculose decumbunt ut in exitu vitae constitui videantur, unde et sacramentum exeuntium nuncupatur ».

Notandum tamen est textum prosequi aiendo: « Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti subsidio iuvari possunt cum in aliud simile *vitae discrimen* inciderint ». Unde requiritur *vitae discrimen* seu *mortis periculum* ad hoc ut aliquis hoc sacramentum recipiat.

Prooemium Tridentini ad capita de Extrema Unctione hoc confirmat. Ait enim (Denz. 907): « Visum est autem Sanctae Synodo praecedenti doctrinae de Poenitentia (de quo sacramento actum est in priore parte sessionis XIV) adiungere ea quae sequuntur de Sacramento Extremae Unctionis, quod non modo poenitentiae, sed *totius christianae vitae... consummativum* existimatum est a Patribus ... quod clementissimus Redemptor noster ... quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus christiani conservare se integros dum viverent ... possunt: ita extremae unctionis sacramento *finem vitae* tanquam firmissimo quodam praesidio munivit ».

His perpensis omnino existimo mentem Concilii Tridentini in praedicto cap. III exponi debere ut sequitur, scil.: sacramentum Extremae Unctionis esse administrandum omnibus infirmis de quorum mortis periculo timetur, *praesertim* vero de illis qui sunt in extremo periculo, seu « illis qui tam periculose decumbunt ut in exitu vitae constitui videantur ».

Salva meliore sententia.

8

Exc.mus P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

Venerabiles Patres,

Tria puncta liceat mihi proponere.

1. Ad cap. III in genere. De sacramentis non tantum agitur in hoc capite, sed etiam in aliis schematibus adhuc exspectandis, verbi gratia a commissione de sacramentis, de missionibus, de ecclesiis orien-

talibus. Methodus rationabilis procedendi et logica postulare mihi videtur, ut, sicut iam desideravit em.mus card. Gracias, ea quae obiective cohaerent, etiam cohaerenter tractentur. Quapropter peto et quidem nomine quinquaginta fere episcoporum ex variis dioecesibus, ut, si fieri potest, nobis communicetur, quandonam alia schemata accipere possimus. Patet, post visionem totalem materiae etiam singula puncta facilius diiudicari posse et multas animadversiones tunc fortasse superfluas fieri.

2. Ad n. 55, in specie. Ex desideriis et votis multorum fidelium nobis ante Concilium exhibitis constat, quaestiones de confirmatione tangere etiam quaestiones de apostolatu laicorum. Quapropter propono ut commissio de laicorum apostolatu sua respectiva vota communicare possit commissioni de sacra Liturgia.

3. Ad eundem numerum. Propono ut nn. 55 et 49 ita formulentur et coniungantur inter se, ut, quae de ritibus initiationis dicuntur, non solum referantur ad baptismum, sed etiam ad confirmationem. Ratio haec est: argumenta theologica non obstant, et argumenta pastoralia suadent, ut et in quibusdam regionibus missionum, et in aliis confirmatio eadem aetate impertiri possit, qua haberi solent ritus initiationis. Magni momenti pastoralis esse potest, ut confirmatio ea aetate fieri possit — repeto « possit », non « debeat » — in qua christiani ad testimonium fidei in societate reddendum vocantur. Dixi.

9

Exc.mus P. D. IOSEPH ARNERIĆ
Episcopus Sibenicensis

Venerabiles Fratres,

1. Ad prooemium, in linn. 22 et 23, pag. 179, auserim proponere ut verba « non sine fidelium detrimento » ex textu expungantur, et in lin. 24, post verbum « naturae » addantur verba « et fini ».

Ratio petitionis est quia per illa verba « non sine fidelium detrimento » intelligi posse videtur in ritibus sacramentorum hodiernis verba quaedam nociva fidei adesse, quod consonum Ecclesiae infallibilitati parum esse videtur. Per additionem verbi « et fini », clarius exprimitur sensus propositionis in ritibus hodiernis sacramentalibus posse inveniri quaedam quae non solum naturae sed etiam sacramentorum minus bene correspondeant, etsi nociva non sunt.

2. Ad art. 47, pag. 179, humillime propono, ut concedatur facultas a Concilio Oecumenico transferendi Rituale in linguas vernaculas populorum catholicorum, quorum lingua ad talem translationem matura esse videtur. Ratio petitionis est maior utilitas pastoralis. Salus animarum suprema nobis lex esse debet.

3. Ad art. 51, pag. 180, et art. 55, pag. 181, propono humiliter, ut patrini ante baptismum et confirmationem suorum infantium, ad sacramenta poenitentiae et sacrae communionis accedere debeant. Ratio petitionis est quia hodie istud officium assumitur modo aliquo formali et conventionali et patrini saepe saepius sunt catholici solum nomine, immo quandoque athaei et officium patrinorum assumunt tantummodo ex amicitia erga familiam baptisandi aut confirmandi infantis. Ast per susceptionem sacramentorum poenitentiae et communionis eliminarentur isti patrini indigni. Ex altera parte revera decet, ut patrini in adimplendo suo officio in gratia sanctificante exsistentes digne illud persolvant.

4. Ad art. 56, pag. 181. Articulus est in genere laudandus, sed ob rationes laboris pastoralis, qui quandoque est ingens, propono ne recognitio rituum longa sit, sed brevis et simplex.

5. Ad artt. 47 et 59, qui connectuntur cum art. 21 huius constitutionis, humillime propono ut tota et exclusiva potestas in variis aptationibus sacrae Liturgiae eiusque lingua reservetur Concilio Oecumenico et Sanctae Sedi, et ut Conferentiae episcopales nationales et regionales tantummodo illas proponere possint Sanctae Sedi, ad normam sacrorum canonum Iuris Canonici.

Graves rationes pro et contra huius petitionis meae diu anceps coram Deo perpendebam. Per se etiam ego in eo sum ut Concilium Conferentiis episcopalibus maiorem potestatem in aptationibus liturgicis concedat. Dixi « per se », sed per accidens contrarius sum huic concessioni. Nam Ecclesia in aliqua regione inveniri potest, sane per accidens, in talibus conditionibus ut libertate fere careat. In talibus conditionibus, Conferentiae episcopales et singuli episcopi influxum regiminis cuiusdam totalitarii subire possunt, sicut hodie in quibusdam regionibus de facto accidit. Proinde Conferentiae episcopales, in talibus conditionibus positae, facilius decernere aliquid possunt quod non est ad utilitatem fidei, et simile quid accidere posset etiam hodie in Liturgia. Liturgia ita seminarium errorum fieri posset. Solummodo nempe Petro eiusque successoribus Christus dixit « Tu es Petrus » et « Pasce oves meas ». In Petrum eiusque successores possumus habere, Fratres carissimi, plenam fiduciam, maiorem quam in nosmetipsos. Fiduciam plenam habere debemus Vicarium Christi omnibus populis daturum esse ritus et linguam

quae ipsis necessaria fore, sicut Summi Pontifices multis populis usum linguae vernaculae in administrandis sacramentis iam permiserunt.

Per hanc ergo emandationem propositam evitaretur periculum fidei et etiam confusio, quae vix posset ex diversis aptationibus in diversis mundi plagis evitari. Dixi.

10

EXC.MUS P. D. DOMINICUS LUCAS CAPOZI
Archiepiscopus Taeiüenensis

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

In prooemio, linn. 20 et 21, dicitur: « sic exprimant (Sacramenta et Sacramentalia res divinas) ut a fidelibus possint facile percipi et actuosa et communitaria participatione celebrari ». Bene! Optime! Sed, *sicut innuit etiam card. McIntyre,*[1] haec liceat mihi adnotare: hic et in aliis diversis locis articulorum qui usque nunc examini Patrum subiecti sunt, vox « actuosa », « actuose », « *actuosa participatione* »[2] saepe *saepius*[3] usurpatur, dum minus insisti videtur in interiore, spirituali participatione fidelium. Unde hic saltem rogo ut sic dicatur: « Sic exprimant, ut a fidelibus facile percipi, et interiore ac spirituali simul ac actuosa necnon communitaria participatione celebrari ». Ad hoc autem vere obtinendum, nempe, ad interiorem ac spiritualem simul ac actuosam et communitariam participationem fidelium obtinendam, ea omnia quae Sacrosanctum Concilium instauranda censuerit magnae certe utilitati erunt, dummodo tamen ipsi sacri administri seu sacerdotes, vero spiritu fidei, ecclesiastico, liturgico ita sint imbuti, ut ea quae foris agant vel dicant, sua interiore et exteriore gravitate, fide, pietate confirment et populum doceant. Vere dolendum videre tot sacerdotes Eucharisticum Sacrificium et Sacramenta ita perficere et celebrare quasi ipsi nihil credant eorum quae populo praedicant.

Hic labor episcoporum, hoc opus omnium nostrum.

Art. 48 placet, sed peto ut haec adiungantur: « Ordinarius loci ita catechumenatus tempus definiat, ut nemini liceat ad Baptismum admitti, nisi prius congruum tempus compleverit, nisi agatur de periculo mortis vel de casu urgentiore ab Ordinario, si fieri possit, recognoscendo ».

In art. 49, lin. 13, loco verbi « admittantur », melius puto dicere: « liceat admittere ». Hoc ne nimis videatur urgeri obligatio.

In art. 54 expungantur, *quaeso,*[4] verba « extra tempus paschale », vel simpliciter dicatur: « extra festum Paschatis », secus, si tempore

paschali — *sicut saepe accidit in missionibus* [5] — sacerdos est in itinere ad diversas civitates vel pagos pro sacro ministerio, secum ferre deberet aquam baptismalem cum non parvo incommodo, *et hoc tantum tempore paschali.* [6]

Art. 56 de Poenitentia adprobo, sed occasione huius articuli, liceat mihi proferre votum in favorem omnium episcoporum, sive residentialium, sive titularium. Sacrosanctum Oecumenicum Concilium decernere dignetur ut omnes episcopi, ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis, praeter privilegia de quibus in can. 349, fruantur etiam privilegio de quo in can. 239, § 1, n. 1, eodem privilegio, nempe, quo fruuntur S. R. E. cardinales, scilicet audiendi confessiones etiam religiosorum utriusque sexus ubique terrarum. Haec facultas videtur valde convenire dignitati episcoporum qui sunt successores apostolorum. Insuper est res valde practica — *forsitan pro S. R. E. cardinalibus nullomodo est practica!* [7] —, praesertim nostris temporibus, sicut ego ipse pluries expertus sum.

Articuli de Unctione infirmorum placent, sed art. 57 velim haec adiungantur: « Pastores animarum, sacerdotes, catechistae, sedulo populum doceant veram naturam tanti huius Sacramenti », ita ut, in quantum possibile, corrigatur abusus, illud petendi tantum ad extremum halitum, vel peius, post emissum extremum halitum. Utinam omnes fideles tanti facerent Sacramentum Unctionis infirmorum quanti faciunt illud nostri antiquiores fideles in Sinis, qui semper magna diligentia, ne dicam aviditate, illud petunt.

In art. 63, de Matrimonio, *adprobo quod dixit em.mus card. Cento*: [8] omnino laudanda praescriptio qua decernitur ut oratio usque nunc dicenda super sponsam ita corrigatur ut super utrumque coniugem recitari valeat. Nam formula qua utimur, nostris praesertim temporibus, vere partialis et odiosa mulieri apparet. Immo adprobare videtur erratum illud quod multi tenent, fidelitatem nempe in coniugio officium mulieris esse, dum e contra, iura et officia coniugum coram Deo et coram hominibus omnino aequalia sunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest.

11

Exc.mus P. D. ADAM KOZLOWIECKI
Archiepiscopus Lusakensis

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Ego de parvo numero loqui volo, de n. 64.[1] Par. 64 schematis constitutionis *de sacra Liturgia* proponit recognitionem Sacramentalium « prae oculis habito principio de conscia, actuosa et facili participatione fidelium, et attentis hodiernis necessitatibus », et explicite sequentia verba statim addit: « In Ritualibus recognoscendis, etiam nova Sacramentalia, prout necessitas expostulat, addi possunt ».

In hoc contextu liceat mihi advertere in multis territoriis, ob paucitatem sacerdotum et clericorum et ob nimios labores apostolicos quibus hi pauci obruuntur, saepe saepius impossibile id esse ut fidelibus omnes divitiae Sacramentalium nostrorum pandantur et communicentur.

Idcirco non abs re esset, si in recognoscendis Sacramentalibus data opera consideraretur opportunitas — *repeto, non propono novitatem, sed propono ut consideraretur opportunitas*[2] — providendi ut aliqua *fortasse*[3] haberentur Sacramentalia quae speciatim a laicis, puta a catechistis vel aliis missione canonica gaudentibus, fidelibus nostris dispensari possent.

Hoc enim modo, debitis, uti patet, adhibitis cautelis, auctoritas praefatorum catechistarum aliorumque penes populum indigenarum nonnihil augeretur; imprimis autem hoc modo opportune provideretur, ut magis quam nunc, proh dolor! fieri potest, divitiae fidei et praxis nostrae catholicae penetrarent in vitam practicam et cotidianam fidelium nostrorum; et tandem, mediantibus huiusmodi Sacramentalibus a laicis dispensatis, optima nobis praeberetur opportunitas multifarias consuetudines ac ritus *fortasse*[4] paganos christiane baptizandos et readaptandos ad instaurationem semper profundiorem fidei ac praxis nostrae catholicae in territoriis *diversarum dioecesium.*[5]

Multae dioeceses conqueruntur de paucitate sacerdotum.[6] Puto duo esse remedia: primo, omnia nobis facienda sunt ut numerus vocationum crescat; sed secundum remedium: videamus ut sacerdotes ab omni labore liberentur quod a non-sacerdotibus effici possit. In mea dioecesi sunt sacerdotes saltem 30. Nimis obruimur labore sacerdotii, i. e. administratio Sacramentorum. (Ego aliquem episcopus audivi qui dixit mihi una vice: Deo gratias, populi non veniunt nunc tam multi ad confessiones!). Nos obruimur labore pure sacerdotali; nemo potest admi-

nistrare Sacramenta. Nos debemus catechismum docere. Sed religio ideo nimis quid « abstractum » et « intellectuale » evenit. Per sacramentalia, per divitias Ritualis Romani, fides cum vita coniungitur et vitam totam penetrat.

Liceat nobis facultatem aliquibus laicis dare ut aliqua Sacramentalia — non Sacramenta: Sacramentalia — dispensare possint. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] Missionum nostrarum. [6] Paucitas sacerdotum: duo remedia (1) omnia nobis facienda sunt ut numerus vocationum crescat; (2) sacerdotes ab omni labore liberentur quod a non-sacerdotibus effici potest. Nimis obruimur labore sacerdotali; administratio Sacramentorum, Catechismus. Religio nimis quid « abstractum » et « intellectuale » evenit. Per Sacramentalia Fides cum vita coniungitur et vitam totam penetrat.

12

EXC.MUS P. D. PETRUS M. PHAM-NGOC-CHI
Episcopus Quinhonensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi aliquid *dicere de* [1] revisione Ritualis (et librorum liturgicorum), in n. 47.

Finis principalis Concilii Vaticani II est certo certius pastoralis. De hoc pluries mentionem faciebat Summus Pontifex...[2] Iamvero nunc in mundo bis millies mille millium (duo miliardi) hominum vivunt extra gregem Domini, quadringenti milliones fratrum separatorum et circa quadringenti milliones catholicorum non practicantium (quia ex censu plus minusve exacto catholici practicantes sunt tantummodo a 15 ad 20 per centum).

Ut ergo Concilium attingat suum finem pastoralem, attendendum est, *in quantum possibile,*[3] ad evangelizandos illos duos milliardos non-christianorum, ad uniendos illos quadringentos milliones non-catholicorum, ad rechristianizandos illos quadringentos milliones catholicorum non-practicantium, et tandem ad tenendos illos bonos catholicos ne a fide vel a praxi religionis deficiant.

Sed quaenam sint motiva, quibus pauci convertuntur, pauci uniuntur et, proh dolor! maior in dies numerus non-practicantium augetur? Sunt plurima, sed ad Liturgiam quod attinet, oportet recognoscere nostras caeremonias esse nimis prolixas et complicatas! Quanti pagani, *apud nos,*[4] ad ecclesias *invitati* [5] occasione v. g. Natalis Domini vel alicuius festi, taedio afficiuntur sive quia nihil intelligunt, sive quia illae

caeremoniae sunt prorsus alienae ab eorum moribus, et praesertim quia sunt nimis prolongatae. Quanti catholici nolunt venire ad ecclesias, nitentes iisdem rationibus! Et sic recedunt paulatim a praxi religionis, deinde ab ipsa religione...

Quamvis eorum rationes sint meri pretextus, sed debemus cum sinceritate dicere nostram religionem revera laborare nimia prolixitate quoad ritus et nimia complicatione quoad supellectilem, praesertim pro regionibus tropicalibus. Puta in consecratione episcopi, in consecratione ecclesiae, in ritibus baptismi adulti, *etiam noviter instauratis,*[6] in caeremoniis Sanctae hebdomadae, *in Missis Pontificalibus,*[7] etc.

Concilium ergo enixe rogatur ut specialem attentionem habeat ad hoc punctum magni momenti in restauratione sacrae Liturgiae. Concilium mandatum det iis quibus incumbit munus revisendi Ritualia et libros liturgicos, ut reddant nostras caeremonias magis simplices et expressivas ac sobrie breves, ut homines hodierni temporis eis assistant cum delectatione et devotione, non cum taedio et fastidio...[8]

Proponitur ergo ut inseratur in n. 47, pag. 180, lin. 3, haec phrasis: « In his autem Ritualibus vel particularibus collectionibus rituum conficiendis attendendum est ad bonum spirituale fidelium nostrae aetatis potius quam ad traditiones vel sensum aestheticum: proinde evitanda sunt nimia prolixitas et excessivus formalismus. Commendandum est quoque ne omittantur instructiones pastorales, etc. ».

Alia tradam secretario generali.[9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] proponere pro. [2] De hoc etiam ab initio disceptationis de S. Liturgia fere omnes interpellatores saepe saepius locuti sunt. [3] deest. [4] deest. [5] venientes. [6] deest. [7] deest. [8] Pro exemplis sit ritus baptismi adultorum. Omissis iis quae iam dicta sunt ab aliis de nimia repetitione precum, exorcismorum aliarumque caeremoniarum, loquor de divisione catechumenatus in 7 gradus. Hoc pro uno alterove vel paucis optime applicari potest, sed quando agitur de baptismo centenis et millenis conferendo sicut in pluribus regionibus evenit, hoc maxime implicat eo quod nostri catechumeni non eiusdem condicionis oeconomicae et socialis, et non stabiliter in eodem loco manent propter emigrationem, negotiationem et huiusmodi ... Aliud exemplum quoad distributionem Communionis. In multis regionibus, propter fervorem christianorum, dum Missa dimidia hora tantum durat, distributio communionis praesertim in diebus dominicis, primis feriis sextis et festis, durat saepe tota hora vel longius. Puta, in loco non est nisi unus sacerdos, saepe aetate provectus, qui curam ter, quater vel quinquies mille christianorum habet, et secundum caeremonias actuales debet pronuntiare millies illam invocationem « Corpus D. N. I. C. custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen »: quod est nimis onerosum et minime necessarium ad validitatem sacramenti. An non melius sit, loco illius invocationis toties quoties repetitae, semel vel aliquoties in plurali proferri « Corpus D. N. I. C. custodiat vos vel animas vestras in vitam aeternam. Amen ». Et sic porro. [9] deest.

13

Exc.mus P. D. MARIUS MAZIERS

Episcopus tit. Augustopolitanus in Phrygia, aux. Lugdunensis

Venerabiles Fratres,

In cap. III sermo fit de nova editione Ritualis romani. Huiusmodi labor mihi videtur occasionem opportunam praebere, ut melius exprimatur aspectus socialis tum verborum, tum actionum in sacra Liturgia, tum etiam modi administrationis Sacramentorum.

Patet quod solummodo per Ecclesiam opus salutis nostrae a Christo Iesu perficitur; salvamur etenim per adhaesionem nostram Ecclesiae Christi; et quanto magis sicut membra viventia in Ecclesia existimus, scilicet sicut membra qui non solum propriam salutem quaerunt, sed etiam salutem aliorum, tanto magis opus salutis secundum suam veram naturam intelligimus, quia opus est unionis et communionis et reconciliationis.

Nunc autem, aspectus ille socialis, et, ut ita dicam, « ecclesialis », rarissime percipitur a fidelibus in vita sacramentali.

Plerique putant actiones et gestus sacramentales non esse aliud quam meram expletionem cuiusdam legis moralis, ex qua ipsi solummodo sensum satisfactionis personalis hauriunt.

Alii in Ecclesia quaerunt unice quae sua sunt, et minime sese exhibent tamquam ministros activos in opere salutis aliorum.

Patet insuper quod sacramenta non sufficienter a fidelibus considerantur sicut fontes illius caritatis fraternae, quae est fructus et signum amoris erga Deum.

Propterea, toto corde optarem, ut aspectus ille socialis et ecclesialis modo simplici sed efficaci exprimeretur in unoquoque ritu sacramentali.

Verbi gratia:

1. Quoad Baptismum: deberet apparere melius tamquam signum ingressus in Ecclesiam, tamquam signum incorporationis Christo Domino, ita ut baptizatus membrum Christi fiat, non solum ad proprium commodum, sed etiam ad bonum aliorum. Hoc autem clarius significaretur, si sacramentum Baptismi coram communitate christiana administraretur.

2. Quoad Confirmationem: deberet hoc sacramentum melius exprimere obligationem sese dedicandi vitae apostolicae sanctae Matris Ecclesiae, obligationem testimonium reddendi Christo Domino.

3. In sacramento Poenitentiae fortius manifestari oporteret natura socialis ipsius peccati, in quantum est non solum aversio a Deo, sed

etiam ruptura et aversio a communitate fidelium; inde fortius affirmari deberet obligatio reconciliationis fraternae, quae includitur in ipsa remissione peccatorum ex parte Dei per ministerium Ecclesiae.

4. In sacramento Matrimonii, necesse esset ut coniuges clarius intelligerent quomodo vita domestica, ab ipsis tunc ineunda, tamquam fons primarius vitae ipsius Ecclesiae consideranda est, et quomodo in ipsorum amore reciproco, fideli et fecundo, signum verum invenitur amoris Christi erga Ecclesiam.

5. Optandum esset ut in sacramento Infirmorum melius patesceret aegrotantibus valor eorum dolorum ut complementum passionis Christi et contributum ad opus redemptionis in Ecclesia; eo ipso etiam circumstantes plenius incitarentur ad suavem caritatem erga illos, qui sicut membra Christi crucifixi patiuntur.

6. Optarem etiam ut in omnibus benedictionibus in Ecclesia concessis eniteret aspectus ille fraternus et filialis in fruitione cuiuscumque boni creati, quod per benedictionem a potentia mali retrahitur et a Deo sanctificatur.

Hic aspectus socialis et ecclesialis in ritibus sacrae Liturgiae maximi est momenti in hoc nostro tempore.

Respondet etenim expectationi hominum nostrae generationis, eo quod in una societate vivunt quae magis ac magis collectiva evadit, in qua tamen non semper ea consideratione fruuntur, quae personae humanae tribuenda est, et a participatione activa ad vitam socialem privantur. Nunc autem, ad communitatem humanam adspirant, in qua simul et caritatem sentiant, et propriam contributionem ad bonum commune afferre possint. Ideoque, quanto magis verba et actiones et gestus in sacra Liturgia exhiberentur sicut signum unitatis socialis, communionis fraternae et caritatis universalis, eo magis sicut signum salutis supernaturalis ab omnibus libenter recognoscerentur, secundum illud Evangelii: « Ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus quia Tu (Pater) me misisti » (*Ioan.* 18, 23).

Quapropter humiliter propono, ut prima paragraphus cap. III (de Sacramentis et Sacramentalibus), pag. 179, sic redigatur: « Sacramenta et Sacramentalia ordinantur ad cultum debite Deo reddendum per sanctificationem membrorum Corporis Christi et manifestationem unitatis Ecclesiae; utpote vero signa " ad instructionem pertinent ". Unde fidem non solum supponunt, sed " verbis ac rebus " alunt; et ita eorum celebratio liturgica fideles ad cultum Deo debite reddendum, ad gratiam fructuose recipiendam, et ad caritatem erga proximum fovendam etiam proxime disponit ». Dixi.

14

Exc.mus P. D. ANTONIUS IOSEPH PLAZA

Archiepiscopus Platensis

Em.me Praeses, Patres,

Venio, non ad quaestionem iam multis modis pertractatam in hoc amplissimo coetu, de lingua scilicet vernacula adhibenda in S. Missa et sacramentorum administratione; non ad illam de communione sub duabus speciebus sacramenti, sive pluribus sive aliquibus in casibus; nec ad illam de concelebratione, valde per se et etiam ob rationes dogmaticas inutili in re pastorali, nisi illis in casibus iam determinatis (consecratio episcoporum et ordinatio presbyterorum) vel determinandis (veluti Missa chrismalis); non item ad leges seu normas proponendas de stipendiis aut eleemosynis accipiendis, de quibus iam antiqui novatores non argumenta, sed occasionem arripuere ad alia contra mentem...[1]

Praeses card. Tappouni: Haec dicta sunt... cap. III.

Orator: Propositio mea, quam equidem facere prius renuebam, nunc autem mihi opportuna visa est, directe agere intendit de fundamento seu radice quorundam argumentorum quibus innituntur, qui cum de instauratione liturgica agunt ad argumenta (uti asserunt) pastoralia provocant, quin tamen semper rationem habeant auctoritatis Sacrarum Congregationum.

Ex alia parte, loqui etiam necessarium duxi, ad id ut omnino et aperte constet, *non omnes Patres regionis Fluminis Platensis...*[2]

Praeses: Haec dicta sunt...

Orator: Si instauratio liturgica vere et reapse est opus dignum laude, liturgismus est defectus...

Praeses: Satis: ad cap. III.

In textu scripto tradito: [1] vitam et unitatem S. Ecclesiae facienda. [2] Patres regionis Fluminis Platensis non eo modo sentire, quasi in instauratione liturgica promovenda, liturgismo (sit venia vocabulo) indulgeant.

Etenim si instauratio liturgica vere et reapse est opus dignum laude; liturgismus autem est defectus cavendus, ne contra ipsam instaurationem liturgicam, quam desideramus, omnia vertantur, cum magno animarum damno.

Liturgismus, utpote interpretatio partialis instaurationis liturgicae a Summis Pontificibus magis ac magis commendata, in errorem incidit, et quidem contra actionem ipsam pastoralem quam oretenus praedicat, nam: 1) Auctoritatem Hierarchiae, immo et ipsius Sanctae Sedis, de facto imminuit, quamdam libertatem in re liturgica ordinanda sese arrogans. 2) Contra ea quae Summi Pontifices,

S. Pius X, in Encyclica *Ad diem illum laetissimum*, et Pius XII in Encyclica *Fulgens corona* nos edocuerunt, parvipendit cultum sacrarum imaginum, immo et B. Mariae Virginis. Et hoc nobis et populo fideli ex America Latina maxime dolet, cum ad vitam civilem sub signo Sanctae Crucis et materno amore B. Mariae Virginis, regiones nostrae perductae sint. 3) Intendens populo inservire et eum edocere, de facto ad quosdam coetus selectos sese coarctat, non de vita quae est in Liturgia, sed de formis agens. Ceterum, meminisse iuvat, ea quae Iacobus in sua catholica epistula, cap. II, 6 ss. scribit, ut ad necessitates totius populi nos convertamur, eisque provideamus. Habemus ut donum Dei nobis concessum devotionem et amorem erga Sanctam Sedem, et reverenter accipimus illa quae ab Ea praecipiuntur vel suadentur, nec ulla ex ratione huic auctoritati substituere volumus auctoritatem aliorum, etiam peritorum, quibus cura dominici gregis non est commissa. Periti suum locum habeant, sed a Sancta Sede vocati et sub eius ductu.

Videamus igitur Patres, ne propter rationes quae videntur pastorales, admittamus, vel postulemus, vel proponendas statuamus formulas, quibus detrimentum capiat illa instauratio a Summis Pontificibus intenta in bonum fidelium, habita quidem ratione singularum regionum et gentium, in bonum fidelium dico, non ad novitates sectandas.

Propono igitur:

1. Ut in instauratione liturgica promovenda prae oculis habeatur, et re et verbis, debita reverentia erga Sanctam Sedem et illas Sacras Congregationes quibus instauratio praeparanda commissa erit.

2. Ut rectus cultus Sanctorum et maxime B. Mariae Virginis in Liturgia rite extollatur.

3. Ut instauratio liturgica prae oculis habeat populum fidelem, omnem populum fidelem, ita ut ad fontes vitae accedant, modo captui suo accommodato, quia signum Regni Dei praesentis in mundo est evangelizatio pauperum, et Liturgia actio huius Regni Dei!

15

Exc.mus P. D. IOSEPH ALÍ LEBRÚN MORATINOS
Episcopus Valentinus in Venetiola

Venerabiles Patres,

Ad constitutionem sub n. 52 positam (Ordo brevior baptismi) peropportunas has additiones faciendas Conferentia episcopalis de Venezuela proponit, nempe: *constitutio sic mutetur:*[1] « Conficiatur Ordo brevior baptismi, qui a catechistis, et generatim, in periculo mortis, a fidelibus absente sacerdote vel diacono, adhiberi possit. Item Ordo brevior baptismi conficiatur, qui, in magno et exceptionali baptizandorum concursu, et in locis penuria cleri laborantibus, a sacerdote, de Ordinarii iudicio, adhiberi liceat ».

Explicatur: non raro nostris in regionibus ex saeculari consuetudine, solemnioribus diebus et festis pueri baptizandi turmatim portantur (co-

gita 200) quod quidem periculum generat ut in sacramenti administratione minister, nimia defatigatione, machinarum modo sese gerat ita ut iure timeatur ne aliquoties valor ipse sacramenti in discrimen vertatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

16

EXC.MUS P. D. TULLIUS BOTERO SALAZAR
Archiepiscopus Medellensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Liceat mihi, nomine omnium episcoporum Columbiae (*in America Latina*: *52 sumus*),[1] has proponere animadversiones in cap. III schematis constitutionis *de sacra Liturgia.*

1. Ad n. 55. Ad connexionem sacramenti Confirmationis cum Baptismo indicandam, desiderium proponitur praemittendi renovationem promissionum Baptismi, quod tamen supponit in subiecto sacramenti aetatem sufficientem ad valorem huius actus percipiendum. In nostris autem regionibus, iuxta dispositionem canonis 788, Confirmationem *communiter* [2] infantibus administramus, ita ut perpauci sint adulti qui Confirmationem petant.

Proinde suppliciter petimus ut, in formulis liturgicis sacramenti Confirmationis recognoscendis, duplex redigatur Ordo ad Confirmationem conferendam: alter quidem pro adultis et pueris usu rationis sufficienter praeditis, alter vero pro infantibus, eadem ratione ac pro Baptismo duplex exstat et retinetur Ordo: alter pro adultis et alter pro pueris.

Item opportunum videtur ut competens commissio modo claro definiat quaenam sint materia et forma essentialis Confirmationis, sicut feliciter factum est pro sacramento Ordinis a Papa Pio XII, dulcissimae recordationis.

2. Ad n. 56. Pluribus in adiunctis, fideles ad sacramentum Poenitentiae turmatim accedunt, cum non parvo incommodo sive pro ipsis fidelibus sive pro clero, ibi praesertim ubi sacerdotes deficiunt.

Huic difficultati aliquatenus obviari posset, si, in recognoscendis ritibus et formulis sacramenti Poenitentiae, et etiam rubrica Ritualis romani (tit. IV, cap. II, n. 5), ita emendaretur ut formula brevissima non tantum « urgente aliqua gravi necessitate in periculo mortis » assumi possit, sed quoties causa adsit rationabilis. Hoc enim esset et in

commodum sacerdotum et in reverentiam sacramenti, ad vitandum ne formula longior nimis velociter et modo indebito proferatur.

Immo, timide et forma interrogatoria quidem, addam: nonne opportunum esset si commissio competens attente perpenderet num indultum, passim concessum, fieri posset lex generalis, ita ut sacramentalis absolutio, quibusdam saltem in adiunctis, in quibus difficilis revera evadit confessio auricularis singulorum, dari possit pluribus fidelibus simul? Casus occurrit ordinarie pro militibus in bello: sed nonne extendi posset ad alios coetus fidelium? Hoc tamen ita fieri deberet ut fideles antea debite disponantur et ad contritionem adducantur, et aperte eis proponatur obligatio gravis submittendi peccata sua potestati clavium Ecclesiae cum, post Communionem, primo commode fieri poterit. Esset certe et hoc in magnum bonum animarum et in adiutorium sacerdotum.

3. Ad n. 57. Quae in art. 57 leguntur, quam opportuna sunt. Nam, mutato nomine sacramenti Extremae Unctionis:

a) clarius et magis praecise natura indicatur sacramenti, iuxta verba apostoli Iacobi: « Infirmatur quis in vobis... »;

b) optima, utpote magis vera, resumitur appellatio in antiqua Ecclesia usque ad saeculum XII communiter usitata;

c) facilius erit in animos fidelium psychologice influere ut hoc sacramentum revera videant tamquam sacramentum aegrotantium, et non morientium tantum. Ita minus facile eveniet ut sacerdotes debeant illud cadaveri ministrare. Sacramenta propter homines.

4. Ad n. 60. Optima, et valde probanda, propositio art. 60; quia magno solatio erit aegrotantibus per longius tempus degentibus, et praesertim insanabilibus.

5. Ad n. 65. Etiam desiderata sobrietas in ritibus vestitionis et professionis religiosae quam maxime auspicanda est. Non raro enim hi ritus magis implexi et difficiles (ne dicam longiores!) sunt quam ipsi ritus ordinationis sacerdotalis et consecrationis episcopalis.

Sed et aliud desiderandum videtur: ut quamplurimae manifestationes luctus, tristitiae et amaritudinis, quae in his ritibus aliquando occurrunt, cedant sensibus iucundae donationis et consecrationis servitio divino. Est quodammodo idem quod petitur in revisendis exsequiis.

6. Ad n. 66 (*et ultimum*).[3] Reverenter petimus: in revisendis exsequiis, expresse fiat mentio art. 31, primi capitis huius constitutionis, ita ut diversae classes sollemnitatis in exsequiis omnino excludantur, et unica habeatur classis pro omnibus fidelibus, sive divitibus sive pauperibus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] ordinarie. [3] deest.

Secretarius Generalis:

Faveant omnes audire! De mandato consilii praesidentiae, notum facio huic amplissimo coetui, Sanctissimum Dominum statuisse finem imponere primae Sacri Concilii sessionum seriei die octava decembris huius anni, solemni Sacro cui ipse Summus Pontifex praeerit.

17

Exc.mus P. D. EMMANUEL A. DE CARVALHO
Episcopus Angrensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres Conciliares,

Relate ad cap. III, dicendum mihi liceat:

1. In n. 55, pag. 181, lin. 7. Ritus Confirmationis intra Missam generatim non convenit, ob numerum confirmatorum, praesertim in magnis dioecesibus. Nam Confirmatio fere semper in visitationibus pastoralibus fit et tempus ad omnia canonice praescripta adimplenda deest.

2. In n. 56 eiusdem paginae (Ordo Poenitentiae). Norma nimis generalis traditur, sicut in ceteris sacramentis. Optandum esset ut ritus ac formulae in schemate iam expliciti essent.

Quoad confessiones virorum, C.I.C. in can. 910, par. 2, determinat: Confessiones virorum etiam in aedibus privatis excipere licet. Nihil de obligatione eas audiendi in sede confessionali praescribit. Attamen, ob rationes valde notas, praesertim ut libertas poenitentium foveatur, multum ad salutem animarum conferret, si confessiones virorum, quantum fieri potest, in sede confessionali, ad cratem, excipi debere praescriberetur.

3. In n. 63, pag. 182, lin. 15. « Matrimonium ordinarie infra Missam celebretur ». Haec norma, generatim, servari nequit, quia multoties, in magnis paroeciis, plura matrimonia die dominica celebrantur et sacerdotes desunt, necnon ordo vitae paroecialis, his caeremoniis, perturbaretur.

4. In n. 64, pag. 182, lin. 28: « Benedictiones reservatae, perpaucae, et in favorem tantum episcoporum, habeantur ». E rationibus allatis, quia nihil expresse invenitur, nescimus quomodo et qua ratione recognitio sacramentalium fiet. Ideoque, pro episcopis rogo ut privilegia quae sub nn. 5 et 6, can. 239, sine restrictione « ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis » concedantur; scilicet: n. 5: Benedicendi ubique, solo crucis signo, cum omnibus indulgentiis a Sancta Sede concedi solitis, rosaria, aliasque coronas precatorias, cruces, numismata, etc.; n. 6:

Sub unica benedictione erigendi, in ecclesiis et oratoriis etiam privatis aliisque piis locis, stationes Viae Crucis cum omnibus indulgentiis quae huiusmodi pium exercitium peragentibus impertitae sunt; necnon benedicendi pro fidelibus, qui causa infirmitatis vel alius legitimi impedimenti sacras stationes Viae Crucis visitare nequeant, Crucifixi icones cum applicatione omnium indulgentiarum devoto exercitio eiusdem Viae Crucis a Romanis Pontificibus adnexarum.

Insuper, pro iisdem praesulibus, privilegium audiendi ubique terrarum confessiones humiliter postulo. Dixi.

18

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS CABRERA CRUZ
Episcopus S. Ludovici Potosiensis

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Aliquam animadversionem faciendam habeo in n. 55 schematis Liturgiae, in lin. 8, cum de ritu Confirmationis agitur. Ibi dicitur quod Confirmatio, pro opportunitate, etiam intra Missam conferri potest, eamque praecedat renovatio promissionum Baptismi. Ista promissio mihi videtur ante administrationem Sacramenti saepe numero difficultate laborare in variis regionibus Americae Latinae, eo quod praesertim in visitationibus pastoralibus episcopi ad paroecias foraneas, sunt perplurimi infantes qui ad confirmationem adducuntur vel etiam pueri qui nondum ad septem annos aut ad usum discretionis perveniunt. Ideo, si adhuc consuetudinem loquelae non habent vel non intellegunt sensum promissorum Baptismi anteacti recepti, rationalis, actuosa et consciens non erit praedicta renovatio.

Immo vero, dum in visitationibus pastoralibus ingentes sint multitudines fidelium ex omni aetate et conditione sociali ad Sacramentum Confirmationis accersentes, exoritur non pauca difficultas ut ordinate, reverenter ac devote ad renovationem promissorum procedatur, si ratio habetur de affluentia familiarium et patrinorum in exiguo ambitu templi, ubi vix continentur, et omnes stantes per varias horas angustiantur, maxime propter planctum infantium lugentium in brachiis ad pectora matrinarum.

Igitur mea est propositio, quod in redactione in pag. 181, n. 55, lin. 8, ad scriptum: « Confirmatio etiam intra Missam conferri possit; eamque praecedat renovatio promissionum Baptismi », addantur inse-

quentia verba: « dum in magno concursu fidelium, non agatur, sive intra sive extra Missam, de infantibus vel de pueris adhuc ad discretionis annos non pertingentibus ». Dixi.

19

EXC.MUS P. D. BENEDICTUS TOMIZAWA

Episcopus Sapporensis

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Ante omnia, vellem dicere: ego non sum episcopus quem Praeses nominavit, sed ego episcopus Iaponensis Tomizawa Benedictus.[1]

Rogo ut prae oculis habeatis, in pag. 182, art. VI, *de matrimonio*.

In hoc capite schematis de sacra Liturgia, unice sermo est de matrimonio inter fideles. In Iaponia autem, ubi catholici sunt parva minoritas, maior pars matrimoniorum, quae in Ecclesia celebrantur, sunt matrimonia inter fidelem et infidelem. Desideratur ergo ut in schemate sermo fiat quoque de celebratione liturgica huius matrimonii.

Cum Ecclesia iubeat huiusmodi matrimonium celebrari coram parocho, congruum esse videtur ut permittat tali matrimonio, non autem solemnitatem pro matrimonio christifidelium praescriptam, sed aliquam aptam solemnitatem liturgicam. Hoc peculiariter postulatur in Iaponia et, puto, etiam in nonnullis terris missionum, ubi secundum mores populi matrimonium magna cum solemnitate celebrari solet. Quamvis secundum ius canonicum, Ordinarius loci aliquam caeremoniam ecclesiasticam permittere possit et de facto permittat, prohibetur semper quaevis Missae celebratio pro tali matrimonio. Quod apud partem fidelem magnam tristitiam, apud partem vero infidelem mirationem et facile quoque offensionem causat. Hoc autem omnino evitandum esse videtur. Humiliter ergo vellem proponere ut commissio de S. Liturgia praeparet articulum circa celebrationem liturgicam matrimonii inter fidelem et infidelem initi, in qua contineatur etiam celebratio Missae.

Ratio quidem profundior huius propositionis est: quia ad diffundendum regnum Dei in terris missionum imprimis sinceram aestimationem erga infideles bonae voluntatis ostendere debemus, sicut recentes Summi Pontifices saepe nos docuerunt. Attamen, in actuali legislatione ecclesiastica iste spiritus aestimationis generatim non satis apparet, sed potius quaedam severitas huic spiritui contraria invenitur. Nihilominus hic spiritus aestimationis erga infideles est spiritus genuinus Ecclesiae, quem iam expressit S. Petrus, Princeps Apostolorum, ingrediendo do-

mum Cornelii centurionis verbis sequentibus coram alienigenis: « Vos scitis quomodo abominatum sit viro iudaeo coniungi aut accedere ad alienigenam; sed mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem...[2] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Propter quod sine dubio veni accersitus » (*Act.* 10, 28).

20

Exc.mus P. D. IOSEPH RUOTOLO

Episcopus Uxentinus - S. Mariae Leucadensis

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres Conciliares,

Pauca dicam de n. 64, pag. 182. Optima mihi videtur revalutatio Sacramentalium, quia ipsa, bene administrata, possunt adiuvare ministerium pastorale animarum.

Particulariter propono duo nova Sacramentalia: unum pro adulescentibus et alterum pro iuvenibus.

Omnibus compertum est quod plerumque iuvenes qui ad matrimonium contrahendum accedunt, iam obliti sunt quae a pueritia norunt de doctrina christiana. Ratio principalis est quia a tempore primae Communionis et Confirmationis, nullam habuerunt necessitatem, vel possibilitatem, vel voluntatem catechesis libros relegendi. Verum est quod Actio Catholica, in nationibus ubi libertate gaudet, nonnullos adulescentes et iuvenes utriusque sexus educatione et doctrina religiosa instituit, in societatibus ab auctoritate ecclesiastica dependentibus, sed haec optima institutio ad parvum numerum sociorum reducitur. Ex altera parte, adulescentes non frequentant catechismum puerorum, quia videntur superiores aliis sodalibus, neque iuvenes frequentant catechismum adultorum, quia spernuntur tamquam molesti.

Propono: 1. Novum Sacramentale quod aptetur adulescentibus fere duodecim annorum. Hoc sacramentale potest vocari « Initiatio adulescentiae ». Aetas valde periculosa ista est, praesertim pro filiis operariorum et agricolarum, qui scholas deserunt et sibimetipsis ordinario reliquuntur a parentibus, pluribus necessitatibus pressis.

Bonum...[1] esset adulescentes coadunare aliqua solemni supplicatione, a Congregatione Rituum exaranda vel adprobanda, in qua ipsi possent intelligere pulchritudinem et pericula novae vitae, et etiam possibilitatem virtutes assequendi, auxiliante gratia divina. Post aliquam prae-

parationem ad modum exercitiorum spiritualium, deberent una simul convenire in ecclesiam paroecialem pro cultu speciali ipsis reservato. Possent confici nonnullae interrogationes et relativae responsiones, quibus actio cultus viva et acceptabilis omnibus fiat.

2. Idem potest effici pro iuvenibus sexdecim vel duodeviginti annorum, quae functio sacra « Initiatio iuventutis » vocetur. Hoc alterum Sacramentale debet esse solemnius praecedente, et aliis allectationibus spiritualibus munitum, ita ut fere omnes aetate florentes, post praeparationem catecheticam suo sensui aptiorem, ad sacram synaxim accedant, et postea assistant active novo ritui pro ipsis condito.

Si haec nova Sacramentalia apparatu externo coniunguntur, et indulgentiis peculiaribus ditantur, ita ut etiam parentes alliciant, probabiliter decursu temporis omnes adulescentes et omnes iuvenes, vel eorum magna pars, laeto animo novitates huiusmodi sequentur, magno spirituali profectu. Sperare demum possumus etiam pro ipsorum adulta aetate, secundum Proverbiorum sententiam quae affirmat: « Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea » (*Prov.* 22, 6). Dixi.

In textu scripto tradito: [1] et utile.

21

Exc.mus P. D. MATTHAEUS GARKOVIĆ
Archiepiscopus Iadrensis

Venerabiles Patres,

Neminem nostrum latet id quod Rituale romanum de sacramentis Ecclesiae in genere dicit: « Nihil est in Ecclesia Dei sanctius, nihil utilius, nihil sublimius, nihil magis divinum quam sacramenta, quae Christus Dominus ad salutem humani generis instituit ». Sacramenta gratiam, ad salutem omnibus necessariam, continent et conferunt, *ut omnes scimus.*[1] Finis quippe primarius sacramentorum est sacramentalis, i. e. respicit sanctificationem animarum. Dum sacrificii Missae finis primarius est latreuticus, i. e. laus Dei. Quapropter S. Concilii Vaticani II pars erit, ut olim Tridentini, parochis inculcare ut iterum iterumque in catechesi sacramenta omni ex parte dilucident. Nunc ad rem.

1. In n. 47, duo Ritualia indicantur, alterum Rituale romanum, alterum Rituale particulare, sive peculiares Collectiones rituum a Conferentiis episcopalibus parandae.

Meo modesto iudicio, hic aperitur via revertendi ad deplorabiles conditiones in materia rituum, ante reformatum Rituale romanum Pauli Papae V, a. 1614 editum, a Concilio vero Tridentino tam desideratum.

Ideo humiliter propono, ut hoc venerabile Concilium decernat novam editionem Ritualis romani parare, in linguas vernaculas vertendam, quae editio norma indeviabilis pro omnibus dioecesibus Ecclesiae ritus romani sit. Versioni isti pauci et sobrii ritus peculiares nationales, i. e. pro unaquaque natione, a conferentiis episcopalibus parentur.

2. In praedicto numero asseritur: in nova editione typica Ritualis romani parandi, clare indicetur quid lingua vulgari in Ritualibus particularibus dici possit. Ergo, praesupponitur Rituale, ex parte saltem, bilingue. Hodie cum fides, praesertim catholica, omni ex parte ubicumque terrarum impugnatur, non est nobis de lingua disputandum, ut mihi videtur, et asserere mihi liceat ut, vernacula tantum lingua in versione Ritualis romani et Collectionibus rituum adhibeatur.

Assertionem meam usu saeculorum linguae vulgaris apud nostram croaticam gentem probo. Alii venerabiles Patres alias experientias adducent.

Ne loquar de tempore ante ius Pianum respective Paulinum in dominio apud nos liturgico, affero tantum tempus a Paulo V ad hodiernum diem transgressum.

Noster Bartholomaeus Kašić, sacerdos Societatis Iesu, a. 1640 Rituale romanum Pauli V traduxit in linguam croaticam, quod nostrae dioeceses littorales acceperunt, etiamsi non esset praeceptivum, et per 320 annos in variis editionibus subsequentibus, iuxta novas editiones Ritualis romani exaratis, ininterrupte adhibuerunt. Hoc usque ad a. 1925, cum editio emendata Ritualis romani Pii XI apparuit et ipse Pontifex versionem pro omnibus dioecesibus nostrae croaticae linguae, a. 1930, et slovenicae linguae, a. 1932, probavit. Pius autem XII, beatae memoriae, declaravit naturale esse redire ad pristinam praxim, in aliquibus paroeciis ultimis temporibus interruptam.

Dedit forsan croatica lingua Ritualis romani, per tot saecula, ansam admirationis, scandali vel periculi fidei? Nullo modo! Notandum est, sicut alios ita et nostros archiepiscopos Iadrenses, a saeculo XV ad saeculum XVIII, exclusive exteros fuisse, et ipsi vigiles pastores in usu vernaculae linguae nihil irregulare observarunt et nihil innovare existimaverunt. Immo vero persuasum ipsis erat, vernaculam linguam in liturgia spiritum fidei augere et catholicam religionem servare, quam neque conatus Reformatorum neque minae Turcarum, qui per duo saecula nostras regiones vastaverunt, labefactare potuerunt.

3. Quod autem ad dispensationem singulorum sacramentorum at-

tinet, sequentia breviter observanda respective mutanda esse mihi videntur:

a) In administratione Baptismatis puerorum, exorcismi, qui ex Baptismo adultorum derivantur, eliminandi vel saltem reducendi sint. Ita quoque abbrevietur ritus de supplendis caeremoniis in necessitate baptizatorum, cum ipsi iam in gratia sint. Salivae usus omnino omittatur. Baptismus saepius coram populo voce clara, intelligibili, lente, *i. e. sine festinatione,*[2] dispensetur.

b) Episcopus Confirmationem in lingua vulgari conferat.

c) In sacra Ordinatione, litaniae maiores a populo lingua vernacula recitentur, dum eas episcopus ad altare submissa voce latine recitat. Caeremoniae Ordinationis semper explicentur.

d) In sacramento Matrimonii celebrando, etiam sponsum respiciant ea omnia quae sponsae dicuntur (benedictio anuli, monitum de fidelitate, benedictio intra Missam et finalis). Celebratio ordinarie esto intra Missam matutinam vel vespertinam. Allocutio obiectiva sit (de dotibus et gratia sacramenti, de officiis sponsorum), quia forsan tantum hac occasione nonnulli in ecclesia sunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

22

Rev.mus P. D. BENEDICTUS REETZ
Praeses Congregationis Beuronensis O.S.B.

Venerabiles Patres,

In n. 66 cap. III, de quo nunc sermo est, legimus: « Ritus exsequiarum sensum paschalem mortis christianae clarius exprimat, etc. ». Modo generali hoc optime dictum est. Humiliter tamen potissimum sequentia peto:

1. Ut Officium defunctorum, praeter laudes et vesperas, ad unum tantum nocturnum restringatur, cum lectionibus ex S. Paulo sumptis, in quibus sermo fit de resurrectione mortuorum.

2. Ut absolutio post Missam de *Requiem* non amplius fiat super tumbam, quae paulatim in quibusdam regionibus obsolescit, quia castrum doloris, ut dicunt, a pluribus non intelligitur, cum sit signum nimis crassum, ut ita dicam. Arca vacua est quid valde mirandum. Absolutio semper super pannum fiat, quod certe magis conveniret sobrietati Liturgiae romanae.

3. Ut in exsequiis et in Missis de *Requiem* color violaceus adhiberi possit. Exsequiae Liturgiae nostrae nimis prae se ferunt tristitiam gentilium et eorum qui spem non habent, testibus multis Patribus qui mortem christianorum gaudiosum quid habere dicunt. Ita Aristides, apologeta saeculi II, S. Hieronymus, S. Ambrosius et alii. Dux vitae mortuus, cum christianis mortuis regnat vivus.

4. ...[1] Omnes norunt S. Odilonem, abbatem cluniacensem, diem commemorationis omnium fidelium defunctorum introduxisse. Pius hic usus paulatim in tota Ecclesia catholica in usu esse coepit. Sed neminem latet hunc diem in hodierna praxi, saltem quoad officium, quasi diem aliturgicum factum esse. Laus enim divina cum *Gloria Patri* interrumpitur. Propono ergo ut die 2 novembris ad Officium diei redeamus. Officium enim defunctorum semper fuit aliquid supererogatorium, i. e. aliquid additum ad officium diei. Unica missa de *Requiem* sufficiat, ex multis rationibus vobis omnibus notis. Dicatur ergo unum nocturnum defunctorum, additis laudibus et vesperis. Horae diurnae cum « Requiem aeternam » in fine psalmorum, praesertim in prima et completorio, sunt aliquid valde *mirum* [2] et traditioni liturgicae omnino contrarium. *Orientales in ritu exsequiarum cantant « Alleluia », quod apud nos deest.*[3] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ut dies 2 novembris restituatur sicut antea. [2] mirandum. [3] deest.

23

Exc.mus P. D. ALOISIUS BARBERO
Episcopus Viglevanensis

Em.mi et exc.mi Patres,

...[1] Iure meritoque affirmatur sacrae Liturgiae inesse *characterem* [2] cum pastoralem tum didacticum, at, ni fallor, *nihil fere in schemate invenitur circa aspectus et fructus sociales seu communitarios sacramentorum.*[3] Aliqualis vero mentio fit de effectu in n. 56, ubi legitur: « Ritus et formulae Paenitentiae ita recognoscantur, ut effectum sacramenti clarius exprimant », et n. 62: « Ritus celebrandi Matrimonium... funditus recognoscatur et ditior fiat, ita ut gratia sacramenti clarius significetur ». Sed generice tantum et perpaucum est dictum...[4]

Sane ...[5] opus Christi salvificum ad singulos dirigitur homines quos « Deus praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui » (*Rom.* 8, 29), et ita personaliter ut unus differat ab alio sicut stella a stella, et sancta

Mater Ecclesia singulis Sanctis applicetur verba Sapientiae: « Non est inventus similis illi qui conservaret legem excelsi » (*Eccli.* 44, 20), sed Christus *singulos* sibi coagmentat, ut una societas unumque corpus efficiatur ac regnum. « Redemisti nos, Domine, in sanguine tuo ... [6]; et fecisti nos Deo nostro regnum » (*Apoc.* 5, 9-10). Regnum utique in caelo triumphans, sed de triumpho in terris per Christum parato...[7]

Opus huius praeparationis personalis et socialis, *quae integrae Liturgiae proprium est,*[8] praesertim in sacramentis perficitur. Effectus seu fructus sociales sacramentorum, utique dimanantes a gratia cuiuscumque sacramenti propria, multum certe a primis christianis cognoscebatur, magni habebatur et enixe variis modis fovebatur. Mihi tantum liceat visionem illam « Pastoris » Hermae, saeculo II, memorare ubi mirae turris, e gremio fluminis egredientis, constructio describitur, eaque lapidibus sectis atque expolitis in altum levatur. Flumen esse Baptisma, saxa viventia esse baptizatos, una simul turrim constituentes, scl. Ecclesiam, nemo est qui ignorat. Huiusmodi societatis et regni defensores, in se et in aliis, immo et propagatores, Confirmationis sacramento consecrantur et idonei facti sunt baptizati...[9]

Poenitentia, cuius complementum vel supplementum est Unctio infirmorum, gratiam restituendo vel augendo, vitae divinae circulationem restituit, *quod singulis et toti mystico corpori prodest.*[10] Nonne *insuper* [11] antiqua poenitentia et publica reconciliatio peculiarem rationem socialem ac vim prae se ferebant?

Quid dicam de Eucharistiae sacrificio et sacramento? Rationes et fructus sociales natura ipsa *sacrificii convivialis* [12] evincuntur ac mirabiliter clarescunt.

...[13] Liceat in mentem revocare quod Iustinus (saeculo II) tam perspicue scribebat in I *Apologia,* capp. 64, 65 et 66, circa Missae celebrationem, eamque itaque communitariam. Huius communitariae celebrationis participatio ad absentes etiam dirigebatur, quibus Sacra Eucharistia per diaconos ferebatur et praesertim ad fratres necessitate aut egestate detentos (e. gr. viduae, orphani, aegroti, peregrini, catenis vincti), quibus destinabantur collectae (quae etiam « deposita pietatis » vocabantur).

Nonne communitaria participatio alicuius mensae religiosae signum erat christianorum iuxta Plinii relationem ad Traianum imperatorem? *Nulla ergo res tam aliena est a Liturgia, praesertim sacramentaria, quam individualismus.*[14]

Manent denique sacramenta Ordinis et Matrimonii, quae sensu vero et proprio socialia sunt et ad societatem diriguntur. Nonne sacerdos ordinatur ut fiat « minister Christi, et distributor mysteriorum Dei », qui

« in Missa — ut ait Chrysostomus — Christo aliquomodo manum praebet et linguam »...[15]

Quid tandem de Matrimonio quod domesticam societatem constituit, et filiorum generatione, ut aiebat Pius XI, fel. rec., cives Ecclesiae militanti parat, et sanctos Ecclesiae triumphanti? Matrimonii sociales fructus, immo munera et iura, nullo fere modo nec in libris liturgicis neve in nostro schemate inveniuntur. Quod autem invenitur, scl. verba *sacerdotis,*[16] (post exquisitum et receptum consensum): « Ego coniungo vos in matrimonium », saltem ambiguitati obnoxia sunt dicenda, cum non sacerdos sed sponsi mutuo consensu sacramentum faciunt et sese in matrimonio coniungunt.

Non gratia solum, ut dicitur n. 62 schematis, sed fructus sociales e gratia manantes, immo iura et munera sponsorum declarentur oportet.

Hisce expositis, en votum quod humiliter proponere *vellem*:[17] « Ut in libris liturgicis recognoscendis, in explicationibus vel in adhortationibus, vel in orationibus, clare et aliquantisper fuse, sacramentorum, tam arcte et concinne inter sese connexorum, etiam rationes et fructus sociales explicentur ».

...[18] Quos fructus nostri temporis homines tam profunde experiuntur et ad quos fovendos non raro ad seductores et ad fabulas convertuntur.

Vultum socialem vultum esse nativum Ecclesiae necesse est ut homines oculis videant, corde admirentur, indeque vivant, ita ut, sicut filii et fratres, « Familiam Dei » in terra iterum componant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Inter tantas ac varias voces liceat mihi, etsi exiguam, proferre meam. [2] rationem. [3] nulla prorsus invenitur mentio — in capitibus de quibus agitur — de sacramentis sub respectu sociali, seu communitario et apostolico. [4] at nullo modo apparent sacramentorum effectus seu fructus sociales. [5] verum est quod. [6] (cuius sanguinis efficaciam sacramenta nobis communicant). [7] Nam « caelestis illa Ierusalem quae celsa de viventibus saxis ad astra tollitur » eadem est quam saxa « scalpri salubris ictibus et tunsione plurima, fabri polita malleo, construunt, aptisque iuncta nexibus locantur in fastigio » (cf. Hymn. Caelestis Urbs). [8] deest. [9] Pariter ergo hic exstant effectus et fructus sive personales sive sociales! [10] in membris peccato mortuis, quae spiritualis mors toti corpori magni discriminis erat; vel vitalitatem auget, quod maxime toti prodest mystico corpori. [11] deest. [12] Eucharistiae. [13] Quid communitaria sacrificio participatio qua *singuli* gratias Deo agunt, immaculatam Hostiam una cum sacerdote offerendo seipsos etiam et totum mundum offerunt? Quid sacra Communio qua singuli Christi Capitis concorporei et consanguinei evadunt et inter se vere fraternitatis et caritatis vinculis arctissime se coniungunt nisi rationes et fructus sociales? Mihi adhuc. [14] deest. [15] et cum Christo unico Mediatore, mediator fit? [16] deest. [17] desidero. [18] Quippe.

24

EXC.MUS P. D. RENATUS PAILLOUX
Episcopus Arcis Rosebery

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Circa administrationem sacramentorum et celebrationem et applicationem Missarum, aliqua dicere velim, nempe de taxis — vel iuribus stolae ut aiunt — necnon de stipendiis Missarum.

Istam quaestionem non proxime ad rem liturgicam pertinere et in alia parte schematum melius tractandam esse, quispiam fortasse dixerit. Attamen hanc quaestionem iam breviter adumbratam fuisse, in hac aula Conciliari, omnes memoria repetunt.

Praeterea eorum, qui pastorali officio funguntur, nullus certe est qui ignoret quam multos huius nostrae aetatis homines haec quaestio taxarum et stipendiorum a sacramentis corde optimo recipiendis et a sacra Liturgia adeunda detrahit.

Certe, hanc quaestionem evadere non possumus, si veram vitam liturgicam in fidelibus nostris fovere volumus, et si eos, qui adhuc extra Ecclesiam degunt, ad eam attrahere cupimus. Insuper — et id maxime interest — haec quaestio plurimos, et quidem valde largiores, aspectus continere videtur, qui ad socialem naturam Ecclesiae spectant, de quibus aliqua dicere velim.

Imprimis, haec quaestio eminenter connectitur cum illo christianae paupertatis exemplo, quod Ecclesiae ministri omnibus nostrae aetatis populis — tam materialisticis principiis imbutis — praebere debent. Etenim, inter numerosas causas, quae, hac nostra aetate, populos haud paucos ab Ecclesia deterrere solent, divitiae et externae possessiones, quibus Ecclesia pollet, sine ullo dubio, praecipuum impedimentum praebent.

Durus est hic sermo, sed haec Sacra Synodus exspectationem omnium populorum certe falleret, si a consideratione tanti momenti animum averteret. Et quidem, Summus noster Pontifex, glorianter regnans, paucis abhinc mensibus...[1]

Praeses card. TAPPOUNI: Extra quaestionem. Satis!

In textu scripto tradito: [1] Ecclesiam utpote Ecclesiam pauperum designare non dubitavit. In his orbis partibus, in quibus Ecclesia a saeculis iam fundata est, quotidie audiri potest Ecclesiam partem cum illis divitibus habere, quorum po-

tentes consociationes — quas dicunt trusts — universum commercium ad suam ipsam utilitatem dirigunt.

Immo, et in illis orbis regionibus, quae maxima paupertate adhuc laborant, et in quibus Ecclesia — in Africa, in Asia, necnon in aliquibus partibus Americae Meridionalis — tam longe a divitiis abest, non raro Ecclesia uti dives et divitiarum amatrix a nonnullis habetur.

Ubique terrarum, Ecclesia uti consociata cum pecuniariis potestatibus ita ab inimicis Dei repraesentatur ut pauperibus, operariis, et illi parti generis humani, nunc emergentis, quam Tiers-Monde vocant, magnum scandalum praebeat.

Longe est a me ut has accusationes, quibus Ecclesia impugnatur, plene fundatas esse dixerim. Nos scimus Ecclesiam pecuniis indigere ut opus suum in terris exercere valeat.

Attamen, maxime necessarium opportunumque videtur Ecclesiam sic agere debere ut occasiones removeantur, a quibus supradictae accusationes ortum ducunt.

Quaeritur enim num impossibile sit ut episcopi, clerici, religiosi, religiosae et illi omnes qui Ecclesiae servitio dedicantur, talem vivendi modum sumant, qui, ab omni luxu remotus, solas vitae necessitates provideat.

Certum est enim quod ex modo quo Ecclesiae ministri vivere videntur, tota Ecclesia Christi non raro a maiore hominum parte male diiudicatur.

Longe sumus ab Apostolo Paulo, qui labore manuum et arte quam ducebat, ea quae ad suum victum necessaria erant colligere gloriabatur. Fortasse, decurrentibus saeculis, calamitas fuit quod ministri Ecclesiae sese in specialem classem constituerunt, seipsis certam vivendi normam donantes, quae longe ab ordinariis et minus privilegiatis hominibus differt, et sic fossam inter se et laboriosam classem foderunt.

Hic agitur de domibus, de supellectili, de modis iter faciendi, et aliis quibuscumque, non omissis eis quae ad titulos pertinent quibus appellari solent et qui certe simpliciores fieri possent, necnon de vestibus, etiam liturgicis, quibus adornantur.

Ad maiorem simplicitatem redire necesse est, si ab hominibus huius nostrae aetatis praesertim pauperioribus, tanquam ministri Christi recipi volumus.

Ad congruam sustentationem cleri obtinendam et ad onerosa Ecclesiae opera perficienda quod attinet, utique conscius sum multa problemata his rebus inesse, quae non facile solvi possunt.

Certe, sacerdotes, et alii Ecclesiae cooperatores, necessarias commoditates habere debent, quibus vescantur et tegantur. Sed, ad taxas et stipendia missarum quod attinet, nonne permulti inter nos angustias animae unquam passi sunt, quando simplices homines ad nos venerunt, inquirentes quanta pecunia unicam missam « emere » possint.

Sic loquuntur quia simplices sunt, sed proh dolor! hic modus loquendi, haud dubio, sententiam denotat, secundum quam nonnulli fideles mercatoriam mentem, in hac tam praeclari materia administrationis Sacramentorum, sacerdotibus generaliter adsignant.

Quam facilius res evaderet, si sine ullis stipendiis, Missae ad intentiones Ecclesiae offerri possent! Et quam gloriosum sacerdotii nomen evaderet, si omnes certe scirent sacerdotes non ob lucrum, sed ob solam animarum sollicitudinem, sacramenta ministrare!

Sed tunc necessarium fieret ut fideles omnes socialem aspectum, cum Ecclesiae

tum sacerdotii, acquirant, et pro suis sacerdotibus et religiosis diligenter et indesinenter curare velint. Sentio quod haec propositio, si forte, cum patientia et practicali modo, hominibus nostrae aetatis praesentaretur, paulatim in eorum mentibus radices agere posset.

Ad propagationem Fidei quod attinet, vix necessarium est in lucem trahere quod, sicut ipsum genus humanum, ita et ipsa Ecclesia, praesenti tempore, in duas partes dividitur, nempe ex una parte, istae dioeceses quae reditibus simul et sacerdotibus affluunt, et ex alia, istae dioeceses quae dum omnia instaurare debent, attamen in dura paupertate degunt, et sacerdotum vel aliorum auxiliariorum copia maxime indigent.

Vix necessarium est addere has dioeceses, quae tam dura necessitate premuntur, nihilominus circumstantiis modernis affici et socialem actionem in eis urgere. Exempli gratia, operariorum stipendia augenda esse episcopi merito sentiunt, et ad hoc efficiendum totis viribus laborant. Sed quamdiu, cum reditibus quibus pollent, hoc continuo favere poterunt, hoc valde incertum est.

Iam plures Patres Conciliares nos diserte adhortati sunt ut tota Ecclesia, utpote totum Christi Mysticum Corpus, missionaria fiat, et illae dioeceses quae vere divites sunt, idoneam curam gerant illarum dioecesium quae, in universo orbe, nimia paupertate laborant.

Tempus enim est ut omnes catholici in universo orbe dispersi, suam socialem responsabilitatem seu officium, erga totam Ecclesiae societatem non solum agnoscant, sed etiam in veritate adimpleant.

Haec aetas nostra magnam famam adepta est in eo quod laici, utpote membra Mystici Corporis, se ad Ecclesiam firmiter stabiliendam vocatos esse sentiunt.

Fas sit mihi hic proponere ut hoc officium pecuniae colligendae et ad normam necessitatum distribuendae, aliquo modo peritis laicis ex toto orbe adunatis tribuatur. Tunc fas erit episcopis ministerio verbi instantes esse, et Universalis Ecclesia tanquam realis societas melius apparebit, in qua omnia membra mutuo deserviunt.

Secretarius generalis:

Proxima congregatio generalis habebitur crastina, hora nona. Post disceptationem de cap. III, inchoabitur disceptatio de cap. IV, scilicet de Officio divino.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. II SCHEMATIS DE S. LITURGIA

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD CAP. II SCHEMATIS DE S. LITURGIA *

1

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. D'ALTON
Archiepiscopus Armachanus

Ad initium par. 43 addantur sequentia verba: « Curent animarum pastores ut christifideles sacrosanctum Missae sacrificium tamquam centrum et culmen suae vitae religiosae agnoscant eique frequenter adsistant et praesertim die dominica omnes et singuli qui tenentur christifideles Missam pie audiant ».

Deleatur par. 42.

In par. 44 et par. 45, loco « Ordinarii » dicatur « Ordinarii loci ».

2

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA
Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Pag. 175, art. 39, *De Homilia.* Qui adlaborant in cura animarum bene sciunt quam magna est, reapse, ignorantia religiosa, non solum apud ruricolas et operarios, sed modo generali, doctis non exceptis. Haec est causa indifferentismi multorum, et superstitionum, apostasiae etc. Ideo omnino tenenda homilia in unaquaque Missa diebus dominicis et festivis, quando fideles adsunt. Et non solum commendari, prout stat in schemate. Homilia sit brevis, clara et illis auditoribus maxime accommodata.

Pag. 176, art. 43, *De praecepto Missae festivae.* Hic numerus respicit tantum integritatem Missae e parte fidelium assistentium. Sed est alia quaestio magni momenti, scil. de ipsa possibilitate assistendi, quia aliquibus diebus festivis (e. g. Epiphania, SS. App. Petrus et Paulus, die Assumptionis B. M. V. et Omnium Sanctorum) multis in locis labor in industriis fabrilibus et in commercio impedit quominus fideles ecclesiam adeant. Ipsi pueri scholares liberi non sunt. Ergo videtur necessarium supprimere vel transferre

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt, quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel demum disceptatio clausa est.

obligationem praecepti Missae illis diebus, ne peccata multiplicentur, ut a Pio X factum est.

[*Subsignati etiam*] Augustus card. da Silva, arch. S. Salvator; Ioachim, arch. Florianopolitanus; Ferdinandus, arch. Goianiensis; Iosephus, arch. S. Ludovici in Maragnano; Henricus, arch. Botucatuensis; Vincentius Scherer, arch. Portalegrensis; Antonius, arch. Nictheroyensis; Ioannes de Sousa Lima, AR Manaus; Honoratius Piazera, ep. Nova Iguaçu; Iosephus Vincentius, arch. Aracajuensis; Carolus, arch. Olindensis et Recifensis; Ioannes, ep. Sobralensis; Ioseph, ep. Penedensis; Ioseph Thurler, ep. tit. Capitoliensis; Expeditus Eduardus de Oliveira, ep. Patosensis; Agnellus Rossi, arch. Rivi Nigri; Iosephus Alves Trindade, ep. Montisclarensis; Iosephus, ep. Brigantiensis in Brasilia; Othon, ep. Campaniensis in Brasilia; Rudericus, ep. S. Caroli; Gerardus, ep. Leopoldinensis; Antonio Lima dos Santos, Ilheosensis; Ioseph, ep. Garanhunensis; Alfonso Niehues, bispo coad. de Lajes; Ioachim de Lange, bispo Prelado de Tefé; Christianus de Araujo Pena, ep. Divinopolitanus; Antonius Zattera, bispo de Pelotas; Walmor Battú Wichrowski, VT de Felbes; Clemente José Carlos O.S.B., VR de Nova Friburgo; José, VR de Sete Lagoas; Iosephus Petrus, ep. Caetitensis; Antonius, Bonfimiensis ep.; Ioseph Maria, ep. Arassuahyensis; Adelmo, arch. coad. Maceiensis; Gentil, ep. Mossorensis; Fr. Luis Palha OP, Conceicâo Araguaia (salva festivitate Beatissimae Conceptionis B. V. 8 dec.); Almirius, ep. Fertiliensis; Herminius, ep. Valadarensis; Frater Ignatius J. Dal Monte o.f.m. cap., ep. Guaxapensis; Iosephus, arch. de Pouso Alegre; Gerardus Maria, arch. Judiciforensis; Iosephus, ep. Prudentipolitanus; Iosephus, ep. Stantianus; Raimundo, bispo aux. de Fortaleza; Luis de Nadal, Uruguaiana; Schmidt, ep. Xapecoensis; Lafayette, ep. Riopretensis; Severinus Marianus, bispo de Pesqueira; Augustus, ep. Caruaruensis; Ioannes, arch. coad. Belo Hor.; José, ob. de Oliveira; Alonso Silveira de Mello; Belchior, ep. adm. ap. Luceatinus; Idilio, bispo de Santos; Aristide Pirovano, bispo prel. de Macapá; Manuel, bispo de Campina Grande; Augusto Petró, bispo de Vacaria; Pedro Filipak, bispo de Jacarézinho; Gregorius, ep. Joinvillensis.

3

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. MCGUIGAN
Archiepiscopus Torontinus

Certum quidem quaestiones eucharisticum sacrificium respicientes a praecedentibus Conciliaribus Patribus sat superque investigatas fuisse. Quo facto non obstante nobis sit fas quidnam hac de re sentiamus aperte dicere.

De eucharistico sacrificio, Fidei Mysterium dicto, acturi luce clarius ut sit velimus, omnes orientales ritus, iuxta traditionem, canone 1 Codicis Iuris Canonici sancitam, fideliter asservatos ac retentos iri. Quod asserimus hoc

argumento ducti, scilicet, in Canadensi ditione, in qua byzantini ritus plurimi computantur fideles, familiare nedum nobis, verum ceteris aliis est contemplari plures illos ritus seu caeremonias, forsitan illis latinorum pulchritudine praestantiores, quae ab iisdem Orientalibus magno cum amore persolvuntur.

Altera, vero, ex parte firmiter tenendum censemus in Latina Ecclesia, quamquam Missae structuratio aliqualiter immutari forte expediat, latinam linguam, ad eucharisticum sacrificium quod attinet, omnino servandam fideliterque retinendam. Idque non modo quoad omnes, verum quoque et eiusdem singulas partes.

Indubium, quidem, latinam linguam *universalitatis nota* exornari. Temporibus namque nostris, in quibus tot tantaeque gentes cuiusque loci, cuiusque item socialis coetus, vel necessitatis, vel oblectamenti causa longa itinera arripiunt, Missa, latina celebrata dumtaxat lingua, quaedam vera oasis est, idque ubique tum locorum cum gentium, spiritualis consolationis ac sublevaminis.

Quod illorum magis interest, exteras petentium, migrationis causa, regiones, in quibus lingua populorumque mores adeo quidem ab illis propriis diversa. Quamquam in noviter suscepta patria omnia appareant nova, nullatenus ipsis familiaria, iucundum procul dubio ipsis erit unius latinae linguae ope, eamdem adinvenire Missam, iisdem tum caeremoniis cum precibus constantem!

Sciunt, quippe, ipsi Missam sacrificium esse Deo oblatum quod pro animarum salute praestantissimum quibuslibet aliis exstat valdeque laetantur se posse Deo debitum exsolvere cultum ac in propria faciebant patria, forsitan et interdum ac in florida ipsorum iuventa!

Indubium pariter latinam linguam immutabilitatis dote perfrui. Ideae mysteriaque praefato sermone expressa eadem iugiter permanent saeculorum decursu. Vernaculae linguae, e contra, faciliter mutantur, haud semel brevi temporis spatio delapso variaeque ipsae sunt pro regionum varietate.

Nobis praeterea videtur impossibile fore ut Sacra Romana Congregatio Rituum, quamquam praestantissimis quibusvis praedita atque invigilantibus officialibus, diligenter consulere possit celebrationi divinorum mysteriorum tot adeoque diversis linguis ac dialectibus exsolvendae. Re quidem vera, si vernaculae linguae pro Missae celebratione admittendae essent, plures dioeceses in Canadensi ditione cogerentur in eadem ecclesia Missam pluries celebrare pro vernacularum linguarum diversitate.

Nobis pertimescendum quod si Missa, quamquam partialiter tantum, vernaculo sermone celebrari deberet, id quamdam inde ab initio in animis induceret fidelium perturbationem necnon quod liturgia, taliter immutata, gradatim annorum decursu, ita corrupta fieret atque deformata ut amplius aestimari non possit apta expressio adeo quidem sacri mysterii.

Praeterea, iam vidimus laicorum participationem in Missae precibus latina quoque lingua haberi posse. Quod peculiari modo verum si iuvenes

instruantur, inde a tenera ipsorum aetate, in responsionibus celebranti praebendis.

Plures cognoscimus paroecias in quibus populus Missam canere universim valet in lingua latina, et modo, quidem, sat perfecto; pariterque plures cognoscimus paroecias in quibus christifideles congruas responsiones latina lingua praebere possunt sacerdoti celebranti. Neque difficultas instruendi fideles excusationis causa nobis esse debet ut faciliorem seligamus problematis solutionem, quae, nostra sane sententia, neque periculis, neque fallaciis careret pro Christi Ecclesia.

Persuasum nobis est vernaculi sermonis usum adhiberi posse in administratione quorumdam sacramentorum, in sacramentalibus conficiendis necnon in cuiuscumque generis benedictionibus impertiendis. Ast pariter nobis suasum Missae sacrosanctum sacrificium nunc semperque latine litandum.

Sanctissimus Dominus Noster Papa Ioannes XXIII, feliciter regnans, par temporum mutantibus necessitatibus, demonstravit se intuitum fuisse veras necessitates huius, qua vivimus, tempestatis. Veros sincerosque affectus cordis necnon et comitatem ostendit non modo erga episcopos, presbyteros atque fideles, ubique locorum degentes, sed etiam erga christianos quoscumque, immo et erga illos qui christiano nomine non decorantur quavisque religione carent.

Sanctissimus Pater (quem Deus diu sospitet) omni tum sapientia cum dilectione, quibus fruitur, motus, recenter in christifidelium memoriam revocavit latinae linguae dignitatem, maiestatem necnon et traditionale momentum in Ecclesia latina. In Apostolica Constitutione *Veterum Sapientia* nobis iniunxit ut latini sermonis studium ac usum foveamus in scholis nostris atque Seminariis eumdemque sermonem redintegremus in illum, quem procul dubio, meretur locum.

Ubinam invenire poterimus aptiorem linguam, quinimmo et meliorem, prae ipsam latinam ad sacrum veluti induendum centrale Mysterium fidei nostrae, sacrosanctum, dicimus, Missae sacrificium?

Patres Conciliares, itaque, vos humiliter rogamus ut, viribus coniunctis, quaestionem solvatis circa usum latinae linguae in Missae sacrificio celebrando. Latini ritus Missam in lingua latina integre ac inviolabiliter servate.

4

EM.MUS P. D. RUFINUS CARD. SANTOS
Archiepiscopus Manilensis

In prooemio (linn. 10-11) istius cap. II ansa praebetur sat periculosa ut fideles se sentiant ministros Sacrificii Missae; nam ad concitandam vim ipsorum actuosae participationis, ne veluti inertes et muti spectatores intersint Sacrosancto Missae Sacrificio, dicitur: « ... immaculatam hostiam *una cum*

sacerdote offerendo seipsos offerre discant ». Verbis: « una cum sacerdote » substituantur verba: « per sacerdotem ».

In art. 37, pag. 175. Expressio ut Ordo Missae « ita recognoscatur, sive *in generali dispositione,* sive *in singulis partibus* » nimis dura sonat, videtur enim implicare quasi actualis Ordo esset totus inordinatus.

Art. 42, pag. 176. Non placet ut laicis extendatur, propter permultas rationes. Nam, ut praetermittamus periculum effusionis sacrarum specierum, difficultates quae saepe ex ingenti numero communicantium exsurgunt, sufficiat tantum indicare quod illa praxis moribus hominum nostrae aetatis non concordaret. Non abhinc multis annis facultas data est omittendi usum salivae in Baptismo, quia repugnat moribus hodiernis. Si ritus ille externus repugnans censetur moribus, quanto magis repugnaret praxis bibendi ex eodem calice vel eodem instrumento sumendi?

Art. 44, pag. 176. Penuria sacerdotum in multis regionibus potius postulat ut praxis concelebrandi non extendatur; exceptio fortasse admittenda est pro feria V in Coena Domini.

5

EXC.MUS P. D. PETRUS ARNOLDUS APARICIO Y QUINTANILLA
Episcopus S. Vincentii

Episcopus S. Vincentii, in republica Ss. Salvatoris, diversis rationibus et cum multis episcopis unanimiter, reverenter Concilii praesidentiae sequentes considerationes praesentat, ut si illa bene iudicat, ad sacrae Liturgiae commissionem transferat.

Ad Sanctam Missam.

1. Ut orationes quae « secretae » nuncupantur, in parte magni momenti Sacrificii unicae partes variabiles, supprimantur. Nomen sancti vel mysterii diei, ad finem orationis « Communicantes » addatur.

2. Ut evangelia genealogiae et epistolae nimis longae supprimantur.

3. Ut ultimum evangelium quod, in Missis decantatis praesertim, aliquid superadditum videtur, supprimatur. In eius loco, post benedictionem finalem, sacerdos ad altare versus, psalmum « Laudate Dominum omnes gentes » proferat. Et illo absoluto (vel decantato vel recitato secundum Missam) sacerdos ad altare profunde inclinetur et descendat.

4. Ut in sanctam communionem distribuendo sacerdos unice dicat « Corpus Domini custodiat te ».

6

EXC.MUS P. D. ARNULFUS ARCILLA
Episcopus Sorsogonensis

Art. 41, pag. 176: totus art. corrigatur: « Missa lingua vernacula celebrari potest, iudicio Conferentiae episcopalis ad normam art. 24 huius constitutionis ». *Ratio*: Iuxta supra dicta ad art. 24. [*Cf. pars I, p. 613*].

7

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

Votum meum circa cap. II huius schematis, ampliore modo explicatum, trado secretariae S. Concilii, subiiciendum commissionis S. Liturgiae examini. Nunc, qua par est reverentia, meas observationes vobis Patribus brevissimis verbis propono.

Ad breve prooemium capitis II. 1. Ubi schema loquitur de « paschali convivio », oporteret dicere « paschale sacrificium ».

2. Memoratum prooemium loquitur de subiectiva participatione Missae: videlicet pia, actuosa et conscia ita ut fideles nullo modo intersint altari veluti inertes spectatores; ast nec verbum dicit de alia participatione obiectiva, entitativa, fructuum Missae, obtinenda independenter a conditionibus subiectivis sacerdotis et fidelium et de qua luculenter nos docent theologi.

Ad n. 42. Multa audivimus et clarissima de communione sub utraque specie. Ac in re mihi nihil restat nisi repetere verba Tridentini in sessione XXII: « super petitione concessionis calicis »: « integrum negotium ad sanctissimum Dominum nostrum esse referendum, qui pro sua singulari prudentia id efficiet quod utile rei publicae christianae et salutare, petentibus usum calicis, fore iudicaverit ». Fortasse tamen hic addi posset sequens optatio Concilii: videlicet ut in singulis Missis, fideles adstantes communicent, in quantum possibile, sanctis Hostiis in ipso Missae sacrificio consecratis. Tali modo vividius mysterium altaris participaretur, nec tantum ut sacramentum sed et *ut sacrificium.*

Ad n. 43. Hic numerus inscribitur « Praeceptum Missae festivae ». Tamen omnibus Missis, et praeceptis et non praeceptis, indiscriminatim applicari potest. Quam ob rem alius titulus desideratur. Textui vero sequentia addere oporteret: « Cum de aegrotis vel senibus fidelibus, sive de aliis quibuslibet impeditis agatur, praecepto Missae satisfieri potest Missa vulgo dicta « televisata ». Et ne super re talis momenti abusus eveniant, parochi vel superioris religiosi erit, graviter onerata eorum conscientia, iustam

causam huius gratiae decernere ». Sunt enim personae multae quae praeceptum Missae, valetudinis praesertim causa, observare nequeunt. Hoc in casu, non solum afficientur laetitia ritum sacrum per televisionem spectando, sed etiam participes fient, magno cum gaudio cordis, beneficii spiritualis orti ex praecepto rite adimpleto.

Ad n. 44. Doctrina concelebrationis, non tantum historice et casuistice proponi debet, nec concedi solummodo laboris et commoditatis causa sed fulcienda est argumentis, sive doctrinalibus, sive pastoralibus. In sacrificio eucharistico enim, inter alia, eminet *sensus unitatis.* Concelebratio proinde in tantum debet commendari in quantum est *signum huius ecclesiasticae unitatis.* Haec prae oculis habendo, ita posset redigi numerus citatus: « Concelebratio, in qua sic distincte elucet unitas christiana, cuius signum est ipsum eucharisticum sacrificium, tam in Ecclesia orientali quam in occidentali in usu hucusque remansit. Et, ratione huius unitatis significatae, Concilio facultatem concelebrandi ad illos casus extendere placet in quibus unitas praedicta nitidius significatur, uti ad Sanctum Concilium, ad Synodum Dioecesanam, ad Missam chrismalem, ad vespertinam actionem liturgicam feriae V Maioris Hebdomadae, ad vigesimum, et quinquagesimum anniversarium consecrationis episcopalis et ad id similia.

Ad prooemium cap. II « De sacra Liturgia ».

Ex animo credo huius capitis prooemium nitidius elucere posse, si duo corrigerentur:

Primum. Cum dicit « Salvator noster, in cena novissima qua nocte tradebatur, Apostolis *paschale convivium* in sui memoriam donec veniat iterandum praecepit, ita ut " mortis eius victoria et triumphus " repraesentaretur ».

Dicere deberet: « Salvator noster, in cena novissima qua nocte tradebatur, Apostolis *paschale sacrificium* in sui memoriam donec veniret iterandum praecepit, ita ut " mortis eius victoria et triumphus " repraesentaretur ». En huius emendationis ratio. Quamquam mysterium eucharisticum duabus rebus constat, sacramento et sacrificio, convivio et oblatione; et tametsi convivio Christi passio nuntiatur atque memoratur, Sancto Paulo testante; triumphus, de quo prooemium, non significatur eo quod convivii aut sacramenti habet, sed eo quod oblatio et sacrificium est. Ceterum, textus Concilii Tridentini, ad calcem expressus, loquitur de triumpho, non convivio, sed praesentiae reali indefinite relato. Quae praesentia Christum *dapem* et *hostiam constituit.* Et *ut hostia stricte triumphum exhibet.*

Alterum. Secundae propositioni prooemii haec adderem: « Ita, simul ac fideles actionem perfectam cultus perficerent, virtute religionis adoperatam, se ipsos pararent ut opimi fructus, quos Missae sacrificium vi sua obiectiva fert, uberiores proferrentur, et eventus aestimatiores ederent ».

Ad nn. 41-42 (41 bis). Episcopus subscriptus optaret ut inter numeros 41 et 42, 41 (bis) insereretur, his verbis expressus:

(Communio intra Missam). Vult Sanctum Concilium Vaticanum II fide-

les in partem mysterii eucharistici quam perfectissime venire. « Et ideo optaret ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent »[1] in ipso missae sacrificio consecratae. Tali modo vividius mysterium participarent, nec tantum ut sacramentum sed etiam ut sacrificium. Fideles namque etiam altaris sacrificium offerunt, illisque verba aptari possunt, quae de sacerdotibus dicuntur: « Quale est sacrificium cui nec ipse offerens particeps esse dignoscitur? ».[2] « Per hoc autem fit particeps quod de sacrificio sumit, secundum illud Apostoli: " Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris? " » (*1 Cor.* 10, 18).[3]

Huius additionis causa satis superque ex numero inserto significatur.

Ad n. 43. 1. Licet hic numerus inscribitur « Praeceptum Missae festivae » vim habet, quae non plane *ad praeceptum,* sed *ad Missam* attinet. Et eodem consilio, Missis praeceptis et non praeceptis tribuitur. Quam ob rem alius titulus exposcitur.

2. Si titulus servatur, textus mutandus est. Et textui novo haec addere ut mea opinio fert, oporteret:

Certis in eventis, cum de aegrotis sive aliis quibuslibet iure impeditis agitur, praeceptui Missae satisfieri potest Missa « televisata ». Et ne super talis momenti re abusus eveniant, paroci vel superioris religiosi erit, graviter onerata eorum conscientia, iustam causam huius gratiae decernere.

3. Huius additionis ratio patet: Sunt enim personae quae hoc praeceptum observare nequeunt. Avent tamen observare. Ars autem effecit ut Missa in eorum domos perveniret. Religio in bonum vertere debet artis progressus. Hoc in casu non solum ut praepeditus valetudine, gaudio atque laetitia spirituali afficiatur in sacrificio perspiciendo, sed, vel maxime, ut ipse beneficii spiritualis, ex praecepto religioso exsecuto orti, particeps fiat.

Ad n. 44. De concelebratione. Iudicium episcopi loquentis est numerum 44, in quo de concelebratione quaeritur, non tantum historice et casuistice proponi debere, prout in schemate apparet. Neque mihi consentaneum videtur ut privilegium liturgicum tanti momenti, quale est privilegium concelebrationis, solummodo laboris aut commoditatis causa capiatur; sed potius existimo huius privilegii modum, argumentis theologicis sive doctrinalibus sive pastoralibus esse fulciendum.

In sacrificio eucharistico eminet, inter alia, *sensus unitatis.* « Quoniam unus panis, ait Apostolus, unum corpus multi sumus » (*1 Cor.* 10, 17). In altari proinde signum unitatis multiplicatur. In eo enim materiarum diversitas, panis scilicet et vinum, cum unitate victimae sacrificatae convenit. Multiplicitas offerentium, Christus, minister et fideles adstantes, convenit cum

---

[1] Conc. Trid. Sess. 22, cap. 6, Denz. 944.

[2] *ML.* 41, 282-283.

[3] *Summ. Theol.* III, 82, 4.

unitate oblationis. Et multiplicitas immolatorum, Christus insuper ipse, minister, et iterum fideles, cum unitate sacrificii.

In concelebratione vero, in qua multi administri eundem actum liturgicum Missae conficiunt, *haec ipsa indoles,* sacrificio christiano inhaerens, *sensus scilicet unitatis,* manifeste clarescit, et oportet innoscatur.

Numerum itaque 44 sic redactum iri oportet, ut mentio diserte fiat affinitatum inter concelebrationem et signum unitatis. Oportet, adhuc, ut ipsa concelebratio ammandetur ad celebrationes in quibus clarius hoc signum ostenditur, ut sunt Missa chrismalis feriae V Hebdomadis Maioris, vigesimum quintum et quinquagesimum anniversarium consecrationis episcopalis, etc.

Numerus ergo ita redigeretur: « Concelebratio, in qua sic distincte elucet unitas christiana, cuius signum est ipsum eucharisticum sacrificium, tam in Ecclesia orientali quam in occidentali in usu hucusque remansit. Et, ratione huius unitatis significatae, Concilio facultatem concelebrandi ad illos casus extendere placet in quibus unitas praedicta nitidius significatur, uti ad Missam chrismalem actionis liturgicae feriae V Maioris Hebdomadae, ad vigesimum et quinquagesimum anniversarium consecrationis episcopalis et ad id similia ».

8

Exc.mus P. D. FRANCISCUS AUSTROGÉSILO DE MESQUITA
Episcopus Afogadensis de Ingazeira

Art. 37 cap. II placet iuxta modum, ita scil. ut post verba finalia articuli sequentia addantur verba: « v. g. supprimantur in posterum lectio Evangelii S. Ioannis in fine Missae et recitatio precum leoninarum ». Ratio addendi: sic melius satisfit significationi verborum « Ite Missa est », quibus Missa completur.

[*Subsignati etiam*] Walmor Battú Wichrowski VT Felbes; Emmanuel, ep. Campinensis Grandis; David, ep. S. Ioannis in Brasilia; Manuel Taveres de Araújo, bispo de Caico; Gentilis, ep. Mossorensis; Clemens Ioseph Carolus Isnard O.S.B., ep. Neo-Friburgensis; Iosephus, ep. Garanhunensis; Jorge Marcos, ep. S. Andreae.

9

Exc.mus P. D. LAURENTIUS BASOLI
Episcopus Oleastrensis

Propositio mea est liturgico-pastoralis. In schemate de sacrosancto Missae sacrificio tractatur de partibus Missae, scilicet de lectionibus, de homilia, de oratione communi et de Communione; sed nihil dicitur de Offertorio, quod sane est praeparatio et prima pars sacrificii.

De *Offertorio* igitur mihi opportunum videtur in memoriam revocare antiquum ritum, quo fideles offerebant publice ad altare panem et vinum et alia dona, quae, tum ad materiam sacrificii Eucharistici, tum ad sustentationem sacerdotis, et in solamen et auxilium pauperum inservirent.

Huius venerabilis ritus hodie, in Missa ritu romano celebrata, tantum vestigium quoddam remanet in stipe quae in ecclesia colligitur tempore celebrationis Missae.

Sed haec res multum distat a ritu perspicuo et loculentiore quo fideles, psalmos concinentes in laetitia cordis, accedebant ad altare cum muneribus, quibus significarent semetipsos potius offerre velle una cum Christo.

In votis est ut hic ritus processionis ad offertorium denuo in liturgia admittatur, sed obstat difficultas protrahendi tempus celebrationis.

Tamen, cum mihi videatur aliquam instaurationem in offertorio afferendam esse, haec audeo humiliter proponere:

Primo. Brevitatis causa, possunt reduci in formam breviorem orationes quas sacerdos solus recitat in oblatione panis et calicis.

Secundo. In quibusdam festis solemnioribus et extraordinariis (exempli gratia, in festo Epiphaniae, in Congressibus Eucharisticis, in piis peregrinationibus ad sanctuaria, in die pro pauperibus paroeciae sublevandis, etc.) permittatur, de consensu Ordinarii loci, ritus quo omnes fideles, offertorii tempore, ordinatim ad altare accedant et sua dona offerant.

Tertio. In omnibus Missis de praecepto, nonnulli fideles, communitatem repraesentantes, aliqua dona publice offerant ad altare, ut videri adhuc licet in ritu ambrosiano. A ceteris autem fidelibus, eodem tempore stips quaeratur; sed haec collecta sollicite fiat, ut absolvatur intra tempus Offertorii. Necesse enim est vitare omnino ne stips quaeratur tempore homiliae, vel tempore Canonis, ut fideles, vel ad audiendum attente verbum Dei, vel ad momentum principale sacrificii, tota mente intendere possint.

Quarto et ultimo. Cum Sacrum Convivium sit memoria passionis Christi, et ideo suae immensae caritatis erga nos, necesse est ut fideles aliquod publicum signum dent dilectionis in Christum; quapropter hoc, meo iudicio, congrue fieri potest in Offertorio si oblationes populi adhibeantur non tantum ad cultum, sed etiam in favorem pauperum et eorum qui gravioribus necessitatibus laborent.

Hoc enim in primaeva Ecclesia, teste Sancto Iustino, iam fiebat.

Et quia, ut monet Paulus Apostolus in II ad Corinthios (8, 21) « providemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus », populo reddantur rationes, scripto ad valvas Ecclesiae ponendae, de oblationibus in praeterita hebdomada collectis.

His instaurationibus, Missae sacrificium fiet fidelibus incitamentum ad charitatem alendam et exercendam et sicut per Eucharistiam et Crucis sacrificium Christus in finem dilexit nos et pro nobis tradidit semetipsum, ita in eodem Christi sacrificio fideles exhibeant charitatem erga Christum in

persona egenorum, iuxta illud Evangelii: « quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (*Matth.,* 25, 40).

Ita vero sacrosanctum Missae sacrificium fiet schola charitatis et centrum unitatis.

Quae omnia, ut arbitror, maximam vim *psychologicam* in fidelibus excitabunt, ita ut magis actuosa et gratior fiat participatio sacri, et numerus eorum qui Missam frequentent in dies augeatur.

Quod est in votis.

10

EXC.MUS P. D. CRISPULUS BENÍTEZ FONTÚRVEL
Episcopus Barquisimetensis

Ad maiorem claritatem art. 37, pag. 167, inter alia quae instaurare oportet de singulis partibus Canonis Missae, secundum iudicia peritorum et propter bonum christifidelium, mihi videtur adnumerare sequentia:

1. In fine Canonis Missae, essent omittenda verba: « per quem omnia Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas et praestas nobis ». *Ratio*: quia inveniuntur extra proprium contextum ritualem id est, benedictionis donorum naturae offerentium. In hodierna liturgia, verba haec, sensum non habent, cum nullam benedictionem secum ferant, nam species sacramentales non benedicuntur.

2. Signa crucis quae comitantur verbis: « per ipsum, et cum ipso, et in ipso », etiam omittenda essent. *Ratio*: Etenim nihil significant quoad benedictionem Corporis Domini Nostri Iesu Christi, quod non benedicendum. Immo, Christus Dominus praesens est.

Et ita porro mihi videtur esse in Missa plura signa et plures genuflexiones quae non sunt concordes cum doctrina de unione mystica sacerdotis cum Christo, Verbo Incarnato.

Quoad art. 41 attinet in quo loquitur de lingua vulgari mihi videtur quod Pater Noster et Libera nos, in lingua vulgari dicatur.

11

EXC.MUS P. D. MARINUS BERGONZINI
Episcopus Volaterranus

Em.mi ac exc.mi Patres, audire libeat perpaucas animadversiones, quas super caput secundum de sacra Liturgia fraternitati vestrae humiliter propono.

I. De lectionibus in Missa (pag. 175, n. 38). Sacrosancti Concilii voluntas de lectionibus Missae recognoscendis, valde probanda est.

Curandum tamen est ut quaevis pericopa novo missali inserenda, plenum habeat logicum et historicum sensum, ita ut minime indigeat explicari extrinsecis rationibus vel adiumentis.

Item curandum est ut lectiones, in novo et ampliori cyclo recitandae, tanta eligantur diligentia et sapientia, ut, cyclo expleto, integra doctrinae christianae summa fidelibus tradita sit.

II. De homilia (pag. 175, n. 39). Locutio, qua schema utitur circa homiliam, non videtur probanda.

Parum est dicere: « homilia valde commendatur, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto ».

Bonum est homiliam commendare in Missis de feria, quando populi concursus notabilis sit; at, pro diebus dominicis et festis de praecepto, oporteret *praecipere,* non tantum *commendare.*

Hoc in memoriam reducendum est iam multa provincialia concilia, necnon complures dioecesanae synodi, homiliam auctoritative praecipere pro diebus dominicis et festis de praecepto. His omnibus consideratis hanc propono emendationem: « diebus dominicis et festis de praecepto, nulla Missa, coram populo celebrata, homilia careat ».

III. De concelebratione (pag. 176, n. 44). Si Missae concelebratio, prout nonnulli Patres autumant, non est in liturgicam praxim frequenter deducenda, enixe peto ut saltem concedatur die quinta maioris hebdomadae, in Missa chrismali. Etenim concelebratio haec facilior evadit, quia duodecim sacerdotes necessario adsunt.

Praeterea, ista concelebratio, die quo Sanctissimae Eucharistiae et sacerdotii institutio recolitur, peracta, optime subnotat cleri cum episcopo coniunctionem, populique pietati valde favet.

Denique in ecclesia renovat, saltem quotannis, maiorum morem, iuxta quem episcopus, semper a presbyterorum collegio circumdatus, sacra faciebat.

12

EXC.MUS P. D. RAPHAËL BIDAWID
Episcopus Amadiensis

Paucas adnotationes, benevolae considerationi vestrae, proponere velim, ad ritum chaldaeum quod attinet.

Liturgia chaldaea vetustissima creditur, eiusque praecipua Anaphora, sanctis Apostolis tribuitur. Quare nihil mirum, si tanta simplicitate ac concisione praecellat. Attamen, decursu temporis, plura elementa, praesertim ex ritu latino, introducta fuerunt, demptis multis laudabilibus usibus antiquis.

Sic Synodus chaldaea anno 1853 celebrata, Missam celebrare iuxta rubricas editionis romanae praescribit; quae editio latinismis redundat.[1] Com-

---

[1] *Codificazione Canonica Orientale,* Fonti, serie II, fasc. XVII, pag. 59.

munionem, sub una tantum specie panis, laicis permittit.[2] Linguam liturgicam, nonnisi chaldaeam agnoscit, nullam aliam adhiberi permittens, nisi in lectionibus Sacrae Scripturae, quae in lingua populi legi debent.[3]

Sed ista Synodus latinam, potius quam orientalem disciplinam propriam proposuit. Ceterum, Synodus illa nunquam a Sancta Sede approbata fuit, quare nonnisi levem influxum in reformatione liturgica exercuit.

Laudabiles conatus reformationis Liturgiae chaldaeae, inde a fine saeculi XIX facti sunt; sed multa remanent adhuc facienda, ut vera facies Liturgiae chaldaeae restituatur.

Circa materiam de qua in hac congregatione generali disceptatur, sequentia itaque, nomine quoque plurimorum Ecclesiae chaldaeae episcoporum, propono:

1. Ad n. 37. Ordo Missae chaldaeae ad fidem veterum fontium funditus recognoscatur a commissione patriarchali, actis a Sancta Sede recognitis, ut character proprius huius sacrae Liturgiae clarius eluceat, et in aedificationem fidelium nostrae communitatis magis inserviat.

2. Ad nn. 38 et 39. Antiquae Synodi, praesertim Synodus anni 410 et altera anni 544 Ecclesiae orientis, statuerunt, quavis die dominica, lectiones ex Sacra Scriptura et praedicationem fieri debere.[4] Quare, homilia, ad mentem nostrorum sanctorum Patrum, potius imponenda quam simpliciter commendanda est, diebus dominicis et festis de praecepto. Haec quoque est mens nostra, qui a Christo Domino in mundum missi sumus, ad homines docendos et instruendos in via salutis aeternae, priusquam eis sacramenta administremus: « Euntes... docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».[5] Hoc autem valet praesertim hodie, quum praedicatio intra Missam unica fere sit occasio pluribus fidelibus scientia salutis sese instruendi.

3. Ad n. 41. Quamvis enim in magno honore et summa veneratione linguam liturgicam habeo, nullam tamen video rationem, quare vernacula lingua adhiberi non liceat, in illis saltem partibus, quae elata voce, tam a celebrante quam a ministris dicuntur, ad instar lectionum Sacrae Scripturae. Ceteroquin, usus linguae vernaculae, pacifica possessione, multis in locis iam viget et invaluit.

4. Ad n. 42. Usum antiquum communionis sub utraque specie laicis restituendum opto, saltem in quibusdam casibus, a Synodo Patriarchali determinandis, praeterquam in Missa Sacrarum Ordinationum et Feria V in Coena Domini pro sacerdotibus et diaconis. Id enim maxime foveret unio-

---

[2] Ibid., pag. 58.
[3] Ibid., pag. 69.
[4] Synodus Isaaci Catholici, apud Chabot, Synodicon Orientale, can. IX, pag. 266; can. XIII, pag. 267. Synodus Mar Aba Catholici, ibid., can. XXV, pag. 559.
[5] *Matth.*, XXVIII, 19.

nem fratrum separatorum, apud quos usus ille ad praesentem usque diem servatur et viget.

Communio sub utraque specie in Ecclesia chaldaea primo abrogata fuit anno 1777 a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, propter nonnullos abusus et quaedam pericula ex communione calicis exorta. At tollerata fuit iis locis ubi ille usus vigebat et sine gravi scandalo auferri non poterat.[6]

Usus adhuc viget quadam parte in mea dioecesi Amadiensi in Iraq, quamvis limitatus ad feriam V in Coena Domini. Sancta autem Sedes, hisce ultimis temporibus, illum usum, pro neoconversis ex Nestorianismo in regionibus Syriae et Libani, denuo admisit.

Nimis exaggerata fuisse existimo illa pericula et abusus, quae disciplinae antiquae mutationis causa fuerunt. Potius, id factum iudico, inspirantibus Missionariis latinis, qui nimio permoti zelo, ut non dicam latinitatis fanatismo, omne vestigium Nestorianismi ex Liturgia chaldaea, auferre conati sunt. Hoc autem erat quid naturale illo tempore, quando catholicitas confundebatur cum latinismo. Et ut bene notabat criticus quidam, esset quidem miraculum, quod ita non fuisset.[7] Exinde nati sunt illi hybridismi, qui adhuc videri possunt in nonnullis liturgiis orientalibus.

Benedictus Papa XIV utilitatem christianae reipublicae, praeter bonum spirituale ipsius recipientis, ad legitimandam dispensationem communionis sub utraque specie, requirebat.[8] At vero, bonum christianae reipublicae revera adesse videtur in pristinum usum redeundo, nempe, ut unioni fratrum separatorum conferatur, ita tamen ut, opportunis instructionibus illuminentur « ut sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi... ac propterea, quoad fructus attinet, nulla gratia ad salutem necessaria eos fraudari, qui unam speciem solum recipiunt ».[9]

5. Ad paragraphum secundam de concelebratione. Quamvis nullum vestigium concelebrationis in Liturgia chaldaea invenitur — sacra enim litabat unus tantum celebrans, ab episcopo, eoque absente ab archidiacono, designato, super unicum altare, cum assistentia obligatoria totius cleri, sub poena depositionis ab officio; [10] quod Liturgiae chaldaeae venerandam vetustam antiquitatem comprobat —, attamen hos canones propter practicas utilitates, ad Ecclesiam quoque chaldaeam extendendos velim, relinquendo Synodo Patriarchali, ut determinet ea quae in nn. 45 et 46 de opportunitate et numero concelebrantium atque de ritu concelebrationis dicuntur.

---

[6] Instructio pro Chaldaeis, 6 decembris 1777, in Coll. Prop. Fide, I, n. 524, pp. 323-324.

[7] Cirillo Korolevkij, in *Codificazione Can. Or.*, Fonti, fasc. VIII, pag. 701: « C'eût été miracle qu'il n'en ait pas été ainsi ».

[8] Litt. Apost. *Fra la moltiplicità* ad Nuntium Ap. N., 1 maii 1751, in Coll. Prop. Fide, I, n. 382, pp. 217-220.

[9] *Etsi Pastoralis,* 26 maii 1742, in Coll. Prop. Fide, I, n. 338, pag. 124.

[10] Synodus Isaaci Cath., can. XV, apud Chabot, Synodicon Orientale, pag. 268; Synodus Mar Aba Cath., can. XXVIII, ibid., pag. 559.

13

Exc.mus P. D. FELIX BONOMINI
Episcopus Comensis

Liceat et mihi aliqua per scriptum secretariae generali tradere relate ad schema liturgicum.

Ad Sacrificium Eucharisticum quod attinet: *a*) circa usum linguae vernaculae: mihi videtur permittendus tantum ad lectiones et ad Evangelium; *b*) optarem ut in Missis pontificalibus, solemnibus et cantatis, extendatur ad introitum, graduale, offertorium et communionem quod iam permissum est circa lectiones et Evangelium, videlicet ut sufficiat celebranti eas partes audire quando cantantur a schola; *c*) ut in Canone, opportuno loco, introducatur nomen S. Ioseph; *d*) ut in Missali introducatur Praefatio propria Ss. Corporis Christi; *e*) ut in Canone limitentur genuflexiones quae in genere male fiunt, aegritudinis, senectutis vel etiam negligentiae causa; *f*) ut Missa finiatur cum benedictione sacerdotis et ut dicatur semper « Benedicamus Domino », praetermissis ultimo Evangelio et precibus ita dictis leonianis.

Ad Communionem sub utraque specie quod attinet: cum hodie quoque subsistant causae per quas Sacrosancta Tridentina Synodus eam prohibuit, mihi videtur hodie quoque prohibenda, exceptis casibus extraordinariis a Sancta Sede recognitis.

Circa concelebrationem sacramentalem: mihi videretur concedenda tantum, iudicio Ordinarii, in congressibus sacerdotalibus tantum, vel in Sanctuariis insignioribus, quando difficile sit providere ad celebrationem pro singulis.

14

Exc.mus P. D. ALOISIUS CAROLUS BORROMEO
Episcopus Pisaurensis

Ad n. 42, pag. 176. Supprimendum puto et sic dicerem: « Quoad Communionem sub utraque specie nihil innovetur ».

15

Rev.mus P. D. CAROLUS BRAUNSTORFER
Abbas Praeses Congregationis Austriacae S. O. Cist.

Si adhuc licentia dari potest, infrascriptus sequentia proponere vult.

In regione Austriaca monasteria tam monachorum quam canonicorum regularium ita ministerio animarum vel educationi puerorum in scholis ad-

dicta sunt, ut officio Divino cum Missa conventuali non congrue provideri possit. Aut vigiliae anticipantur, quod in communitatibus religiosis minime convenire videtur, aut Missa conventualis tantum lecta celebratur paucis monachis assistentibus, quia hora matutina istis laboribus occupantur. Forsitan etiam similes conditiones in aliis regionibus existunt.

Concedatur ergo a sacro Concilio, ut Ordinarius cum consilio suo ordinem diurnum ita disponere liceat, ut Missa conventualis etiam tempore vespertino celebrari possit.

16

EXC.MUS P. D. HUGO BRESSANE DE ARAÚJO

Archiepiscopus-episcopus Mariliensis

N. 37, cap. II. Quam maxime expedire videtur ut « Commemoratio pro vivis » a suo, impraesentiarum quem occupat, loco omnino recedat.

Nam praefatae commemorationis praesens (esto perantiqua) positio placidum lucidumque Sacrae Anaphorae cursum extemplo prorsusque abrumpit.

Et re quidem vera, terminus « Communicantes » penes interiectam commemorationem pro vivis, a suo connaturali et germano et etiam primaevo contextu (contextu, inquam a parte-ante dumtaxat) tam longe distat, ut, vel obiter consideranti, in aere, ut ita dicam, pendulus statim obtrudatur.

Hac porro de causa, pene videlicet nominatam termini « Communicantes » expunctionem a suo genuino immediatoque contextu-ante, sponte fit etiam ut postrema pars oblationis « Te igitur » (a verbo scil. « una mecum » usque ad ultimum verbum « cultoribus »), quoad suum ipsius nexum cum aliis eiusdem oblationis praecedentibus partibus, quadantenus saltem, anceps exsistat.

Potest enim haecce postrema pars prout hodie in verbo « cultoribus » explicit, termino « offerimus » vel potius termino « nos » (ante terminum « offerimus » subintellecto) mentaliter adnecti.

Quae sane mentalis coniunctio, non tantum potiore, sed pleno ac plano iure, κατὰ σύνεσιν, fieri posse, imo etiam debere, valde per se innotescit ... modo tamen celebrans exsistat simplex sacerdos.

Quodsi etenim Sacrum faciat episcopus, ab eius mente penitus econtra exulare cogitur eadem modo laudata coniunctio ... vi nimirum eidem episcopo praescriptorum verborum « et me indigno servo tuo ».

Et sic episcopi mens adnectat necesse est (nescio tamen quo pacto) postremam, de qua agitur, partem potius terminis « pro Ecclesia tua sancta catholica »; nullatenus autem termino « nos » ut supra.

His omnibus hucusque dictis probe sciteque consideratis, quam maxime, ut iterum dicam, expedire videtur ut « Commemoratio pro vivis » a suo, impraesentiarum quem occupat, loco omnino recedat.

Quo sane fiet ut Sacrae Anaphorae cursus, in sua, ut olim, placida luci-

ditate, (si ita loqui fas est) feliciter resipiscat, perinde ut ipsius oblationis « Te igitur » (in sua, inquam, postrema parte) primaevus ac ditissimus sensus tandem aliquando instauretur.

Et re quidem vera, ut nonnulli opinantur cum em.mo Schuster, priscis olim temporibus, licet in eodem ferme quo nunc fieret commemoratio pro vivis, a diacono tamen fiebat; dum sacerdos videlicet in Sacrae Anaphorae cursu submissa prosequebatur voce.

Quodsi ita reapse res se haberent, nulla tunc veri nominis innovatio hactenus suggesta dignoscitur; at vera econtra instauratio dumtaxat.

Verum enim vero, hacce instauratione admissa, seu e suo praesenti situ sublata commemoratione pro vivis, de « alibi » oboritur quaestio, in quo eadem sit commemoratio ponenda.

Et heic iam vera suggeritur innovatio, attamen qua felicissimam, ut reor, seipsam ostendens.

Proponitur nimirum eadem « Commemoratio pro vivis » (sine ulla additione vel subtractione) ante « Commemorationem pro mortuis » quae utique in eodem quo nunc « ubi » pergit esse) ita immediate fieri, ut ex utraque deinceps commemoratione nonnisi quasi una resultet, utpote uni eodemque titulo aptissime subiecta, videlicet « Commemoratio pro vivis et mortuis ».

Liceat demum, corollarii instar, quod subsequitur adiungere.

In oblatione, inquam, « Te igitur », post verba « toto orbe terrarum »

a) cum Romanus Pontifex celebrat (summa heic cum reverentia, ut par est, loqui intendo), ei omittendum esset proprium nomen ac proinde statim dicendum « una cum omnibus orthodoxis atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus communicantes et memoriam venerantes etc. »;

b) cum episcopus celebrat, omisso proprio nomine, ei dicendum erit « una cum famulo tuo Papa nostro N. et omnibus orthodoxis etc. » (ut supra);

c) cum denique simplex sacerdos celebrat, ei dicendum erit « una cum famulo tuo Papa nostro N. et Antistite nostro N. et omnibus orthodoxis etc. » (ut supra).

17

Exc.mus P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus Bosanensis, coad. s. d. Kaunensis

1. Initio capitis in lin. 8, verba « et muta » censeo esse delenda, quamvis desumpta ex Encyclica P. Pii XII. Spiritualiter cultae personae saepe fundate quidem volunt in silentio participare Sacrificio. In alio loco idem Pontifex opportune observavit non esse exaggerandum valorem Missae dialogatae.

2. Ad n. 37. Dicta sub hoc numero mihi parum placent, eo quod propositio non satis definita apparet, neque patet, quomodo et quae mutanda sint.

3. Ad n. 39. Propositio optima est, verumtamen aliquid addendum esse videtur: nempe ut prohibeantur inter Missam, vel etiam in connexione cum Missa, publicationes nihil commune cum Missa habentes, persaepe profanae atque indolem commercialem et mundanam habentes.

4. Ad n. 40. Etiam diebus dominicis et de praecepto tales orationes commendandae videntur si Missa cum assistentia populi celebratur, non vero in Missa privata.

5. Ad n. 42. Propter rationes convenientiae, quae aperte ex Liturgia patent, in qua Communio fidelium fit sub utraque specie, minus placet propositio Communionis religiosis et laicis sub utraque specie. Non video aliquam necessitatem vel utilitatem talium exceptionum.

6. Ad n. 44. Casus concelebrationis oporteat definitive enumerari, praecavendo casibus haud necessariae pompae, curiositatis etc. Nemini latet longas et solemnes celebrationes nequaquam fidelium incitamenti Missae assistendi, sed potius desuasionis esse.

7. Ad n. 46. Quare concelebrantes non deberent omnes orationes, submissa voce, dicere? Ceterum concelebrantes potius adsistentibus aequiparari videantur.

Ministerio spiritualis patrocinii erga profugos in variis regionibus ab anno 1945 fungens experientia motus audeam enixe affirmare linguam latinam in Sacrificio Missae retinendam esse, exceptis forsitan solummodo eis, quae in schemate de Epistolae, Evangelii et orationum lectione ad fideles propositum est sub n. 40.

Nec verum est fideles non intelligere, quae in orationibus Missarum latine a sacerdote vel a simul adstantibus dicuntur, cum iam in omnibus linguis habemus missalia pro populo in lingua latina et vernacula redacta.

Teste missionariorum Africae, non est difficile etiam incultos edocere, ut illas paucas preces Sacrificii intelligant et edoceant.

Si suffragium populi de hac re expeteretur, praesertim immigrantium in novas regiones, non est mihi dubium illum in favorem linguae latinae prolatum fore.

Cavendum est insuper, ne usus linguae vernaculae loco latinae stimulum praebeat potius dissentionis inter fideles quam unionis.

In administratione sacramentorum et sacramentalium pro individuis (non tamen in casibus e. g. Confirmationis pro magno numero) sum pro usu linguae vernaculae.

18

Exc.mus P. D. ALOISIUS CARLI

Episcopus Signinus

Pag. 175, lin. 26: « valde commendatur ». Debet praecipi pro diebus festis de praecepto, non tantum commendari.

19

BEAT.MUS P. D. PAULUS II CHEIKHO

Patriarcha Babylonensis Chaldaeorum

Fateor me non esse competentem ut iudicium feram de iis quae dicta sunt in hoc cap. II, de sacrosancto Eucharistiae mysterio. Unam solam observationem habeo circa n. 43, ubi in pag. 176 dicitur: « Hae duae partes tamen ita intrinsece coniunguntur, ut unicum actum cultus efforment ».

Melius mihi videtur omittere vocabulum « intrinsece ». Quia haec coniunctio non est intrinseca parti Missae quae vocatur Eucharistica. In nonnullis Ecclesiis Orientalibus hae duae partes, teste historia, separatim celebrabantur, et aliquando, una pars celebrabatur in unum sanctuarium et altera pars in alium sanctuarium, diverso tempore, celebrabatur.

20

EXC.MUS P. D. ELISEUS COROLI

Episcopus tit. Zamensis maior, prael. null. Guamensis

Ut revera christifideles sacrosancto Eucharistiae mysterio « non velut inertes et muti spectatores intersint, sed ut ritus et preces bene intellegentes, ea actuose, conscie et pie participent » (uti optime dicitur in prooemio secundi capitis de sacra Liturgia, pag. 175), haec mihi notanda maximi momenti videntur:

I. Addere placeat post n. 43, pag. 176 [*Praeceptum Missae explicandae*]: « Quo magis ac magis fideles enixe et utiliter sanctae Missae participes fiant, sacerdotes ad animarum curam addicti, *statutis temporibus,*[1] *sub gravi tenentur* christifidelibus *explanare* naturam, fines, fructus, preces et ritus sacrificii Eucharistici, quod est memoriale mortis Domini atque immolatio totius Corporis Christi Mystici. Opportune et specialiter doceant cum Victima Divina aegrorum tormenta, opificum opera et labores, iuvenum fervorem ac spirituales victorias, omnium denique christianorum labores atque bona opera, dummodo haec omnia in caritate peragantur, unica offerri oblatione a Christo Iesu necnon ab ipsis christifidelibus sacrificio Missae adstantibus simul cum sacerdote litante in altari ».

---

[1] Dicitur « statutis temporibus ». Erit, si placuerit, commissionis de sacra Liturgia determinare ac pressius redigere a quanam auctoritate statuenda sint haec tempora: nempe ab Ordinario loci an a Conferentiis episcopalibus nationalibus vel a S. Sede. Haec obligatio utiliter extendi poterit etiam *Magistris novitiatus sororum.*

Huius additamenti paucas has rationes enuntiare liceat:

1. Opportunum, immo necessarium videtur ut *obligatio explicandi Missam significetur claris verbis ac vehementibus* ita ut sacerdotes vim decreti animadvertant eiusque rationem modumque plene intellegant.

2. Potissimum est utique fideles verba Missae proprio sermone intelligant; attamen, ut patet, non minoris momenti est ut *rem ipsam* theologicam et mysticam eiusque virtutem atque praestantiam rite *cognoscant et diligant.*

3. Explanationes quae desiderantur maximam vim praebent ad vitandum illum sterilem « formalismum », quo nempe ipsae precationes non satis intellectae ad vocis flatum aërem verberantem adigantur. Et tandem aliquando monstrum illud « formalismi », quod sacrum hoc Concilium sapienter laudabiliterque deprecatur, paulatim dein evanescere poterit.

4. Hisce explanationibus sacerdotes ipsi optime usi ad infinitae pulchritudinis immensique ponderis Sanctae *Missae studium allici* poterunt.

5. Omnibus denique christifidelibus, operariis praesertim ac iuvenibus, notio quaedam praebenda est verae uniuscuiusque altissimae dignitatis sacerdotalis iuxta verba Petri: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta... » (*1 Pt.* 2, 9). Singillatim probe *sciant opifices iuvenesque omnes nostri temporis se reapse cum ipso Christo Iesu operam navare posse et debere* ad totius mundi redemptionem sine ullo gentis vel stirpis vel cuiuslibet socialis ordinis discrimine. Intelligant sane ipsorum *arctam unionem sacerdotalem et ecclesialem cum Christo* non *absolvi* solummodo circa altare Missae per orationes et preces elatas, sed etiam per suos labores, maerores aut gaudia *in domibus vel in officinis,* semper et ubique.

II. N. 24, pag. 167, de lingua liturgica videtur ex parte saltem *irritare ac vana reddere* quae cap. II, pag. 175 et seqq. statuuntur de actuosa, conscia ac pia participatione fidelium sacrosancto Missae mysterio.

Etenim ob supradictas rationes, ut revera nempe christifideles « preces bene intellegentes, ea actuose, conscie et pie participent », valde opportunum mihi videtur *a textibus liturgicis mentem et spiritum exprimi debere uniuscuiusque gentis.* Quapropter necesse est ut sermo, quo preces, invocationes et symbola liturgica conficiuntur, 1) non solum lingua vulgari instruatur, 2) sed etiam *servilis ac litteralis translatio* primigenii textus liturgici formularum lingua ac spiritu latino confecti omnino *non sit,* 3) immo sit potius *significatio et enuntiatio stylo ac forma adaequata sensibus* pietatis ac religionis *hominum* qui *nostro tempore* vivunt, laborant et pugnant.

Omnes norunt exempli gratia precationes liturgicas aliquando, etiamsi vulgato sermone recitentur, frigidas, inadaequatas ac nihil vel parum significantes a christifidelibus inveniri. E contra omnino suis sensibus consentaneae a fidelibus habentur et *diliguntur illae innumerae preces recentiores vernacula lingua confectae,* quae tamen extraliturgicae dicuntur.

Revera elevatio populi christiani non videtur necessario haberi tantummodo si ad Deum christifideles accedant sermone et forma transactae et demortuae aetatis; atque nostrae aetati sermonem ac formam esse quo magis

proprie ac suo marte Deus adorari possit, negare neque christianum videtur neque fas. Ergo sacrosanctum Eucharistiae mysterium sermone et stylo vere actualibus iuxta formas cuiuscumque gentis proprias enuntietur, significetur ac celebretur oportet.

21

Exc.mus P. D. ALFREDUS COUDERC
Episcopus Vivariensis

Placeat commissioni liturgicae ut illi exponantur postulationes sequentes:

1. Quoad *concelebrationem Missae.* Proponunt cap. II, art. 44 et sequentes, ut extendatur concelebratio ad quosdam casus v. g. « ad missam Chrismatis » et « ad conventus sacerdotum, si ad singulas celebrationes aliter provideri non possit ».

Concelebratio valde utilis videtur in conventibus sacerdotum pro *exercitiis spiritualibus* peragendis, quando participantium numerus difficiliorem reddit celebrationem Missae, ob paucitatem altarium et difficultatem silentium, pacem et religionem servandi; fiunt enim aliquando verus cursus ad altaria et dolendae discussiones.

Ad haec vitanda, in seminariis et similibus domibus ad exercitia spiritualia destinatis, episcopus solus, vel sacerdos delegatus, celebrat, sacerdotibus assistentibus et communicantibus. Melius et efficacius esset, si sacerdotes concelebrare possent cum episcopo, et communicare sub utraque specie; quae agendi ratio magis pietati faveret.

2. Iisdem difficultatibus ansam praebent quaedam *peregrinationes* (Lourdes v. g. et alia huiusmodi sanctuaria). Si coram peregrinantium frequentia concelebrare possent sacerdotes Missam a perito sacerdote explanatam et pie ardenterque animatam, profundior evaderet aedificatio fidelium.

3. Item pro concelebratione quaestio *stipendii* ab auctoritate papali vel episcopali deberet solvi. Fideles forsan non admitterent stipendium pro Missa concelebrata aequale esse stipendio pro Missa ab uno celebrata. Concelebrantis stipendium statui forte posset aequale dimidiae parti normalis stipendii. A commissione quaestio solvatur, si placet.

4. *De ieiunio eucharistico.* Quidam Concilii Patres votum emiserunt ut minuatur ieiunii tempus sive pro celebrantibus, sive pro fidelibus, et loco trium horarum ad duas vel unam horam reducatur. Quae postulatio legitima videtur ob diversas rationes.

Quidquid sit, memorandum est quod multi hodie sacerdotes, diebus dominicis et festivis, bis aut ter in horis matutinis debent celebrare, et propter propinquitatem proximae celebrationis non habent inter Missas possibilitatem aliquid sumendi, ne quidem potum. Debent enim intra Missas praedicare, et inter liturgicas celebrationes pueros catechizare, confessiones au-

dire, fidelium placitis et quaesitis se praebere attentos, inter diversas paroecias iter agere etc., quod non fit nisi cum labore et lassitudine. Pro illis sacerdotibus poteritne Concilium tempus eucharistici ieiunii minuere, ita ut illis permittatur cibum aut potum sumere inter Missas, qualecumque temporis spatium intercedat inter eas?

22

Exc.mus P. D. IOANNES B. DA MOTA E ALBUQUERQUE
Archiepiscopus Victoriensis Spiritus Sancti

Ad pag. 37 haec adnotasse iuvat, nempe:

1. Ordo Missae recognoscatur ad similitudinem sollemnis pontificalis episcoporum, id est, prima pars, quae liturgia verbi vocatur, non ad altare, sed ad ambonem, vel in aliquo sedili tota perficiatur.

Rationes: *a*) haec praepositio minime novitatem sapit, et optime congruit tum historiae cum Missae indoli et maxime fovet fidelium participationem. *b*) Adstantes facili intuitu discunt duas esse in Missa partes quarum altera ab altera differt pondere et natura. *c*) Haec enim ritus ordinatio inducit fideles in mensa verbi prius alendos esse quam ad mensam Corporis Domini deinde accedant. *d*) Haec insuper ritus ordinatio momentum habet pro oecumenismo, cum liber inspiratus in loco evidentiore ponitur et centrum et culmen totius primae partis celebrationis evadit.

2. Ante-missa, omissis precibus ad gradus altaris, cum introitu incipiat.

3. Nulla ratio videtur adesse ad orationes et canonem sub secreto dicendas. Omnia elata voce proferantur ut a toto coetu fidelium audiantur.

4. Praefationum numerus augeatur; etiam formulae Missarum pro martyribus, confessoribus etc. multiplicentur; formula propria desideratur pro confessore non pontifice sacerdotio tamen aucto.

5. Maior distinctio desideratur inter canonem et Pater Noster. Sacerdos dicere debet totam doxologiam finalem canonis usque ad « per omnia saecula saeculorum ». Populus respondet Amen. Tunc tandem, post Amen, celebrans calicem cooperit, genuflectit et prosequitur: « Oremus »... « Pater noster », utpote oratio non sacerdotalis, ab universo populo, in Missis cantatis, una cum celebrante cantatur. Embolismus orationis dominicae clara voce recitatur.

6. Ut communio fidelium arctius actioni sacrificali coniungatur, repetitionibus vitatis, celebrans post sumptionem pretiosissimi Sanguinis, statim ad fidelibus communionem distribuendam procedat. Fideles communicaturi una cum celebrante ter recitent « Domine, non sum dignus ».

Formula distributionis communionis sit: « Corpus Christi. Amen ».

Quoad par. 41, hanc praecisationem propono: locum proprium linguae vernaculae ratio pastoralis assignat. Si ratio pastoralis nulla est, ut puta in

seminariis, in monasteriis, in Missis privato modo celebratis, lingua latina et hodierna ritus ordinatio retinenda sunt.

Ubi minus urget pastoralis ratio, utputa in Missis sollemnibus cum cantu celebrandis, etiam lingua latina retinenda est.

23

Exc.mus P. D. IOSEPH ADELINUS DANTAS
Episcopus Garanhunensis

Non tantum meo, sed quindecim Brasiliensium nomine loquor episcoporum.

Primo. Ad illa verba cap. II schematis, in lin. 7, in pag. 175, scl.: « Itaque curat Ecclesia ut christifideles huic mysterio fidei non velut inertes et muti spectatores intersint, sed ut ritus et preces bene intellegentes, ea actuose, conscie et pie participent », nos equidem humiles censemus rem maximi momenti exprimi, auribus nostris digna quae sonentur.

Sed, reverenti nostro iudicio, illa verba ut finem attingant suum, necesse esse videtur ut illud perficere valeant quod in n. 41, in pag. 176, optatur, id est: « Linguae vernaculae in Missis cum populo congruus locus tribuatur ». Nos equidem intelligere non possumus fideles nostros non inertes, non mutos spectatores esse, sicut nunc sunt, sed, actuose, pie et conscie, ritus et preces bene capientes, quin antea eisdem opportunus tribuatur in Missis vernaculae linguae locus.

Non igitur videmus cur tanto timeamus lingua uti vernacula in Ante-Missae partibus, verbi gratia, quae catechetica est et appellatur.

O utinam! O nos vere fortunatos animarum Pastores, qui, hoc Sacrosancto Oecumenico dimisso Concilio, in nostras olim dioeceses reversi, gaudio magno valde gavisi, fidelibus nostris magna voce dicere possimus: Gaudium magnum annuntio vobis, hoc quod est: Vulgari linguae in Missis congruus locus tributus est. Perlaetantes tunc sentient inutiles suas pro nobis non evasisse preces effusas.

Secundo. Reverentes proponimus in omnes Missarum textus recentiorem psalmorum versionem introduci, non ipso excluso psalmo 42, hoc vero facultative.

[*Subsignati etiam*] Acatius Rodrigues Alves, ep. Palmonopolitanus; Serafim Fernandes de Araújo, ep. tit. Verinopol., aux. in Brasile; José Vicente, arcebispo de Aracajú; Severino Mariano, bispo de Pesqueira-Brasil; Franciscus Austregesilo Mesquita, ep. Afogadensis; Walmor Battù Wichrowski, VT Felbes in Brasilia; Augustus, ep. Caruaruensis in Brasilia; Walfridus Teixeira Vieira, Larandensis ep.; Manuel Tavares de Araújo, bispo de Caico-Brasil; Antonius Fragoso, ep. tit. Ucrensis in Brasilia; Emmanuel Pereira, ep. Campinensis Grandis; Albertus Ramos, arch. Belemensis; José Varani, ep. Jaboticabalensis.

24

EXC.MUS P. D. LEO DE URIARTE BENGOA
Episcopus tit. Madaurensis, vic. ap. S. Raymundi

Spiritus Sanctus posuit nos regere Ecclesiam Dei (*Act.* 28) proindeque nostrum ministerium est spirituale et perficiendum mediis spiritualibus inter quae primatum tenent Sancta Missa et divinum Officium. Sancta Missa qua divinius non est in Ecclesia Dei ut confitetur IV Concilium Lateranense dicens: necessario confiteri cogimur nihil sanctius agi posse a fidelibus quam offerre sacrum Sacrificium Missae. Sed post Missam nihil sanctius quam divinum Officium sic dictum ut ait S. Thomas, quia continet divina, nos ad Deum ducit et nos divinos facit. Qua de causa sicuti sacerdos est ex hominibus assumptus et pro hominibus constituitur, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis; ita sacerdos est pro recitando officio divino pro mundo et pro peccatis, ut ait Sanctus Ambrosius. Hac de causa, sicuti non mihi videtur diminuenda Missa in essentialibus, ita neque Officium divinum supprimendum in essentialibus Horis pro ceteris laboribus. Habemus exemplum in Actibus Apostolorum quando duodecim Apostoli dixerunt in principio Ecclesiae Hierosolymis: « Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis. Considerate, ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine » (*Act.* 6, 2-5). En programma nostrum. En programma sacerdotale. Ratio enim est, ut ait Apostolus Paulus (*Eph.* 6, 12) « Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiae in caelestibus ». Ratio diminuendi recitationem Officii divini quam adduci solet est labor ingens et nimius inimicorum; sed inimici nostri vincendi non sunt armis materialibus sed spiritualibus. Apostoli Domini erant duodecim contra universum mundum sed sermo eorum non erat in « persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione virtutis Dei » (*1 Cor.* 2, 4). Et Iesus illis et nobis dixit: Ecce enim vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (*Matth.* 28, 20). Mundus hodiernus in duas partes dividitur: in spiritalem et in materialem: ergo si victoriam spiritualismi volumus, spiritualia fovere debemus; nam si materialibus mediis utimur victoriam materialismi fovemus.

Multi sunt tamen ex mundo spirituali qui subconscienter (proh dolor!) materialismum iuvent, ideoque aperte nos spiritualia fovere debemus.

Conclusio. Missa et Officium divinum in suo esse essentiali intangibiles esse debent, et si quae mutanda sunt processu temporum, meo humili iudicio valde accidentalia tantum acceptari posse existimo.

25

EXC.MUS P. D. ZACHARIAS DE VIZCARRA
Episcopus tit. Eressiensis

Frequentissimae anxietates, quas experiri solent fideles timorati circa observationem ieiunii eucharistici, non sunt imminutae, sed potius auctae, postquam instaurata est nova praxis Missarum et communionum serotinarum.

Aliquae certe anxietates allevatae sunt circa stillas aquae ieiunium frangentes, praesertim pluvioso tempore, post benigna decreta a Pio XII promulgata; sed aliae anxietates aggravatae sunt, postquam Missae celebrari solent et communiones administrari, non in primis solummodo horis matutinis, ut antea generatim fieri solebat et in quibus facilior est ieiunii naturalis observatio, sed intra vel post labores diurnos, saepe duros, in officinis et in operibus industrialibus, mercatoriis, fabrilibus, campestribus, culinariis, textilibus, lavatoriis, molendinariis, etc., in quibus occurrere solent innumerae occasiones exspuendi minimas rerum particulas quae transglutiri non licet, sine infractione strictissimae legis actualis de ieiunio eucharistico, quae, ut auctores passim scribunt, non admittit parvitatem materiae.

Ita, exempli gratia, legitur in vulgatissimo libello Antonii M. Arregui, S. I., cui titulus *Summarium Theologiae Moralis,* ed. romana 13, pag. 361, ubi dicitur: « Haec lex... non admittit parvitatem materiae ».

Fulciunt auctores hanc legem cum textu Missalis Romani « De defectibus » (tit. IX, num. 1), ubi dicitur: « Si quis non est ieiunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquae, vel alterius potus aut cibi per modum etiam medicinae, et in quantacumque parva quantitate, non potest communicare nec celebrare ».

Temperatur quidem aliquantulum ista lex, in n. 3 eiusdem tituli, ubi agitur de cibi reliquiis in ore remanentibus, de quibus dicitur: « Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae. Idem dicendum, si lavando os deglutiatur *stilla aquae praeter intentionem* ».

Sed non defuerunt qui dicerent hanc exceptionem applicari non posse, nisi reliquiae, sicut stilla aquae, transglutiantur involuntarie et « *praeter intentionem* »; quia secus non sumerentur « per modum salivae ».

Ideo Ferreres suggessit novam aliam rationem prudentiae pastoralis, dicens: « Vel quia Ecclesia ita permittit, ad sedandas frequentissimas anxietates, in re quotidie occurrenti... Vide Lehmkuhl, n. 160; Noldin, 150 » (Ferreres, *Compendium Theologiae Moralis,* ed. 8, vol. II, pag. 244).

Haec via prudentiae pastoralis videtur optima et aptissima ad sedandas anxietates saepissime in hac materia occurrentes, similes illis quae, ante Pium XII, exsistebant circa stillas aquae, et quae nunc aggravatae sunt circa alias parvitates frequentiores pro serotinis horis.

Plures enim pii fideles, et praecipue qui duris laboribus ante communionem serotinam incumbunt, molestis anxietatibus sunt obnoxii, arbitrantes teneri se obligatione saepissime exspuendi, ne traiiciant parvitates, quae, vere vel imaginarie, in os irrepsisse credunt.

Hoc fere modo secum arguere solent: Si, dum triticum cribras vel molis, vel paleas ventilas, vel cerealia conteris, vel culcitas tundis, vel aliud quid simile facis, videatur tibi aliquam parvitatem earum rerum in os intrasse, et pertinere ad ea quae moralistae declarant digestibilia vel potabilia, debes ea exspuere toties quoties, ne advertenter transglutias.

Si, dum laboras cum farina vel quocumque pulvere rei digestibilis, arbitraris aliquam illius pulveris parvitatem in os irrepsisse, debes similiter et plene exspuere.

Si, dum altare oscularis, aliqua parvitas cerae labiis tuis inhaesit, et in os penetravit, debes eam statim exspuere, etiam populo spectante; quia cera, quamvis aliquibus videatur indigestibilis, alii tamen contradicunt, quia passim comeditur cera cum melle, in favo mellis.

Si aliqua ipsius salivae tuae parvitas ad externam labiorum partem defluxit, dum colloqueris, vel canis, vel etiam coram populo praedicas, et eam parvitatem denuo absorbuisti, debes eam exspuere; quia saliva non est aqua, et, simul ac internam labii partem reliquit, et postea e labio externo regressa est, eiusdem est conditionis ac tuus sanguis, qui, dum exit in parte interna labii, non frangit ieiunium, et frangit, si a parte externa labii proveniat.

Possemus ita plures alios casus exponere, qui fideles pios angere solent, cum notabili spiritualis pacis detrimento.

Certe, card. Lugo, loquens de lotione oris ante communionem, dicit non existere obligationem exspuendi aquam haustam nisi bis vel ter, et ait contrariam praxim sapere pharisaismum (*De Euch.,* d. 15, n. 34). Sed est valde difficile ut plures fideles possint definire limitem ubi incipit vitium pharisaismi, et ubi desinit obligatio gravis observandi strictissimam legem excludentem quamlibet parvitatem materiae.

Ideo auderem proponere ut, in praedicto ordine pastoralis viae, quam feliciter Pius XII inauguraverat, praepararetur nova declaratio, qua norma in dicto Missalis Romani titulo posita amplietur et compleatur, cum formula quae posset fortasse adumbrari hoc vel simili modo: Si quis, intra horas a Pio XII statutas pro servando ieiunio ante Missae celebrationem et communionis distributionem, transglutiat parvitatem aliquam rei digestibilis vel potabilis, sine intentione se reficiendi vel nutriendi illa parvitate cibi vel potus, sed cum fine vitandi inurbanitatem vel molestiam exspuendi talem parvitatem, praesertim coram populo vel aliis conspicientibus, non frangit ieiunium eucharisticum.

Cum hac vel simili declaratione, evanescent plurimae anxietates, quae fideles pios, et praesertim viros ac mulieres manibus laborantes, frequenter affligere solent.

26

EXC.MUS P. D. MICHAEL DOUMITH
Episcopus Sarbensis

In cap. II « de sacrosancto Eucharistiae Mysterio » aliqua omissio animadvertitur circa sacram Communionem.

Etenim ne fideles Missae intersint « velut inertes et muti spectatores » enumerantur media, quibus adhibitis, « actuose, conscie et pie » Mysterio participare possint. Haec autem media, lectiones nempe, cantus, homelia et oratio videntur externa et, ut ita dicam, mere technica. Sed, his retentis, nonne posset etiam indicari alia via, et quidem prima, qua fideles Mysterio participare possunt, non tantum externa quadam attentione, sed vera et interna communione et quidem sacramentali.

Et revera, in hac materia, non omnes fideles in recta via ambulant. Sunt enim qui, magna devotione moti erga Eucharistiam, Communionem petunt « opportune, importune » in Missa, extra Missam et sine Missa. Sunt autem alii qui, ignorantia aut indifferentia retenti, ne raro quidem ad eucharisticam mensam accedunt: existimant, Missa audita, seipsos ad nihil aliud teneri. Qui omnes, male aut nullo modo instructi de sacra Communione, non inveniunt in capite proposito remedium conveniens. Multa enim in hoc capite dicuntur de mensa verbi, de mensa autem corporis fere nihil, nisi per transennam.

Illis qui Communionem extra Missam petunt, non dicitur Communionem esse partem Missae et ideo in Missa quaerendam esse: Missa enim est oblatio simul et convivium et qui intendit manducare, ne negligat offerre. Illis autem qui de Communione non curant, non dicitur quod non sufficit videre, audire immo et cantare: haec omnia perfici possunt, quin abluatur cor et reficiatur anima. Missa non est sermo (conférence) aut cantus (récital) aut spectaculum, sed est oblatio simul et convivium et qui offert, ne negligat manducare.

Unde ad doctrinam plene exponendam, optatur ut de sacra Communione addatur, post art. 41, aliquis articulus qui sic haberet: « (de sacra Communione). Hortantur fideles ut, cum Missam assistant, ad mensam eucharisticam accedant, Mysterio vere participantes, oblatione sui et manducatione corporis Domini ».

Quo facto, Sacrosancta Synodus, mandata S. Pii X, ss.ae memoriae, ut sua assumit, illaque includit in suo tractatu generali de sacrosancto Eucharistiae Mysterio.

27

Exc.mus P. D. MARCELLUS M. DUBOIS

Archiepiscopus Bisuntinus

Ad n. 44. Aliqui oratores petierunt concelebrationem in Missa « Coenae Domini ».

Sed Iesus Salvator noster, in hac occasione, concelebrationem cum Apostolis non fecit. Concelebratio episcopi cum sacerdotibus non esset historiae conformis.

Insuper, contra verum et profundum sensum liturgicum esset. Etenim, in Missa « Coenae Domini » episcopus (vel sacerdos celebrans) non est tantum primus inter pares, sed Christum ipsum repraesentat. Convenit igitur quod, ut in Coena historica, solus celebrat.

28

Exc.mus P. D. IOSEPH FADY

Episcopus Lilongwensis

Liceat mihi pauca dicere de n. 37. Corroboro quod dixit exc.mus Dominus Jenny.

Ad n. 38: *De lectionibus in Missa.* Diebus dominicis optima nobis opportunitas datur fidelibus et catechumenis claram, accuratam et completam catechesim impertiendi, dummodo praestantiores Scripturae Sacrae textus ita eligantur ut in Introitu, Collecta, Epistula et Evangelio uniuscuiusque Missae dominicae de una eademque materia tractetur.

Perfectum exemplum habemus in festivitate Ascensionis Domini, in qua Introitus, Collecta, Epistula necnon Evangelium intime inter sese connexa sunt, et homilia ex textibus sacris quasi naturaliter profluit.

Materia melius disponenda est praesertim in dominicis Adventus et post Pentecostes, in quibus nexus inter Epistulam et Evangelium vix inveniri potest.

Etiam quod de hac re exc.mus Dominus Perraudin dixit, approbo et corroboro.

Insuper censeo tales oportere textus afferre qui devotionem erga Ecclesiam, Corpus Mysticum Christi, fovere et augere queant.

29

EXC.MUS P. D. IOSEPH FENOCCHIO
Episcopus Apuanus

Plenissime adhaerens sententiae aliquorum Patrum qui in aula locuti sunt, enixe rogo ut — nisi graves rationes reverentiae vel alius generis obstent — placeat statuere:

1. Celebratio Missae fieri potest quacumque hora diei vel noctis.
2. Ieiunium eucharisticum — etiam quoad cibos solidos et potationes alchoolicas — ad unam horam reducitur.

Rationes sunt ordinis pastoralis et momentosae. Saepe, nostris temporibus, accidit ut bonum animarum postulet vel suggerat celebrationem Eucharistici sacrificii fieri horis pomeridianis vel nocturnis quas legislatio nunc vigens non consentit; similiter ieiunium perductum per spatium trium, vel etiam duarum horarum, nonnumquam incommoda notabilia creat.

Hoc fit praesertim occasione conventuum, recollectionum minimarum, itineris, peregrinationum, et generatim quoties circumstantiae Eucharisticum sacrificium vel Sacram Synaxim horis vel forma ieiunii nunc admissis difficilia reddunt.

Quapropter perutile videtur ut Mater Ecclesia, memor infirmitatis humanae, velit eucharisticam disciplinam sensu exposito relaxare, et magis magisque facilem reddat accessum ad Fontem vitae.

30

EXC.MUS P. D. CAROLUS A. FERRERO DI CAVALLERLEONE
Archiepiscopus tit. Trapezuntinus

Ad n. 37. Postulo ut in Missali Romano perpulchrae resumantur *Praefationes* quae non amplius in eo exstant: varietas, enim, Praefationum, hodie adhuc laudata in Ritu Ambrosiano, potest gaudium spirituale fovere.

Ad n. 41. Quoad *linguam vernaculam in lectionibus Missae,* recogitare debemus hodiernam facilitatem peregrinationum ab uno in alium locum terrae et, consequenter, desiderium fidelium ubique inveniendi eandem linguam liturgicam, ne quasi extranei debeant Sancto Sacrificio Missae adesse.

31

Exc.mus P. D. ALOISIUS FRANCO CASCÓN

Episcopus Nivariensis

Paucis verbis, meam propositionem absolvam. Quaestio, quam proponere intendo circa homiliam versatur.

In pag. 175 huius schematis, n. 39, sic legitur: « Homilia, tamquam pars ipsius Liturgiae, valde commendatur, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto ».

Haec verba « *valde commendatur, praesertim* », substituenda esse iudico; nam tantum commendationem exprimunt; et in casu requiritur amplius, id est, obligatio. Quare, eorum loco, legatur: « *habeatur* ». Itaque, hic numerus sic componi potest: « Homilia, tamquam pars ipsius Liturgiae, *habeatur* diebus dominicis et festis de praecepto ».

Quaenam sunt rationes ad hanc mutationem? Multae et graves, meo iudicio. Duas tantum in medium afferam.

Prima: ratio pastoralis. Hodierna die, ignorantia religiosa mundum christianum grassatur, et maximo dolore Ecclesiam affligit. Hoc factum notum est omnibus.

Ergo, ut fideles in religione rite instruantur, requiritur instructio, permulta instructio religiosa. Iam vero, opportunissima occasio, immo pluribus unica, est homilia diebus dominicis et festis de praecepto; quia tantum in his diebus illos docere possumus.

Ergo, cum res ita sint, non sufficit commendatio homiliae, quamvis urgeatur adverbio « *valde* », ut christiani religionis veritatibus imbuantur. Requiritur praedicandi homiliam obligatio; secus periculosa huius commendationis absolutio evaderet. Et si hoc contingit, magna fidelium pars, per totam vitam, in sua ignorantia religiosa versaretur. Et si datur hoc, Mater Ecclesia suam gravissimam obligationem, religionem populis praedicandi, non sufficienter perficeret. Homilia, enim, *praecipua praedicatio* est *ministerii Verbi* ordinarii.

Additur nota particularis huius Concilii. Nam, si, ut notum est, charactere pastorali refulget, nullatenus omittere potest, quin obligationem homiliam praedicandi diebus dominicis et festis de praecepto omnibus imponat, ut, hoc modo, optime obligationi Ecclesiae et fidelium necessitatibus respondeat.

Secunda: ratio liturgica. Numerus 474 novi codicis rubricarum Breviarii et Missalis romani sic sonat: « Post Evangelium, praesertim in dominicis et diebus festis de praecepto, habeatur, iuxta opportunitatem, brevis homilia ad populum. Homilia, vero, si fiat ab alio sacerdote ac celebrante, non superimponatur Missae celebrationi impediendo fidelium participationem; proinde, hoc in casu, Missae celebratio suspendatur, et tantummodo expleta homilia resumatur ».

Haec lex abhinc duobus annis promulgata est; anno nempe 1960, die 25 iulii, et non tantum praedicationem homiliae commendat, sed imponit. Itaque, mea quidem sententia, huic ordinationi standum est.

Conclusio. Certum est Ecclesiam gravissima obligatione teneri populo christiano doctrinam religiosam exponendi. Opportunitas autem huius expositionis multoties et innumeris fidelibus tantum datur in homiliae praedicatione; haec igitur non solum commendari sed imponi debet.

Talis obligatio urgeri non potest sola commendatione, quamvis acri animo et vehementer requisita sit; adimpleri debet impositione, quia non datur proportio inter obligationem et commendationem. Obligatio praedicandi est Ecclesiae lex gravissima; commendatio vero praedicandi est tantum consilium; in casu igitur proportio non datur.

32

Exc.mus P. D. IOSEPH GAWLINA
Archiepiscopus tit. Madytensis

Art. 40. (Oratio communis). Articulo addatur: « *praesertim autem pro Christianis persecutione oppressis* ».

Art. 42. (Communio sub utraque specie). Articulus deleatur, quia calix communis non paucos laicos propter rationes « hygienicas » potius repellit. Apud Orientales maneat sicuti est.

Art. 43. Optatur, ut character « sacrificii Missae » hoc in articulo sublineatur, ne videatur Eucharistia esse, modo protestantico, solum convivium eucharisticum (Abendmahl).

Art. 44. (Concelebrationis usus). Si ad conventus sacerdotum extendatur (nonnisi in circumstantiis particularibus), decerni debet, an unicuique concelebrantium liceat accipere stipendium Missae.

33

Exc.mus P. D. ISAAC GHATTAS
Episcopus Thebanus

Cum Sacrum Concilium Oecumenicum Vaticanum II ad Ecclesiae solvenda problemata coadunatum sit; cumque singuli episcopi a Summo Pontifice cohortati sint ad proprium praebendum adiutorium: inde ego humiles meas propositiones schematice exposui in libellulo, cui titulus: *A propos du Concile Œcuménique Vatican II* (Sahag, RAU, 1962). Quod illic comprehenditur venerabili vestrae considerationi titulis generalioribus tantummodo audeo nuntiare: *Episcopat - Presbyterat - Diaconat - Liturgie - Ma-*

riage mixte - Communicatio in sacris - Tribunaux pour défendre la foi et les mœurs - Eglises Orthodoxes - Le monde musulman - Principes sur la liberté de conscience.

Sub unoquoque praedictorum permultae latent theses quae Ecclesiam Orientalem generatim, speciatimque Ecclesiam Alexandrinam, attingunt; quaeque ampliore doctrinae apparatu atque latino idiomate, his generalibus congregationibus obveniente subiecto singillatim submittuntur.

Tandem, ne patientia vestra ulterius abutar, statim unam de omnibus thesim iam hodie vobis exponam. Agitur de epiclesi consecratoria.

1. *Thesis.* Propono ut forma Sacramenti Eucharistiae epiclesim ipsam, et quidem consecratoriam, comprehendat: et hoc in illis saltem ritibus qui epiclesim in Missa adhuc retinent (cf. Ghattas, *op. cit.,* pag. 15, n. 9).

2. *Historia.* Tria nunc denotantur: ritus orientales fratrum dissidentium qui epiclesim consecratoriam asservant; ritus orientalium catholicorum qui epiclesim quidem retinent, non autem consecratoriam; ritus occidentalium qui epiclesi totaliter, vel fere, carent. Quid fuit initio apud occidentales peritorum iudicio relinquimus. Apud orientales vero tuto tenemus ante primaevam separationem, saeculo quinto perfectam, epiclesim adfuisse. Et quidem eorum nunquam secta traditio ipsi vim consecratoriam adnectit (cf. Giamberardini G., *La Consacrazione Eucaristica nella Chiesa Copta,* Cairo 1957).

3. *Dogma.* Omni reverentia erga Ecclesiae sensum, et noviter erga Pii X (*A.A.S.,* 3, 1911, 119) et Pii XII (*A.A.S.,* 49, 1957, 370) directionem, praehabita, dogma per dogma declaramus. Etenim, verbis dominicis divinitus institutis ubique et semper manentibus, cetera cum epiclesi ut ecclesiasticum ab immemorabili additamentum retinemus. Deinde, ut praenotatum, partim remansit, partim decessit. Tunc vero, sicut in Sacramento Ordinis traditio instrumentorum cum relativa formula in latino ritu ad validitatem aliquando requisita (DB. 701), abhinc 14 annis virtute Sacramentum efficiendi destituta est (*A.A.S.,* 40, 1948, 6): ita et pro Eucharistico Sacramento obvie inferri potest. Exinde: Ecclesia Dei eadem auctoritate pollens, qua addidit et abrogavit, iterum addere vel recumvalidare potest (cf. Giamberardini G., *op. cit.,* 118-122).

4. *Ratio.* Thesis a me proposita variis fulcitur rationibus. 1) In primis: et pro catholicis restauratur institutio quae, ab orthodoxis integre tradita, iam ante istorum separationem omnibus, saltem orientalibus, communis erat. 2) Insuper: Magnum Sacramentum maiore perficitur solemnitate quae, et fide et petitione, ipsius aptatur dignitati. 3) Finaliter: Ad fratrum separatorum unionem ingens subtrahitur offendiculum. Caritas igitur Concilii ita pateat ut, erga Deum oratione et erga fratres cessione, toto fratrum conventu unicum Dei ovile promoveat.

34

REV.MUS P. D. ANSELMUS GIABBANI
Prior generalis Camaldulensium O.S.B.

Ad cap. II, n. 37. Pauca verba dicam circa necessitatem, vel si aliqui ita volunt, circa opportunitatem et maximam utilitatem Sacrosancti Sacrificii Missae ordinem (et alios ritus) recognoscendi et aptandi (et innovandi), propter sequentes rationes quae prae oculis semper habendae sunt.

1. Eucharistiae mysterium a Christo Domino institutum est ut christiani sanctificentur: necessarium est ergo ut ea quae institutionis sunt ecclesiasticae vel quae nobis veniunt ex traditione, ita aptentur ut ubique christiani cuiusvis civilitatibus clare percipiant mysterium ibi adesse, at etiam scire fide ac summa et conscia pietate sese Christi mysterio iungere ac immiscere debere, ut semper cum Christo plenius unum evadant.

2. Haec institutio Christi de se, ex opere operato, sanctificat, non verba humana, non linguae sive sit latina sive graeca sive syriaca, non ritus accidentales et complementarii qui invecti sunt ac proinde — licet sapienter et simul saltem cum Romano Pontifice — mutari possunt.

3. Salus animarum suprema lex. Summum ius et onus Ecclesiae est docere omnes homines ea quae Christus Iesus docuit et fecit ac instituit, et simul cum illo, mysteriose praesente, imperavit ut faceremus: « haec quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis ». Sed si ita facimus et docemus et alii non intelligunt?

Ecclesia catholica ut societas mundialis debet — ut mihi videtur — habere et ritus et caeremonias et linguas quae exprimant mysterium Christi omnibus hominibus cuiusvis civilizationis.

Si hoc non fecerit Concilium Oecumenicum quavis de causa praesertim excessivo amore et cultu linguae cuiusvis vel caeremoniarum quae de se universales et populares ubique esse non possunt, periculum gravissimum adstat ne evacuetur crux Christi et opus sanctificationis eius transgrediendo mandata Dei propter traditiones sicuti, si ex practicis consequentiis diiudicare deberemus de modo quo, in Italia saltem, abhinc quatuor vel quinque saecula, fideles passive aut aequivoce, alias orationes dicendo vel decantando, distracte ac proinde infructuose Sacro assistunt.

Gratulor proinde de novitate christianissime proposita, dico circa recognitiones huiusmodi, et, ut Concilium onus tam grave Conferentiis episcopalibus nationalibus vel — si opportunum fuerit — continentalibus demandet, semper ut patet sub auctoritate Romani Pontificis, sincera monastica persuasione humiliter rogo.

35

Exc.mus P. D. AUGUSTUS GIANFRANCESCHI
Episcopus Caesenatensis

Ea qua par est reverentia sapienti iudicio Patrum Conciliarium has propositiones humiliter subiicio:

1. An non conveniat in prooemio huius cap. II de quo agitur, ubi dicitur (pag. 175, lin. 7 et seqq.) de actuosa partecipatione fidelium sacrosancto Eucharistiae mysterio, mentionem facere de sacerdotio fidelium ex quo verum ius eis provenit intelligendi ea quae ad altare aguntur et sic eis, non solum pie sed et actuose participandi.

Et non solum « ut restituatur sacrificio Missae plenam pastoralem efficacitatem » de qua in lin. 15, sed ut evidentius appareat in eius celebratione una cum sacerdote ministro agere et fideles sacerdotio regali per baptismum et confirmationem consecrati, singuli tamen pro capacitate qua potiuntur.

2. In eadem pag., ad n. 39: propono ut homilia in diebus dominicis et festis de praecepto, quoties adstantibus fidelibus sacrificium Missae celebratur, non solum commendetur sed praecipiatur.

3. In pag. 176, ad n. 42, lin. 10: in exemplificatione addatur: in Missa pro sponsis, sed tantum pro ipsis qui matrimonium contraxerunt.

4. In eadem pag. 176, ad n. 43: propono ut quaedam « Liturgia verbi », lectionibus, orationibus et litaniis componatur, quae diebus festis celebrari possit quando deest sacerdos, et cui praesit laicus recte instructus; quae Liturgia, si a diacono celebrata sit, concludatur sacra communione adstantium et benedictione Eucharistica. Haec omnia, procul dubio, sub moderatione episcopi et, si casus ferat, adprobante Sancta Sede, fieri deberent.

Non est qui non videat quantum haec synaxis prodesset in locis ubi deest copia sacerdotum.

4. Insuper propono, sed forsan locus non est hic tractandi, ut tempus utile ad praeceptum Missae satisfaciendi iis qui praevident sequenti die festo sancto sacrificio participare non posse, sabbato horis vespertinis, inchoetur; nec necessarium censeo rationes huic propositioni addere, quae maxime patent.

36

Exc.mus P. D. CONSTANTINUS GÓMEZ VILLA
Episcopus tit. Cucusenus, vic. ap. Caronensis

Cum in plurimis locis, diebus dominicis et festivis, impossibile sit, extra Missam, adimplere gravem obligationem explicandi doctrinam christianam

adultis, humiliter a commissione de sacra Liturgia peto, ut n. 39 cap. II eo modo proponatur, ut, loco homiliae, in aliqua Missa doctrina christiana adultis explicari possit.

37

Exc.mus P. D. LINUS GONZAGA Y RASDESALES
Episcopus Palensis

Ut omnes observare potuimus ex animadversionibus prolatis in hac aula conciliari circa schema de sacra Liturgia, maior pars eorum qui loquuti sunt favent usui linguae vernaculae in Missa. Tamen pauci sunt qui totalem suppressionem latinae linguae propugnant in celebratione augusti Sacrificii.

Art. 41 constitutionis « de sacra Liturgia » satis clarus est. Fortassis ad maiorem claritatem, necessarium esset determinare in quibus partibus Missae lingua latina retinenda erit.

Quapropter in articulo emendationem inserendam propono, cuius formulam postea legam, si licet prius emendationis rationem explicare.

Actiones et verba sacerdotis in Missa, quadruplicis speciei seu classis distinguuntur:

Prima: cum sacerdos populum alloquitur, sive ut fideles doceat sicut fit lectione Epistolae et Evangelii, quae sunt partes stricte didacticae in Missa, sive ut fideles invitet ut aliquid faciant, sicut cum dicit « Orate fratres », « Sursum corda », etc.

Secunda: cum verba sacerdotis ad Deum diriguntur ut oret nomine populi et *simul cum populo,* sicut cum dicit « Kyrie eleison », « Orationem » quae dicitur Collecta, etc.

Tertia: cum sacerdos agit ut sacerdos qui consecrat et sacrificat cum Christo, ut in consecratione et iis quae ad illam directe pertinent.

Quarta: cum sacerdos orat ut particularis persona, sicut in orationibus quae dicit post Agnus Dei et ante ipsius communionem.

In *prima specie* actionum et loquutionum, id est, cum sacerdos cum populo loquitur, necessarium est ut ad populum loquatur adhibens linguam quam populus intelligere possit. Alioquin actus et gestus deveniunt actiones inutiles et cuiusque realitatis vacuae. Praeterea ridiculum videtur aliquem alloqui lingua utendo quam intelligere non potest persona ad quam dirigitur loquutio, praesertim cum et loquens et audiens uti possunt eadem lingua. Interpretem adhibere in casu adhuc magis ridiculum esset. Ideo commentatores et lectores in Missa, quae dicitur *communitaria,* non debent munus interpretum agere. Reverentia, quae sacrificii Missae sanctitati debetur, postulat ut in ipsa nihil fiat minus dignum, ut non sint actiones vel gestus quae realitate carent. Id communiter non advertimus quia huic modo agendi in Missa a pueritia assuefacti sumus. Sed re attente et obiective considerata, usus linguae latinae in huiusmodi partibus Missae, in partibus nempe didac-

ticis, desinit esse rationabilis a tempore quo populus desinit linguam latinam intelligere. Consequenter in iis partibus adhiberi debet lingua vernacula.

Ergo verba « *linguae vernaculae in Missis cum populo congruus locus tribuatur, imprimis autem in lectionibus...* », quae in art. 41 apparent, approbari debent.

In *secunda specie* actionum et verborum, cum sacerdos orat *una simul cum populo,* est etiam convenientissimum ut lingua adhibeatur, quam populus intelligit, id est, lingua vulgaris. Tunc actio est, ut ita dicam, « communitaria », actio sacerdotis *cum* populo. Sacerdos non tantum orat et offert nomine populi, sed etiam *una cum* populo, est populus orans cui praeest sacerdos, ideo sacerdos dicit *Oremus*. Populus ergo debet orare non solum mediante sacerdote sed etiam *simul cum* sacerdote. In his communibus actionibus *non sufficit* ut populus *intelligat* quod sacerdos dicit et facit: oportet etiam ut populus agat, ut actuose se ferat, ut oret et offerat *cum* sacerdote. Ideo convenit ut eadem lingua sacerdos et populus utantur. Certe id non est absolute necessarium: Deus enim omnia intelligit; sed rebus sub adspectu humano consideratis, ad hoc ut omnes sentiant se actionem communem exercere, et cum sacerdote in actione participare, valde convenit ut et sacerdos et populus eadem verba usurpent.

Ergo verba in articulo « *Oratione communi et nonnullis cantibus* » approbanda omnino videntur.

Quoad *tertiam speciem* actionum et verborum, id est, cum sacerdos agit ut minister qui consecrat et sacrificat cum Christo, opinor nullam esse necessitatem linguam latinam relinquendi. Omnis quidem sacerdos latini ritus linguam latinam scire supponendus est; sic intelligere poterit quae ipsemet dicit. In his partibus Missae, populus *non agit* cum sacerdote; solus sacerdos agit ut Dei minister. Tunc sufficit ut populus sciat quid sacerdos agat, et de hoc edoceri potest mediante catechesi liturgica.

Denique quoad illas partes in quibus sacerdos orat ut persona particularis, nulla est necessitas abiciendi traditionalem linguae latinae usum in Ecclesia. Satis est ut sacerdos ipse intelligat quae dicit et populus, catechesi liturgica edoctus, sciat quid sacerdos faciat.

Quibus consideratis, etiamsi in articulo ipso notio ista iam implicite comprehensa est, ad maiorem vero art. 41 claritatem, propono ut ei addatur paragraphus huius tenoris: « Usus tamen linguae latinae servetur in iis partibus Missae, in quibus sacerdos agit ut minister consecrans et sacrificans cum Christo, necnon in illis in quibus orat ut particularis persona ».

Est vero, in hac materia, quaedam vera difficultas, in praxi, quoad usum linguae vulgaris, cum agitur de Missis cantatis. Dictum est ridiculum fore, et fidelium auribus offensivum, si exempli gratia, cantetur in lingua hispanica *El Señor sea con vosotros* vel in lingua anglica *The Lord be with You,* eodem tono quo nunc canimus *Dominus vobiscum*. Quod quidem verum est. Populus assuefactus est illum tonum consociare salutationi *Dominus vobiscum,* et si quis eundem tonum adhiberet ad aliquid dicendum in lingua vul-

gari, risum audientium faciliter excitaret. Sed difficultas facile remedium habere potest. Quod non consisteret in immutabilem usum servando, quem em.mus card. Gracias descripsit verbis « sicut erat in principio et nunc et semper »; sed in novi toni, linguae vulgari aptati, introductione. Tunc nova forma loquendi, novo tono pro illa cum canitur inducto, nec admirationem nec risum in populo excitaret.

38

Exc.mus P. D. VINCENTIUS A. GONZÁLEZ Y ROBLETO
Archiepiscopus Managuensis

Relative ad cap. II *De sacrosancto Eucharistiae Mysterio* (cf. schema, pag. 175), propono duas has quae sequuntur animadversiones.

Ad n. 42. Si Communio sub utraque impartiatur specie, etsi removeatur periculum ut populus ignarus credat Communionem sub unica specie esse non integram; et quamquam vitetur contagionis occasio atque actuosa interventio civilium ministrorum curatorum publicae prophilaxiae, tamen remanet etiam tunc oeconomica difficultas et quidem valde onerosa pro regionibus in quibus vinum de vite non recolitur. Quoniam pauperes ecclesiae expensas vini pro multitudine fidelium communicantium suffragare non poterunt.

Ad n. 44. Nihil dicam de quadam mecanizatione simultanea et quidem quasi gravitatis laesiva quae forte observatur in concelebratione Missae: sed pro certo habere debetur quod concelebratio non est concedenda illis in locis ubi penuria sacerdotum obligat ad binandum et trinandum. Mihi videtur uti absurdum quod tres sacerdotes concelebrent in ipsa civitate ubi sunt ecclesiae quae diebus de praecepto Missas non habent.

39

Rev.mus P. D. ATHANASIUS HAGE
Superior generalis Ordinis Basiliani S. Ioannis B.

De homilia n. 39, de Communione sub utraque specie n. 42, de tempore et loco Missae celebrandae, de concelebratione n. 44.

I. Ad n. 39, in quo de homilia agitur. Aliqui Patres petiverunt ut loco verborum « valde commendatur » praeceptum strictum detur de homilia facienda et quidem in omni Missa diebus dominicis et festis de praecepto celebrata. Tale praeceptum pro nonnullis parochis valde onerosum mihi videtur praesertim si attenditur ad plurimas regiones in quibus copia sacerdotum deficit. In nonnullis paroeciis unus solus sacerdos habetur qui duas vel tres Missas diebus festivis litare et cantare debet et saepe in variis pagis. Debet etiam confessiones ante et post Missas audire, et haec omnia non sine magno

labore. A talibus parochis exigere ut etiam homiliam faciant et quidem in omnibus Missis crudele esse videtur. Nonne variae lectiones in lingua vernacula introducendae illam homiliam in talibus casibus supplere possint. Praecepta non sunt multiplicanda praesertim si facile observari nequeunt. Nihilominus si praeceptum imponendum esse iudicatur, optandum esset ut Ordinario loci facultas dispensandi a praecepto in talibus casibus concedatur.

II. Ad n. 42, in quo agitur de Communione sub utraque specie. Praecipua obiectio quae contra talem praxim a pluribus movetur est difficultas hygienico-practica distribuendi Eucharistiam unicuique fideli sub specie panis et etiam vini. Etenim, pro rationibus hygienicis, admitti nequit ut fideles sanguinem pretiosissimum ex calice sumant, neque illum ex manu sacerdotis in aliquo cochleare accipiant sicut olim fiebat apud orientales. Remanet tunc modus hodie adhibitus scil. sacerdos hostiam in sanguinem pretiosissimum immergit et illam in os communicantis ponit. Hostia latina facile hoc modo distribui potest. Attamen maiore soliditate indiget ut ad contactum sanguinis non dilabatur. Insuper fateri debemus quod distributio Eucharistiae sub utraque specie magnam sollertiam attentionemque a sacerdote exigit praesertim si solus sine diacono adiuvante sacramentum administrat et numerus communicantium est magnus, quo in casu distributio Eucharistiae sub sola specie panis est facilior securiorque. Sed cum de facultate concedenda, non de obligatione imponenda agatur valde suadetur concessio facultatis tam ardenter sollicitatae sive ut plurimorum legitimo desiderio satisfiat sive ut eadem praxis in Ecclesia universali in materia tam summi momenti habeatur.

Praeterea optandum est ut in hoc articulo de Missa, aliqua paragraphus addatur de facultate sacerdoti concedenda litandi, deficiente pane proprii ritus, saltem in casu necessitatis, super panem alius ritus, qualiscumque sit azymus vel fermentatus. In hoc casu lex divina de reficiendis animis cibo caelesti legi mere rituali praevalere debet.

III. De tempore et loco Missae celebrandae. In I sectione cap. II addendum esse videtur aliquem articulum de tempore et loco Missae celebrandae ut melius provideatur necessitatibus temporis nostri.

a) Quoad tempus. Bonum animarum postulat ut celebratio Missae, in plurimis locis, omnibus diebus in qualibet hora praesertim vespere et nocte instituatur. Etenim plurimi sunt qui tantum vespere vel nocte a labore vacant. Propterea facultas dicendi Missam in qualibet hora diei secundum iudicium et moderamen ordinarii loci concedenda est. Ceterum cum tali dispositione nonne melius verificatur celeberrimum Malachiae vaticinium: « Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda » (*Malach.* 1, 10-11).

b) Quoad locum. Nostris temporibus saepe saepius celebratio Missae extra ecclesiam vel oratorium urget; ideoque facultas ubique celebrandi, honesto tamen et decenti loco, concedatur sive super petram consecratam sive super antimensium. Prohibitio sacerdotibus latinis in canone 823, § 2 facta

ne Missam dicerent super Graecorum antimensiis iam non intelligi potest. Praefata paragraphus canonis sic sonat: « Deficiente altari proprii ritus sacerdoti fas est ritu proprio celebrare in altare consecrato alius ritus catholici non autem super Graecorum antimensiis ».

Non percipitur, saltem nostris diebus, ratio cur permittatur in tali casu celebratio super petram consecratam quae tamen in aliquibus ritibus reliquiam sanctam non continet dum expressa exclusio enuncietur contra Graecorum antimensia quae non solum consecratae sunt sed etiam reliquias sanctorum semper continent. Talis prohibitio quae male sonat auribus nostris necnon auribus fratrum separatorum omnino tollenda est.

Gratias agamus Summo Pontifici f. r. qui nonobstante hac prohibitione C.I.C. Patribus conciliaribus celebrationem super antimensiis permisit.

IV. Ad n. 44. Inter rationes contra praxim concelebrationis allatas praecipua quae nostris diebus considerari potest est ratio hygienica. Nemo non videt quam abhorretur a bibendo in eodem calice ac alii praesertim si sunt plurimi concelebrantes quorum unus vel alius aliquo morbo laborat. Attamen hoc incommodum facile superari potest. Modus inter alios qui suaderi possunt in eo est quod omnes concelebrantes vel saltem sacerdotes aegrotantes hostiam immergant in sanguinem pretiosissimum et illam sumant.

Concelebratio non tantum inter sacerdotes eiusdem ritus valde commendanda est sed etiam in nonnullis solemnitatibus communibus inter cleros variorum rituum congregatos v. g. ad congressus eucharisticos, ad conferentias inter-rituales vel etiam ad concilia generalia celebranda.

Quam pulchrum est quod dignitates variarum ecclesiarum, secundum ordinem facile stabiliendum, concelebrationem aliquam faciant super idem altare in hac augusta Basilica elevatum: tunc magis ac magis populis magnifice splenderet unitas Ecclesiae catholicae in varietate rituum.

40

EXC.MUS P. D. GEORGIUS HAKIM
Episcopus Ptolemaidensis

Un de mes premiers souvenirs de jeune prêtre a été ce fait: Une Religieuse espagnole des Sœurs de Marie Réparatrice, chassée de son pays par la révolution rouge de 1936, avait assisté pour la première fois de sa vie à une Messe orientale et communié sous les deux espèces.

Après la Messe, elle demande à me voir et me dit: « La joie que j'ai éprouvée aujourd'hui en recevant la communion sous les deux espèces m'a fait oublier tous mes malheurs et toutes les souffrances de la persécution! ».

Beaucoup de Religieuses et d'âmes fidèles ont cette soif de la communion sous les deux espèces. Pourquoi les en priver, en voulant « séparer ce que Dieu a uni »?... Le Seigneur n'a-t-il pas lui-même institué le Sacrement sous les deux espèces?...

La règle devrait être ce que l'Orient a conservé; l'exception, l'habitude occidentale actuelle.

Je demande donc que le n. 42 soit ainsi modelé: « Communio sub utraque specie, pro casibus ab episcopo determinatis, approbante Sancta Sede, tum clericis et religiosis, tum laicis conceditur ».

Concernant la concélébration, j'ajoute un mot à ce que S. E. Mgr Théas a si bien dit.

Je demande que nos frères latins puissent user de la concélébration dans tous les lieux de pélerinage, et non seulement à Lourdes. Par expérience, étant évêque de Galilée, je sais que 80% des prêtres pélerins sont dans l'impossibilité de célébrer dans les Lieux Saints, faute de temps ou faute d'autels.

De quelle joie ne sont-ils pas privés, quand ils ne peuvent pas célébrer l'Eucharistie dans les Lieux mêmes sanctifiés par le Christ ou sa Divine Mère!

41

Exc.mus P. D. PHILIPPUS MATTHAEUS HANNAN

Episcopus tit. Hieropolitanus, aux. Vashingtonensis

Velim, si vobis placet, non tantum in nomine meo sed etiam in nomine quorundam aliorum episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, mutationem proponere in art. 44, quae nexum introducere possit arctiorem inter duas partes dicti articuli necnon viam mediam pandere inter diversas obiectiones adversus hunc articulum in hac sacra aula oppositas.

Concessio, loci Ordinario facienda, facultatis permittendi intra limites bene determinatos concelebrationem nexum magis logicum daret inter partes huius articuli atque timorem dispelleret eorum qui sentiant usum huius facultatis nimis late diffusum futurum esse imprudentem.

Quapropter velim animos vestros revocare ad mutationem quae sequitur et quae ita disponitur ut littera « b » art. 44 exinde legi possit: Ordinarius loci etiam in aliis festis praecellentibus concelebrare potest, potissimum in festis Domini Nostri Iesu Christi, v. g. in festo Corporis Christi; Ordinarius loci facultatem quoque concedere potest concelebrandi in conventibus religiosis, v. g. in congressibus eucharisticis et in quibusdam conventibus sacerdotum ad pietatem et unitatem fovendas.

Rationes tam ex natura Missae et ex natura episcopatus quam ex experientia derivantur.

Eas praetermitto rationes quae ex natura Missae, e theologia dogmatica, e Liturgia, et ex historia desumuntur tamquam omnibus iam bene cognitas.

Episcopus vero praeeminet utpote pastor gregis, id quod ipse Beatissimus Papa Noster, nunc gloriose regnans, optime demonstrat et quod ab ineunte pontificatu tam bene proposuit. Concelebratio, ex ipsius natura, efficit ut

animae in Christo uniantur, praesertim cum episcopus Missam concelebrat. Etenim cum episcopus, uti pastor dioecesis primarius, una cum sacerdotibus suis concelebrat, signum fidelibus praestat maximum unitatis in Christo quod ad pietatem fovendam aptissimum est.

Quod experientia nos manifeste docet. In Sanctuario nempe Nationali apud Washingtonium Conceptioni Immaculatae Beatae Mariae Virginis dedicato sicuti in aliis maioribus sanctuariis catholicis, fideles saepe concelebrationem in caeremoniis ordinationis pluries in anno celebratis observare possunt. Fidelium pietas quoque alitur cum in supradicto Sanctuario Washingtonensi sacra Liturgia iuxta venerabiles ritus orientales celebratur, praesertim in exercitiis novendialibus mense ianuarii observatis quae « Sedes Unitatis » (Chair of Unity) dicuntur.

42

Exc.mus P. D. CAROLUS HEEREY
Archiepiscopus Onitshaensis

Non meo proprio tantum nomine loquor, sed nomine episcopatus Nigeriae, cuius incolarum numerus quadraginta milliones superat, et saltem sextam partem populationis totius Africae continentis efformat. Aliquis iam locutus est quasi in nomine omnium episcoporum totius Africae. Non est verum quod vox eius est praecise vox episcoporum Nigeriae.

Sequentes animadversiones in cap. II schematis de sacra Liturgia humiliter facimus.

Ad n. 37. Paucas emendationes et quidem minoris momenti proponimus. Locutio « *Ite Missa est* » in praesenti ordine Missae significatione caret; ideo omitti deberet. Post « *Dominus vobiscum* » sacerdos ad lectionem Evangelii Sancti Ioannis procederet, et, precibus leoninis omissis, sua benedictione, finem Missae imponeret.

Ad n. 38. Lectiones, quae devotionem populi minime fovent, exempli gratia, historiae Susannae et supplantationis Esau a Iacob, auferri et aptiores substitui deberent.

Ad n. 41. Distinguimus inter Missam cantatam et Missam lectam, et sic sententia nostra sonat: in Missis cantatis unica lingua latina cum a celebrante tum a populo adhibetur. In Missis vero lectis sacerdos ad altare, omnia lingua latina dicit, et aliquis, sive ex clero, sive laicus, vicem populi gerens, omnia simul cum sacerdote, sed lingua vernacula et alta voce, legit.

Rationes sunt:

1. Haec praxis, per multos annos apud nos iam viget et populo perplacet.

2. Adhuc plures fideles sunt indocti et libros liturgicos in manibus habere non possunt, tamen per hoc medium actuosa et fructuosa participatio illis possibilis est.

3. Usus linguae vernaculae in celebratione Missae sacerdotibus missionariis, in linguis indigenis nondum peritis, etiam sacerdotibus visitantibus, difficultates quasi insuperabiles praeberet.

Ad n. 42. Una voce Communioni sub utraque specie pro laicis obstamus. Ratio est, apud nos frequens est concursus fidelium ad sacram Communionem, non solum diebus dominicis sed etiam ferialibus ita ut persaepe unus sacerdos duobus millibus intra eandem Missam sacram Communionem distribuat. Clare patet Communionem sub utraque specie, in his regionibus, impossibilem evadere.

Ad n. 44. Concelebrationem, ultra fines huius numeri, non approbamus.

Tandem, verbum de ieiunio eucharistico. Propositionem ab alio Patre Conciliari, stirpis Africae, iam factam, et quae sic sonat: « Liceat ei qui duas vel tres Missas eadem die celebrat, aliquid per modum potus, non servato unius horae ieiunio, inter Missas sumere », approbamus.

43

Rev.mus P. D. CORNELIUS HEILIGERS
Superior generalis S.M.M.

Pag. 169, n. 33, lin. 20: non clare apparet de quibusnam coetibus constituendis agatur.

Loco citato: forsan utile esset aliquid addere de vita liturgica in ecclesiis religiosorum.

44

Exc.mus P. D. MAXIMUS HERMANIUK
Archiepiscopus Vinnipegensis Ucrainorum

Libentissime accedo ad omnia tam sapienter et lucide iam dicta in favorem concessionis in ritu latino communionis sub utraque specie pro laicis et concelebrationis sacramentalis pro sacerdotibus de iudicio Ordinariorum.

Attamen ad puncta illa, nempe ad n. 42 et ad n. 44 schematis const. de sacra Liturgia, pag. 176, animadversiones quasdam humiliter proponere vellem:

1. Ad quaestionem communionis sub utraque specie pro fidelibus in ritu latino. Ex formulatione istius quaestionis in schemate proposito et ex multis dictis in hac aula conciliari contra concessionem istius praxeos in ritu latino, aliquis logice concludere posset quod praxis ista consideratur ab Ecclesia ut practica quaedam liturgica minoris valoris, traditio quaedam orientalis plus tolerata quam laudata, malum quoddam necessarium, tam impossibile ad reiciendum quam difficile ad admittendum.

Sed si ita est, quisnam non videat talem convictionem esse iniustam

contra Ecclesiam, quae praxim illam liturgicam in ritibus suis orientalibus inde ab apostolis non solum permittit sed et per libros suos liturgicos imponit; iniuriosam contra ritus orientales, quia convictio talis insinuare videtur catholicos orientales sequi praxim quandam liturgicam plus minusve periculosam pro fide et hygiena communi; scandalum pro fratribus nostris separatis, quia convictio ista dubitare videtur quodammodo de utilitate practica ipsius formae institutionis Eucharisticae et de sanctitate ipsius traditionis apostolicae in ista re.

Propterea, ut vitetur omnis ambiguitas et auferatur omne dubium de hac re, audeo proponere sequentem emendationem n. 42: Antiquissima et laudabilis praxis communionis sub utraque specie pro omnibus fidelibus, servata hucusque ut regula in variis ritibus orientalibus, conceditur, iudicio episcoporum, etiam in ritu latino.

2. Ad quaestionem concelebrationis sacramentalis in ritu latino: Ad vitandas omnes intricationes casuisticas pro futuro, sequentem emendationem n. 44 proponere auderem: concelebratio, servata hucusque ut regula in variis ritibus orientalibus et ut exceptio in ritu latino, extenditur etiam pro ritu latino pro iudicio Ordinariorum.

45

Exc.mus P. D. EDUARDUS HOWARD

Archiepiscopus Portlandensis in Oregon

1. Vorrei suggerire la possibilità di aggiungere nel Canone della Santa Messa, alla Consacrazione dopo le parole: *Hoc est enim corpus meum,* le parole: *quod pro nobis multis confringetur,* le quali, secondo S. Ippolito erano incluse nel testo romano antico. Del resto questa aggiunta sarebbe più conforme anche all'uso orientale. Son sicuro che tale emendazione avrebbe l'approvazione dei laici nonchè dei prospettivi convertendi, dai nostri fratelli separati.

L'unica difficoltà, che troverei in proposito, verrebbe forse dal numero dei sacerdoti anziani che potrebbero sentire qualche disagio.

2. Vorrei suggerire questo proposito, che il sacerdote alla Santa Comunione dei fedeli dicesse *Corpus Christi* con la risposta del comunicando, *Amen* (cf. Jungmann, *Missarum sollemnia,* vol. 2, pag. 471).

Nella disciplina attuale è difficile al sacerdote di ripetere la formula consueta: così mi dicono molti sacerdoti di questa diocesi.

46

Exc.mus P. D. RAIMUNDUS IGLESIAS NAVARRI

Episcopus Urgellensis

Plurimorum sacerdotum in votis est, praesertim eorum qui curae animarum incumbunt, ideoque qui saepe saepius diebus dominicis et festis de praecepto bis terve litare tenentur, cum homiletica praedicatione in unaquaque Missa habenda, ut ipsi benigniore ieiunii eucharistici lege frui possint, quam Pius XII, dulcissimae memoriae, pro laicis tulit: scil. ut tempus praefati ieiunii eucharistici ad momentum usque Communionis computetur, non prout in praesenti est ad momentum quo Missa incipitur.

Haec immutatio ab omnibus Patribus, ni fallor, bene visa, inseri posset ubi « de dispositionibus personalibus praerequisitis », in principio pag. 162, agitur, si ita commissioni de emendationibus opportunum videatur.

47

Exc.mus P. D. CLEMENS IOSEPH CAROLUS ISNARD

Episcopus Neo-Friburgensis

Art. 37, cap. II. Placet iuxta modum, ita nempe, ut post verba « faciliorem reddat » (pag. 175, lin. 20), addatur: « iuxta sequentes normas:

a) Rariores fiant in Missa crucesignationes, altaris oscula, genuflexiones, inclinationes et alia huiusmodi.

b) Liturgia verbi seu Missa catechumenorum, in Missis cum adsistentia populi, dicatur ad sedem et ad ambones.

c) Missa incipiat cum " Introitu ", omissis Psalmo 42, " Confiteor " etc.

d) Lectiones proclamentur semper versus populum, cui directe annuntiantur.

e) Populi participatio in ritu Offertorii appareat processione oblationis quae fieri posset saltem diebus solemnioribus, vel ab ipso populo vel ab ipsius repraesentantibus.

f) Oratio super Oblata dicatur elata voce vel cantetur.

g) Praefationum numerus augeatur.

h) Canon elata voce dicatur.

i) Crucesignationes in Canone tollantur post Consecrationem.

l) Embolismus Orationis Dominicae clara voce recitetur.

m) Fractio hostiae et " Pax " melius ordinentur.

n) Aboleantur restrictiones quibus fideles a recipienda sacra Communione in quibusdam Missis prohibentur.

o) Formula distributionis sacrae Communionis sit: " Corpus Christi ". R. " Amen ".

p) Missa compleatur benedictione sacerdotis et formula dimissionis " Ite, Missa est " ».

Rationes: Aliqui contra tenorem art. 37 locuti sunt, quia, ut prostat, nimis imprecisum eum iudicant. Et quidem bene.

Attamen tota res facile solvi potest, si post verba « faciliorem reddat » (pag. 175, lin. 20), addatur definitio revisionis faciendae.

Oportet ut haec Ordinis Missae revisio consulat principiis pastoralibus simul ac traditioni. Et vera traditio cum actuosa participatione bene componi potest.

Caeremoniae Missae romanae decursu saeculorum efformatae sunt. Tempore S. Gregorii Magni, vel potius, saeculo VIII, tempore S. Gregorii II, Missa romana classica et perfecta in suis formis apparet. Postea, decursu Medii Aevi, adiunctiones multae eam deformarunt. Structura liturgica Missae romanae sic deformata difficulter a populo intelligi potest, et exinde actuosae participationi obstacula praebet. Exempli gratia: « Introitus » qui ex natura sua est initium Missae, tantum post multas orationes, in Missis lectis locum invenit: ex alia parte, populus solemniter dimittitur per « Ite, Missa est », sed remanere debet propter Evangelium Sancti Ioannis et preces leoninas; et alia huiusmodi.

Restituatur ergo Missa plus minusve uti erat saeculo VIII, in aetate aurea Liturgiae romanae. Nemo erit qui postea nobis imputet crimen contra sanam traditionem liturgicam, simulque habebimus Ordinem Missae brevem et clarum, populo intelligibilem, maxime si tota Liturgia verbi et pars ante et post Communionem lingua vulgari celebretur, uti vehementer et rationabiliter a multis desideratur.

[*Subsignati etiam*] Carlos, arcebispo de Olinda e Recife; Otavio, bispo de Palmeira dos Indos; Ioannes, ep. Sobralensis.

Placet iuxta modum, ita scilicet ut post verba articuli sequentia addantur verba: « v. g., formula distributionis sacrae Communionis brevior reddatur, ut: " Corpus Christi. R. Amen "; totus canon elata omnino voce legatur et verba Consecrationis in Missis solemnibus, ut in ritibus orientalibus, etiam canantur ».

Ratio primae additionis: Sacramentum iam confectum est et tantum ministratur. Propterea, sufficeret ad modum praesentationis declarare porrectionem Corporis Christi. Ceterum pastoraliter etiam suadetur additio, quia, speciatim in regionibus defectu cleri laborantibus, unus dumtaxat sacerdos debet millibus Sacramentum porrigere.

Ratio secundae additionis: nulla apparet ratio cur sub tanto arcano ea quae in canone reperiuntur ab auditione populi abstrahantur. Praeterea, facilius populus christianus posset sequi totum canonem.

Accedunt: [*subsignati*] Fr. Henricus G. Trindade ofm, arch. Botucatú; Aloysius Philippus, Urugunianensis; Avelar, arch. Teresianus; Iosephus Thurler, ep. tit. Capitoliensis; Iosephus Vincentius Távora; Walmor Battù Wichrowski, VT Felbes; Antonius Baptista Fragoso; Ioannes de Sousa Lima,

AR Manaus; Augustus Petrò, VR Vaccariae; Alfonsus Maria, VT Azurensis; David, ep. S. Ioannis in Brasilia; Lui Raimondo, VR Paracatú; Aloysius Philippus, Urugunianensis; Emmanuel Pereira, ep. Campinensis Grandis; Carolus, arc. Olindensis et Recifensis; Gentil, bispo de Mossoró; Manuel Traveres de Araújo, bispo de Caicó; Franciscus, ep. Afogadensis; Mons. Iosephus Nicomedes Grossi, ep. Speleopolitanus a Bono Iesu; Iosephus, ep. Garanhunensis.

Art. 42. Placet iuxta modum, scil. ut post verba « pro certis casibus » demantur verba « a S. Sede bene determinatis, uti v. g. in Missa sacrae Ordinationis »; ita remanens textus definitivus: « Communio sub utraque specie, sublato fidei periculo, pro certis casibus, iudicio episcoporum, tum clericis tum religiosis, tum laicis concedi potest ».

Ratio: Communio sub utraque specie, pro certis casibus, de iudicio Ordinarii, maxime favet unioni Ecclesiarum, fidelium devotioni respondet et antiquis traditionibus congruit.

[*Subsignatus etiam*] Iosephus, ep. Garanhunensis.

48

EXC.MUS P. D. GEORGIUS KEMERER
Episcopus Posadensis

Venerabiles Patres Concilii de sacra synaxi sub utraque specie sumenda loquentes, difficultates practicas quae dignae administrationi obstant, pluries premebant.

Utique, dantur difficultates quas caute examinare et prudenter solvere debemus. Sed falsum esset ipsam rem, quae est tanti momenti, negligere eamque, propter difficultates, ad acta ponere.

Relinquamus oportet considerationes mere negativas, et *voluntate determinata, viam ac rationem quaeramus* qua sumptio utriusque speciei reddatur decens ac digna!

Etenim non satis esse videtur Concilium communionem sub utraque specie licitam et in se bonam declarare, sed praeterea eam positive fovere et eius progressivam instaurationem statuere debet.

Occasiones sumendi sacram synaxim sub utraque specie non unam vel aliam sanciamus, sed pluries, i. e. praeter ordinationem sacerdotalem et professionem religiosam, e. g. *a*) primam adultorum communionem eorumque confirmationem, *b*) missam pro sponsis, *c*) viaticum, *d*) exercitia spiritualia, aliaque huiusmodi, semper de iudicio Ordinarii.

Uti homines practici, ritus in genere simplices esse malumus, tales quales homines nostri temporis intelligant atque acceptent, sed non tota Liturgia ex sola consideratione practicae exsecutionis ordinanda est.

E contra, ipse valor sacramenti intrinsecus praeprimis considerandus est. Cogitare debemus de periculis et difficultatibus, sed magis cogitare debemus de ipsa re, de fructibus, de gratia inde percipienda.

Ipse Dominus Noster, cum inter nos sub specie panis et vini manere decerneret, clarissime vidit futuras difficultates, immo sacrilegia, profanationes, irreverentiam, indifferentiam. Ea omnia videns, hostiam se obtulit maiestati divinae, seipsum ac nos sacerdotes constituit, qui idem, sub iisdem speciebus faceremus, in signum amoris sui infiniti erga Deum Patrem et Ecclesiam suam Sponsam.

Et habetur praesertim in specie vini signum amicitiae et sigillum foederis cruentum, quod est inter Deum et homines. Quamvis totus Christus sub utraque specie contineatur, tamen species vini signum est sanguinis usque ad cuius effusionem Christus pro nobis seipsum immolavit. Haec omnia in signo panis non tam clare elucent.

Neque obliviscamur vinum prae se ferre indolem eschatologicam quam Christus annuntiavit in ultima Coena.

[*Subsignati etiam*] Henricus Muhn, ep. Jujuyensis; Roberto Caceres, ob. de Melo; Alberto Devoto, ep. Goyanensis; Antonius M. Aguirre, ep. S. Isidori in Argentina; Vicente Zazpe, ep. Rafaela; Carlos H. Ponce de León, ep. tit. Rodosto.

49

EXC.MUS P. D. ALEXANDER KOVÁCS
Episcopus Sabariensis

Ad n. 37 schematis constitutionis de sacra Liturgia, de ordine Missae instaurando, placet, iuxta modum.

Modus autem est, ut augeatur numerus praefationum.

Ratio: olim praefationes multo numerosiores erant, fere unaquaeque Missa propria gaudebat praefatione. Tridentina reformatio Missalis Romani retinuit paucas praefationes Sacramentarii Gregoriani Hadrianae recensionis, inde autem a saeculo exeunte elapso motus incoepit ad augendum numerum praefationum. Singuli ordines religiosi sat multas receperunt praefationes, item quaedam dioeceses, universa Ecclesia autem a Missali Romano Benedicti XV praefatione defunctorum et S. Ioseph, dein per Pium XI praefatione SS. Cordis et Christi Regis ditata est. Numerus praefationum saltem praefatione propria Adventus, dein praefatione propria SS. Eucharistiae, demum praefatione peculiari Dominicarum intra annum augendus esset.

50

REV.MUS P. D. ANTONIUS KÜHNER Y KÜHNER
Praelatus nullius Tarmensis

Propositio relate ad schema constitutionis *de sacra Liturgia,* cap. II: de sacrosancto Eucharistiae mysterio. Quae propositio traditur commissioni liturgicae ad pertractationem tantum, *quin publice legatur* coram Patribus.

Consideratio fundamentalis. Quasi tota praxis religiosa maioris partis fidelium (in Perù) sese limitat ad S. Missam. Per consequens haec debet continere et porrigere fidelibus omnia elementa necessaria pro gerenda vita christiana, scilicet: *a*) instructionem sufficientem (in Antemissa - Mensa verbi); *b*) orationem sufficientem (in Canone - Mensa sacrificii).

A) *Antemissa* (Missa catechumenorum).

1. Antemissa in *die dominica et in die festivo* debet continere breve compendium totius historiae sacrae Veteris Testamenti per summa capita et instructiones principales Novi Testamenti, cum respectu ad decursum anni ecclesiastici. Veritates fundamentales catechismi (praecepta, Credo, Sacramenta) extrahendae sunt ex Epistola, ex Evangelio et ex reliquis partibus Proprii.

2. *Missa proprie dicta* (mensa sacrificii) debet continere omnes orationes communes christiani.

3. *Missa ferialis* (de dominica in dominicam) debet tractare idem thema, quod occurrebat in dominica antecedenti, amplificando et profunde explanando ipsum pro fidelibus magis piis et zelosis, ut perducantur ad vitam perfectionis et apostolatus.

4. *Missa cycli temporalis* per consequens praeferenda est Proprio de Sanctis.

5. *Lingua vernacula* per consequens necessaria est pro Antemissa.

B) *Simplificatio caeremoniarum*.

Consideratio fundamentalis: Simplificatio est conveniens, quia *a*) populus simplex parum instructus (in missionibus, in « Sierra » Peruviana, in regionibus silvaticis) illas caeremonias non intelligit; *b*) populus instructus (in urbibus commorans) generaliter iam non habet tempus et nervos pro caeremoniis longis, v. g. pro Missa pontificali; *c*) aetas nostra est seria et sobria, etiam in gusto liturgico.

I - *Missa lecta*: *a*) simplificare et unificare motus fidelium, ex. gr. sedentes in Antemissa, genuflexi durante Canone. *b*) Simplificare caeremonias celebrantis.

1. In Missis pro Defunctis: Omnia fiant sicut in aliis Missis.

2. Legatur Evangelium sine directione symbolica ad aquilonem, i. e. sicut Epistola, quia symbola non iam intelliguntur; vel melius legatur versus populum.

3. « Ite, Missa est » dicatur in omnibus Missis. Cum Benedictione Sacerdotis finiatur Missa.

II - *Missa cantata*: Quando datur stipendium pro Missa cantata, parochus, si consideratio pastoralis id suggerit, habeat ius eam substituendi cum Missa dialogata etc.

Quod commendatur ex parte *a*) sacerdotis (problema oeconomicum); *b*) fidelium (consideratio pastoralis); *c*) dantis intentionem (intenditur a dante solummodo, quod non sit « Missa lecta », id est sub silentio).

III - *Missa solemnis*: *a*) Simplificare omnes caeremonias, quae pro magna

parte disturbant devotionem celebrantis, ministrorum sacrorum et populi, qui nihil intelligit.

1. *Celebrans* faciat omnia sicut in Missa lecta.

2. Ministri sacri (Diaconus et Subdiaconus) teneant positionem symmetricam, e. gr. in Antemissa: alter post alterum; durante Canone: ad dexteram et sinistram celebrantis; vel sicut in numero sequenti proponitur.

b) Ministri sacri non adeo munere fungantur assistendi celebranti quam communionem servandi cum populo. *Subdiaconus,* v. gr. legat lectionem Antemissae coram populo et dirigat dialogum populi. *Diaconus* legat et explicet Evangelium, distribuat S. Communionem.

IV - *Missa Pontificalis*: Est functio indigeribilis nostris temporibus, non comprehensa, sat longa, sine fructu spirituali et pastorali, est continua distractio pro Pontifice et officiantibus et pro populo. Est residuum ex aetate media et barocca in Liturgia.

Indiget reforma profunda.

a) Derelinquantur: calcea, chirothecae, gremiale, candelabrum, Lavabo ad Offert. et ad S. Comm., adhibeatur una mitra tantum, quin tam frequenter imponatur, resp. deponatur.

b) Duae positiones principales: 1. Ad thronum usque ad Offertorium; 2. Deinde ad altare.

c) Assistentes habeant magis finem repraesentationis et solemnitatis quam fungantur ministerio celebrandi. Adhibeantur tantummodo ut ministri liturgici: 1. magister caeremoniarum; 2. subdiaconus (Epistola, dialogus cum populo); 3. diaconus (Evangelium, praedicatio, communicatio); 4. mitraferarius, qui imponat et deponat mitram, simul curet ordini in centro ecclesiae, necnon et curet microphono, quia adsit minister specialis oportet: *a*) ad apportandum et removendum necnon et adaptandum microphonum; *b*) ad observandum bonum effectum in medio populi, quia de illo, saepe saepius disturbato dependet magnopere fructus Liturgiae, praedicationis et orationis.

51

Exc.mus P. D. SIMON CONRADUS LANDERSDORFER
Episcopus Passaviensis

Caput totum « de sacrosancto Eucharistiae mysterio » valde mihi placet. Sed declaratio quaedam ad primum eius numerum necessaria mihi videtur, ne suspicetur destructionem quandam Missae hodiernae in mente fuisse commissionis praeparatoriae, cuius membrum fuisse libenter concedo. Paragraphus tricesima septima proponit, ut Ordo Missae ita recognoscatur, ut clarius percipiatur et actuosam participationem fidelium faciliorem reddat. Ex declaratione enumerare velim singula quaedam ad illustrandam paragraphum:

Clarius distingui debent partes duae principales Missae, Liturgia nempe

verbi et eucharistica, non novo quodam et inaudito modo destruente Ordinem venerabilem, sed iuxta modum Missae Pontificalis, ita ut saltem in Missis cum populo celebratis lectiones fiant ad sedes, sacrificium autem ad altare. Lectiones praeterea proclamentur versus populum, ut sentiant fideles non agi tantum de parte sollemnitatis, sed Verbum Dei personaliter et urgenter alloqui ipsos.

Rariores fiant genuflexiones ut clarius intelligatur sensus adorationis profundae inditus ipsis. Rariores fiant etiam crucis signationes, ut sensum revera benedictionis retineant et non sint mere gestus indicationis.

Ritus Offertorii simplicior fiat, et fidelibus interdum saltem permittatur secundum antiquam consuetudinem Ecclesiae Romanae afferre sacerdoti oblata consecranda.

Ut clarius resplendeat gloria Dei in opere salutis, augeatur numerus praefationum, quarum exempla mirabilia continentur in thesauris antiquis Ecclesiae Romanae.

Optandum esse videtur, ut haec proposita inserantur in paragraphum ipsam, alia minora commissioni executivae relinqui possunt. Quae omnia sine destructione Ordinis perfici possunt, et sine dubio post restaurationem talem fideles recognoscent Missam ab infantia sibi carissimam et gaudebunt quod nunc melius possunt intelligere textus et ritus venerabiles et facilius eisdem participare et cum ferventiore cordis affectu.

Etiam eis, quae dicta sunt de lectionibus sacris et de homilia in nn. 38 et 39 ex corde assentio. Regrediuntur ad antiquissimam Ecclesiae Romanae consuetudinem, quae tempore S. Gregorii Magni in evangeliario suo pericopas posuit non pro die dominica tantum, sed etiam pro feria 4, feria 6 et pro sabbato. Quodsi renovaretur venerabilis illa traditio quoad evangelium et epistolam, omnes fere partes praestantiores Novi Testamenti annuntiarentur fidelibus et mensa verbi eis praepararetur vere ditissima.

Logice in n. 41 proponitur congruus locus linguae vernaculae, ut verbum Dei intelligatur a fidelibus. Instantissime commendo Patribus, ut etiam pro canticis Missae mensura sapienti concedatur lingua patria, recordans verba s. Pauli in Epistola Dominicae praeteritae et Eph., cap. V. Experientia pastoralis a saeculis docet, quomodo per cantica maxime corda hominum recipiunt veritatem revelationis et imbuuntur affectibus fidei, spei et caritatis. S. Ambrosium commemorare liceat, quem incantationis magicae inculpaverunt Ariani, videntes hymnorum eius vim salutarem. Et tunc lingua latina lingua populi fuit.

Ne abutar patientia vestra, venerabiles Patres, uno tantum verbo commendo, quae dicta sunt de Communione sub utraque specie et de concelebratione, quorum concessio largius extendatur ultra limites a propositione praevisas.

Non vero praetermittere possum numerum quadragesimum « de oratione communi ». Introducatur saltem in Missam cum populo celebrandam haec oratio, commendata iam a s. Paulo apostolo discipulo suo Timotheo: sicut

in textu propositionis citatur. Magni momenti est pro salute Ecclesiae, si totus populus orat pro ipsa et pro totius orbis necessitatibus, quia oratio Ecclesiae in unum collectae maxime tangit cor clementissimi Dei, qui in manu sua portat corda regum et eorum, qui in potestate sunt.

52

Exc.mus P. D. IOSEPH ALÍ LEBRUN MORATINOS
Episcopus Valentinus in Venetiola

Ad constitutionem sub n. 39 positam nempe de Homilia, haec redactio proponitur: « Homilia, in Missis quae cum populi concursu celebrantur, tamquam pars ipsius Liturgiae valde commendatur, diebus autem dominicis et festis de praecepto ne omittatur ».

En rationes: 1) Constat antiquitus (cf. Sanctum Iustinum) homiliam inveniri tamquam partem Liturgiae in Missa dominicali. 2) Ita magis et efficaciori modo ad instructionem populi christiani providetur et pars didactica Missae efficacior fit. 3) Non paucis in nationibus ea obligatio a Conferentiis episcopalibus est statuta.

Redactio constitutionis sub n. 41 (Lingua in Missa) sic proponitur: « Linguae vernaculae, canone excepto, in Missis cum populo adhibeantur ».

Superiores rationes quas in principio generali nuper proposito de admittendis linguis vernaculis in Liturgia attulimus, hic iterum afferri possunt.

53

Exc.mus P. D. EMMANUEL LLOPIS IVORRA
Episcopus Cauriensis-Castrorum Caeciliorum

Vere laudis dignum est cap. II schematis *de sacra Liturgia,* a Patribus commissionum praeparatoriae et centralis tanta assiduitate laboratum, tantaque perspicuitate in sua concisione impletum, quod omnes comprehendere debet, qui una voce, unoque spiritu vere christiani profitentur.

Bene recteque in eo elucet magnum desiderium Sanctissimi Patris Ioannis XXIII in constitutione « *Humanae salutis* »: *ut inter christianos universos aspectabilis unitas instauretur, quae Divini Servatoris votis digne satisfaciat,* quae quidem unitas, non tantum in his quae vere essentialia et immutabilia sint in doctrina Christi, manifestari debet, sed etiam in aliis, quae quamvis decursu saeculorum, ita non apparuerunt, tamen hodiernis temporibus, magis magisque conducere, aliquo modo possint, ad veram ostensionem unitatis a Christo conclamatae.

Ita affirmo, de n. 42 huius capitis secundi, nempe: *De Communione sub*

utraque specie, atque etiam de n. 44 eiusdem capitis, scilicet: *De concelebratione.*

Nihilominus, quamvis ita sentiam de eius existentia in Ecclesia cum orientali quam occidentali, in favorem verae unitatis, sub aspectu theorico seu doctrinali, tamen relate ad praxim, existimo quod: 1. Ad praecavendos abusus, praesertim propter novitatem in Ecclesia occidentali; 2. Ad irreverentias in re devitandas; 3. Ad procurandam sanitatem vel hygienem in hac materia; 4. Ad maiorem firmitatem procurandam in asserto fidei: « *quod sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi* ».

Ita determinetur forma tum Communionis sub utraque specie, quam factum concelebrationis ut forsitan his omnibus provideatur in eorumdem applicatione, quae in sequentibus animadversionibus sic determino:

Prima. Quod a Sancta Sede ita explicite immo et modo taxativo determinetur numerus dierum quibus fieri possit et Communio sub utraque specie, et factum concelebrationis, ita ut ad minimum reducatur, iuxta effatum: *magis vel minus non mutat speciem.*

Secunda. In unoquoque territorio, et solum de licentia expressa episcopi, attentis omnibus circumstantiis, effectum habeant.

Tertia. Ad ipsum episcopum in suo territorio competat explicite designare et ministrum Communionis sub utraque specie et sacerdotem principalem in concelebratione.

Quarta. Communio sub utraque specie ministretur intra ipsum Sacrum in quo conficitur et cum ipsa Communione plene consummatur.

Quinta. Ad hoc ut episcopus talem facultatem possit concedere, conscius debet esse de recta observantia normarum liturgicarum in his quae debent conficere et ministrare.

Forsitan necesse sit de tali materia, modo praeceptivo in curriculo de Liturgia pastorali aptitudinem consequi?

54

Exc.mus P. D. HANNIBAL MARICEVICH FLEITAS

Episcopus tit. Diocletianopolitanus in Palaestina, coad. Villaricensis

Ad pag. 37, pag. 175, post lin. 20, addatur nova paragraphus: « Liturgia Missae constat duabus partibus, nempe: Liturgia verbi et Liturgia eucharistica. Cum altare sit locus proprius celebrationis eucharisticae, oportet ut, in Missis cum participatione populi, Liturgia verbi locum habeat in ambonibus vel iuxta sedilia chori, ut in Missis pontificalibus et in Vigilia paschali ».

Ratio: *a*) ut bene clareque distinguantur duae partes Missae; *b*) ut omnes bene intelligant altare esse locum proprium sacrificii; *c*) ut Liturgia verbi, instructa principaliter ad populum efformandum, melius intelligatur, profundius percipiatur et facilius inducat fideles ad dialogum orationis.

Post praecedentem paragraphum additam, etiam sequentia addenda proponuntur: « Ordo Missae, venerabilis propter suam saecularem traditionem, retinendus est in sua actuali structura, sed tamen debet accipere sequentes correctiones:

a) Missa incipiat immediate cum Introitu.

b) Lectiones et cantus Missae a sacris ministris vel a choro vel a populo exsecutae, non iterentur a sacerdote celebrante.

c) Preces Offertorii (nempe: orationes concomitantes praeparationem materiae panis et vini) et versicula Psalmi « Lavabo » omittantur et restauretur oratio « Secreta », quae, ut unica « Oratio super oblata », cantetur vel voce elata recitetur.

d) Augeatur numerus praefationum, aut instituendo novas formulas, aut restaurando textus acceptos ab antiquis Sacramentariis, speciatim tempore Adventus, dominicarum « per annum », Sacrae Eucharistiae, Dedicationis Ecclesiae, Sanctorum Patronorum, etc.

e) Ut Canon Missae, inclusa Praefatione, iterum habeat suam originalem unitatem et continuitatem, oportet omittere in ipso suas quinque conclusiones intermedias et retinere tantum doxologiam finalem cantatam vel voce elata recitatam.

f) Omittantur in Canone signa crucis, oscula altaris et genuflexiones, quae videntur superflua et non adiuvant ad maiorem pietatem fidelium promovendam.

g) In Canone abbrevietur catalogus Sanctorum, ita ut ad summum nominentur Apostoli.

h) Oratio « Libera nos », quae post Pater noster est, cantetur vel in voce elata recitetur.

i) Restructuretur et ordinetur pars Ordinis, quae in se habet Fractionem hostiae et Pacem.

j) Formula distributionis Sacrae Communionis ita sit: « Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te. Amen », vel: « Corpus Christi. Amen ».

k) Missa finiet cum benedictione sacerdotali, quam sequitur « Ite, Missa est ».

Ratio: Restitutio diversorum elementorum ritus romani Missae ad sensum originalem et pristinam claritatem ac simplicitatem; ita ut signa, gestus et orationes sint faciliores intellectui populi christiani, quia exprimunt clare aperteque, quae volunt significare.

[*Subsignati etiam*] Antonius M. Aguirre, ep. S. Isidori in Argentina; Vicente Zazpe, ep. Rafaela; Ismael Rolón, prael. null. Caacupé (Paraguay); Alberto Devoto, ep. Goyanensis; Carlos H. Ponce de León, ep. tit. Rodosto; Felipe Santiago Benitez, ep. aux. de Assuncion (Paraguay); Roberto Caceres, ob. de Melo Uruguay.

55

Exc.mus P. D. OCTAVIANUS MÁRQUEZ TÓRIZ

Archiepiscopus Angelorum

Summa cum reverentia sequentes propositiones facere audeo.

1. Siquidem adhuc longa pro Concilio restat via, nam sumus in schematis primi cap. II, maxime opportunum videretur considerare ut expeditior via in disceptationibus adhibeatur, brevitatis gratia. Verum est n. 33 Ordinis Concilii edicere: « Quivis Pater verba facere potest de unoquoque proposito schemate vel admittendo, vel reiiciendo, vel emendando ». Sed experientia hucusque per tres hebdomadas habita, humillime censeo vel Sacrosanctam Synodum vel praesidentiae consilium, si placuerit, reverenter a Ss.mo Patre Nostro Summo Pontifice additionem praefati articuli impetrari posse, ita ut: « Quilibet Pater, si voluerit, *in scriptis* mentem suam circa schema vel eius partes aperire valeat, et exc.mo secretario scriptum tradere, qui competenti commissioni conciliari deferre curabit. Porro commissio, ad repetitiones vitandas melioremque ordinem servandum, supra eamdem rem unum tantum oratorem seligere posset pro congregatione generali. Ceterorum autem Patrum animadversiones prae oculis haberentur in ipsius commissionis disceptationibus.

Pro em.mis autem Patribus cardinalibus firmus remaneret eiusdem Ordinis art. 57, cum paragrapho 3: « ... Praeses (congregationis generalis) facultatem loquendi concedere potest Patribus qui illam petierint perdurante ipsa congregatione ».

2. De hoc sacrae Liturgiae schematis cap. II, enixe ac reverenter Patres Conciliares rogare audeo ut, antequam ad suffragia deveniamus, additiones aliquas, a Patribus quibusdam propositas, sed inter tot tantasque quaestiones oblivioni forte mandandas, in mentem revocemus, scl.:

a) Quod Missae celebratio ac proinde sacrae Communionis distributio, qualibet hora diei concedatur, servato eucharistico ieiunio.

b) Tempus eucharistici ieiunii pro sacerdotibus, ne inde a potus vel cibi sumptione usque ad Missae initium supputetur, sed inde a potus vel cibi sumptione usque ad sacram Communionem.

c) Siquidem fideles plures — pro dolor — statim, vel paucissimis momentis, post Missam ab Ecclesia discedunt absque debita gratiarum actione pro Sacra Communione, utinam ultima pars Canonis, nempe post sacerdotis Communionem, longior fieret.

d) E contra, quia fideles qui Communionem non accipiunt saepe saepius neque Evangelium Sancti Ioannis audiunt, et ad rutinam vitandam, utinam non quotidie sed aliquoties tantum praefatum Evangelium recitaretur, et semper ante sacerdotis benedictionem, ita ut cum benedictione ac verbis « Ite, Missa est », Missa revera finem haberet, nullis additis precibus.

e) Utinam vestimenta liturgica, praesertim pontificalia, de mandato Concilii simpliciora et leviora fierent, servata semper dignitate. Exempli gratia: nostris hisce temporibus sandalia et caligae non tam necessaria videntur; chirotecae, praesertim in calidis regionibus, ad libitum adhiberi possent, sicut ex benigna Summi Pontificis concessione iam quoad tunicellas fit; pileolum una simul cum mitra aliquoties in Pontificalibus molestias affert; mitrae nimis pretiosae, tamquam personales, fortasse hac nostra aetate non tam convenientes apparent; etc.

3. Sed praesertim, humiliter clarissimos Patres conciliares rogare audeo ne obliviscamur schemata nobis proposita non laborem unius vel alterius hominis tantum esse, sed fructum apprime maturum multarum sapientium consultationum, inter praeclaros viros habitarum. Quamplures enim Patres cardinales, episcopi, theologi consultores aliique, ac dein commissiones praeparatoriae, tam speciales quam generalis, strenuo in schematibus conficiendis adlaboravere. Unde salva tutaque semper uniuscuiusque Patris libertate ad propriam mentem aperiendam, schemata in seipsis iam a nobis magnam fiduciam merentur. In multis enim disceptatis quaestionibus viam mediam — viam scl. prudentiae — nobis praebent.

56

EXC.MUS P. D. IOANNES McELENEY
Episcopus Kingstonensis

Art. 37 (pag. 175, linn. 17-20). Clariori modo exprimi debent et desiderata unitas ritus et legitimae variationes locales, ut, v. g. « Ordo Missae ita recognoscatur *et* in generali dispositione *et* in singulis partibus ut clarius percipiatur. Praesertim in Liturgia verbi, ad actuosam fidelium participationem faciliorem reddendam, introducantur aptationes secundum singulorum populorum peculiare ingenium et traditiones ad normam art. 22 n. 2 huius constitutionis ».

Notandum de titulis librorum liturgicorum. In novis editionibus *typicis* librorum liturgicorum, loco adiectivi « *Romanum* » melius adhibeatur « *Ritus Romani* » — servato adiectivo pro libris liturgicis alicuius territorii. Sic, habeatur editio typica « *Missale Ritus Romani* », « *Rituale Ritus Romani* », « *Breviarium Ritus Romani* »; libri autem liturgici cum variationibus decretis ab auctoritate competente territoriali habeant titulum potius v. g., « *Missale Germanicum Ritus Romani* », « *Rituale Romanum Ritus Romani* », « *Breviarium Africanum Ritus Romani* », etc.

Art. 41 (pag. 176, linn. 4-7). Maior libertas hac in re tribuenda est auctoritati competenti territoriali. Inde, post « tribuatur » (lin. 5) melius legitur hoc vel simili modo: « *imprimis autem in liturgia verbi ad normam articuli 22 n. 2 huius constitutionis* ».

Art. 42 (pag. 176, linn. 8-11). Occasiones Communionis sub utraque specie potius determinentur ad normam art. 22 n. 2 huius constitutionis. Melius delenda est, ut videtur, cautio « *sublato fidei periculo* », nam Orientales Catholici qui per saecula hanc communem praxim habebant sine ullo vestigio periculi fidei, recte iniuriam accipere possunt ex tali cautione. Sic, fere hoc modo desideratur articulus: « Communio sub utraque specie pro solemnioribus occasionibus uti, v. g., in Missa sacrae Ordinationis, Professionis Religiosae, Nuptiarum, Anniversariorum et Iubilaeorum, et ita porro, valde commendatur tamquam potissimum adiumentum fidei et pietatis erga Sanctissimum Sacramentum. Itaque, est competentis auctoritatis territorialis, de qua in articulo 22 n. 2 huius constitutionis, statuere illas occasiones, actis ab Apostolica Sede probatis et confirmatis ».

Art. 43, pag. 176, linn. 16-18). Ultima sententia huius articuli melius deletur — nam non videtur pertinere ad finem huius constitutionis.

(Pag. 176, lin. 14). Loco « *coniunguntur* » melius legitur « *coniungantur* ». Secus non elucescit quomodo pertineat ad instaurationem Liturgiae.

Art. 44 (pag. 176, linn. 18-23). Desideratur ut occasiones concelebrationis ampliori modo exprimantur, et inde ut articulus legatur hoc fere modo: « (Usus amplificetur). Concelebratio tam in Ecclesia orientali quam in occidentali in usu hucusque remansit. Concilio praeceptum concelebrandi, nisi iusta causa excuset, ad sequentes casus extendere placet:

a) Ad Missam Chrismatis, feria V in Coena Domini;

b) Ad Missam dedicationis seu consecrationis ecclesiae.

Praeterea Concilium enixe commendat concelebrationem in omni paroecia, feria V in Coena Domini, et in festo Corporis Christi, ubi est copia sacerdotum.

Insuper est competentis auctoritatis territorialis, de qua in art. 22 n. 2 huius constitutionis, statuere alias occasiones, v. g., conventus sacerdotum et congressus eucharisticos, quando fas est concelebrare ».

Ad nn. 42 et 44:

1. *Concelebratio* commendatur sensu proposito ab em.mo card. Léger et aliis. Quodsi talis amplior concessio S. Synodo non placeat, ineatur *saltem via media,* ita ut concelebratio concedatur saltem episcopo, quoties cum insigni aliqua parte cleri convenit, v. g. in visitatione canonica, in festis extraordinariis et in casibus similibus.

Rationes sunt: *a*) quia sic unitas inter episcopum et eius clerum maxime colitur et promovetur; *b*) quia haec est traditio totius Ecclesiae inde ab initio, ut patet ex verbis S. Ignatii Antiocheni pluries iam citatis, et etiam Ecclesiae Romanae per plus quam mille annos.

2. Item *communio sub utraque specie* concedatur in casibus a S. Sede plene determinatis, ita ut *saltem* aliquoties in anno fidelibus appareat signum Coenae Eucharisticae in forma sua pleniore. Hoc modo — non obstantibus difficultatibus practicis, quas nemo est qui neget — tamen bona voluntas S. Synodi manifestaretur coram fidelibus et etiam coram fratribus separatis.

57

Exc.mus P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO
Episcopus Cuernavacensis

In hoc cap. II valde placet n. 37, quia Ordo Missae decursu saeculorum aliquatenus obscurior evaserat. Modus vero et limites in commissione considerandi essent ut nobis Patribus proponerentur, quos quidem secundum meum iudicium in folio annexo commissioni propono.

Placet item n. 38.

Tam evidens est doctrina in n. 39 proposita ut, nisi sacerdos solus celebret, homiliam numquam omittere debeat, prouti offertorium, vel Pater noster, vel ipsas lectiones numquam omittit. Humiliter dico in mea dioecesi hanc praxim iam fere vigere. Ideo propono ut dicatur: « Veri nominis homilia, brevis nempe et vera interpretatio et applicatio Lectionum, utpote pars integralis Ordinis Missae, numquam omitti potest, nisi sacerdos solus celebret, etiam diebus feriatis, sed ampliori modo Dominicis et festis de praecepto ».

Oratio communis, de qua in n. 40, valde commendatur historia et natura actionis liturgicae. Experientia etiam docet utilitatem in Missis lectis, in quibus nunc oratio communis pro nobis Patribus conciliaribus per totam meam dioecesim omnibus diebus, magna cum fide, spe et gaudio populi Dei canitur. Sed ad Missas cum cantu et sollemnes potiori ratione extendi oporteret.

De n. 41 quid dicam? Valde a nostro munere deficiemus si Concilium non statuit linguam vernaculam tanquam linguam liturgicam saltem pro Liturgia verbi in Missis etiam sollemnibus ut Plebs sancta et omnes homines qui intersint abundantius enutriantur, quod aliter numquam tam plene obtinebitur.

Nn. 42 et 44 valde placent cum modo et limitibus a commissione considerandis ad mentem Patrum, quorum ego minimus quosdam in annexo folio assigno. Quamplurimum me movet propositio de concelebratione sacerdotum infirmae valetudinis.

Optarem ut in n. 43 explicitius diceretur praeceptum non adimpleri si fideles lectiones non auscultarent.

Nescio utrum opportunum esset explicite in Conciliari decreto doctrinam aliunde in Encyclica *Mediator Dei* fuse propositam perstringere: « Etsi valide et fructuose extra Missam Communio sumi possit et pro necessitatibus pastoralibus distribui oporteat, tamen omni conatu tendendum est ut intra Missam christifideles communicent ut participatio in convivio sacrificali melius appareat ».

Animadverto praeterea:

Primo: dicere nullam vel parvas et perpaucas tantum fieri posse im-

mutationes, quia periculum magnum insit omni mutationi, idem est ac dicere nos homines numquam a perfectione in Ecclesia deficere, quod pugnat contra naturam ipsius Ecclesiae et contra quamplurima tentamina reformationis. In memoriam ad rem quod attinet documenta Pii X, Pii XII, sed et ipsius Ioannis XXIII feliciter huic Concilio praesidentis qui ad renovationem liturgicam complendam per altiora principia nos convocavit.

Secundo: fideles nostros adultos facere oportet ut clarius inter essentiam Ecclesiae a Christo Domino fundatae et opera ab hominibus incepta, quae non raro sed saepissime venerabilia existunt, distinctionem percipiant, quia cotidie in libris, in ephemeridibus... has animadversiones inveniunt, quas, si conscii fiant, de veris defectibus et de necessitate et opportunitate continuae et prudentis quidem renovationis et adaptationis, multo melius discernent et, occasione data, non catholicis mirantibus vel etiam adversantibus rationem reddent et praeterea renovationes in praxim laetantes perducent.

Non amplius possumus, si quando possibile fuit, fideles nostros semper tanquam pueros habere vel nutrire.

Tertio: omnes nos episcopi liturgi sumus; sed viget ut apparet luce clarius vera distinctio inter cultores doctrina et opere Liturgiae et eos qui tantum liturgi sunt.

Plures sunt pastores, sicut in mea prima oratione efferebam, qui Liturgiam colunt et pastoralem liturgicam experti sunt, et alii plures qui eminent in aliis pastoralibus et scientificis ambitibus, sed de re liturgica nec cogitaverunt nec voluerunt cogitare plurimis de causis.

Ideoque verum nequaquam est unicam distinctionem intercedere inter simpliciter liturgistas et liturgistas exaggeratos; sed distinctio quidem ante dies magna intercedebat inter cultores Liturgiae et eos qui Liturgiam non colebant; et exaggeratio in utraque parte existere potest, quam nos vitare debemus sicut in Encyclica *Mediator Dei* praeclarissime fecit b. m. Pius XII.

Quarto: nullo igitur modo putandum est nos oleum et operam per mensem in his congregationibus perdidisse, quia, sicut nonnulli Patres mihi confessi sunt, hae congregationes pro non paucis e nobis pastoribus bonae fidei cursus intensivus Liturgiae exstiterunt et hac via opinio communis paulatim et laboriose, etiam ope repetitionum, quae saepe iuvant, efformata est.

Quinto: eo vel magis emolumentum harum disceptationum efficitur, quod seligere possumus secundum proprium uniuscuiusque ingenium ambitum actionis nostrae pastoralis; sed pro Liturgia non datur electio, nemo amplius Liturgiam negliget, quia elementa essentialia Liturgiae ad essentiam a Christo Domino Ecclesiae suae datam pertinent, est enim culmen et fons actionis Ecclesiae. Forte Concilium hoc unum in hac sua prima periodo efficiet ut nos omnes Pastores germanae Liturgiae sinceri cultores cum splendido instrumento huius decreti simus. Faxit Deus.

N. 37. *Ordo Missae instaurandus.*

a) Rariores fiant in Missa crucesignationes, altaris oscula, genuflexiones, inclinationes et alia huiusmodi.

b) Preces ad gradus altaris essent aliquatenus minuendae, et forma simpliciore redigendae.

c) Lectiones proclamentur versus populum, cui directe annuntiantur.

d) Ritus Offertorii ita describatur et aptetur, ut populi participatio appareat processione oblationis, quae fieri posset saltem diebus solemnioribus, vel ab ipso populo vel ab ipsius repraesentantibus (ut adhuc fit in Liturgia Ambrosiana). Item orationes quae oblationem comitantur ita recognoscantur ut magis respondeant sensui oblationis donorum postea consecrandorum. Orationi super oblata suum momentum restituatur, clara voce eam proferendo.

e) Praefationum numerus augeatur (ex. gr., pro die dominico, pro tempore Adventus, pro festo Corporis Christi, pro Missa dedicationis ecclesiae). In Canone praecipuae preces, vel saltem doxologia finalis, elata voce dicantur, ut populus respondere valeat « Amen »; quod in fine tantum exstare deberet. Crucesignationes in doxologia tollantur; et in toto Canone minuantur.

f) Embolismus orationis dominicae clara voce recitetur, ut fit in actione liturgica feriae VI in Passione et Morte Domini, neque fractio ad eius conclusionem fiat.

g) Fractio hostiae et pax melius ordinentur.

h) Aboleantur restrictiones, quibus fideles a recipienda sacra Communione in quibusdam Missis prohibentur.

i) Formula distributionis sacrae Communionis brevior admittatur, ut v. gr., « Corpus Christi. R. Amen », ut apud S. Ambrosium et in Liturgia Ambrosiana.

j) Missa compleatur benedictione sacerdotis et formula dimissionis: « Ite, Missa est ».

Ad hanc revisionem sive totius Ordinis Missae sive eius partium reduci possunt aliae quaestiones characteris potius rubricalis et caeremonialis, saepius a peritis et nunc etiam ab episcopis pressius propositae. Duas ex his, ad modum exempli, memorari liceat: scilicet reductionum rituum Missae pontificalis in genere, et restitutionem ad praxim ordinariam Missae solemnis cum diacono, uti factum est in Ordine instaurato Hebdomadae sanctae.

N. 42. *Communio sub utraque specie.* Cum nostris temporibus remotius videatur periculum fidei, Communio sub utraque specie concedatur, non certe passim et omnibus, quia adsunt magna practica incommoda, ac difficilis erit fidelium pietatis et mentis aptatio, sed pro certis et bene determinatis casibus, exempli gratia: sacerdotibus concelebrantibus; ministris sacris in Missa solemni; in collatione sacrorum Ordinum; in professione religiosa; in baptismo adulti et in receptione neoconversi; in celebratione matrimonii, et his similibus. Hac instauratione, etsi raro admissa, ostenderetur caritas Ecclesiae erga desideria fratrum separatorum, unitas orientalium rituum cum occidentalibus, foveretur christiana devotio erga pretiosissimum Christi Sanguinem, melius a fidelibus intelligeretur Eucharistiam esse Crucis Sacrificii repraesentationem illiusque regni aeterni nuntium, in quo novum genimen

vitis bibetur. Si vero agitur de Communione sacerdotum in Missa concelebrantium evidentius appareret eos vere cum principali celebrante consecrare et sacrificare.

N. 44. *Concelebratio sacramentalis.* Concelebratio tam in Ecclesia orientali quam in occidentali in usu hucusque remansit. In votis est ut ad plures extendatur casus quam in disciplina vigenti et praesertim:

a) ad Missam Chrismatis, feria V in Coena Domini;

b) ad Missam conventualem et ad Missam principalem in ecclesia, ubi plures sacerdotes adsunt quam utilitas fidelium requirit, salva semper cuiusque sacerdotis libertate individualiter celebrandi, non tamen in eadem ecclesia eodem tempore;

c) ad conventus sacerdotum, uti sunt exercitia spiritualia, cursus studiorum, peregrinationes etc., praesertim ubi singulae Missae sine incommodo celebrari nequeunt;

d) ad extraordinarias celebrationes festivas, e. gr. occasione Synodi dioecesanae, visitationis pastoralis (concelebratio episcopi una cum clero illius paroeciae).

58

Exc.mus P. D. DEMETRIUS MOSCATO
Archiepiscopus Salernitanus

Humillime submitto considerationi vestrae quasdam meas animadversiones.

Etenim super cap. II, et praecise super ordinem Missae recognoscendum, sive in generali sua dispositione sive in singulis partibus, uti dicitur in schemate nobis proposito, pag. 175, duplex notatur discrimen; eorum, scilicet, qui spiritu novitatis inducti novas formas proponunt et eorum, e contra, qui aliam novitatem invocant, scilicet antiquiora vestigia, elementa quoque primigenae formae restituere conantur in pristinum honorem antiquitatis.

Primi, igitur, loquuntur de Ritu Romano, in Concilio et extra, sicut de monumento archaeologico quod relinquendum sit. Immo sententiam suam suffragare ausi sunt verbis S. Thomae: « Recedant vetera, nova sint omnia: corda, voces et opera ». Revera meminisse iuvabit verba theologi hispani Bastida: « Sunt quidam qui cum proprias doctrinas propriis humeris ferre non possunt S. Thomae imponunt, ipso Angelico Doctore manibus pedibusque renuente ».

Quidquid sit, ritus quem dicunt recognoscendum non est monumentum archaeologicum, sed sacra antiquitate gaudet, quae est tractanda maxima cum reverentia.

In aliis rebus monebat Plinius: « Reverere gloriam veterem et ipsam senectutem, quae, in urbibus sacra est, in homine venerabilis. Sit tibi honor antiquitatis ». Sed ego adderem: « In rebus divinis Sancta sancte memoranda et tractanda sunt ».

At non agitur tantum de sacra antiquitate sed de Liturgia quae est verbum breve, gaudet enim sobrietate, et insuper verbum vivum, plenum et efficax.

Dein penetratio et compenetratio verborum et formarum Liturgiae nostrae cum rebus divinis talis est ut si ea relinquitur videretur auferre animam a pietate christiana vel saltem eam subvertere. Unde res tractanda cum omni reverentia et pari moderatione.

Scimus etiam quod in decursu saeculorum mutationes et accommodationes factae sunt et adhuc possibiles sunt si exigentia animarum pastoralis hoc requirat. Stat crux dum volvitur orbis et etiam incedit crux dum volvitur orbis. Etenim quod divinum, irreformabile et immutabile est; sed quod immutabile, immobile non est. Igitur incedit crux in novitate circumstantiarum et humanae vitae.

Firmum tamen semper maneat quod praecepit ac statuit Pius XII, immortalis memoriae, in *Mediator Dei*: « Uni Summo Pontifici ius est quemlibet de divino cultu agendo morem recognoscere ac statuere, novos quidem inducere ac probare ritus, eosque etiam immutare, quos quidem immutandos iudicaverit ».

Sed revera mirum est quod quamvis nostra Liturgia romana gaudeat, sicut mos est, magna simplicitate et sobrietate, ut dixi, tamen omnia tela coniiciuntur contra eam, non contra omnes alios ritus, quos tamen statim dico prosequimur magna cum admiratione quia, ut Summus Pontifex Ioannes XXIII hesterna die declaravit, ipsis Ecclesia mira varietate circumdatur et tantis irradiatur fulgoribus.

At Liturgia Romana nequit victimari, nec dicere potest: « Ego, ego fui, in me convertite ferrum! ».

Sed quia super hanc rem maior auctoritas intonuit, quae ego dixi obiter tantum dixi et amplius non attollo plus aequo vocem.

Remanet ut verbum dicam de Evangelio in Missis solemnioribus.

De mea experientia scio quod multi conventus celebrantur eucharistici, raro valde habentur in nostris regionibus super Evangelium. Tandem saltem in Missis sollemnibus sollemniori apparatu desideratur quaedam intronizatio Evangelii super altare ita ut, sicut ait Summus Pontifex Ioannes XXIII, Liber et Calix in Missa fulgentem primatum teneant.

In sessione praecedente audivi loqui de « Missa communitaria ». Salva reverentia, hoc verbum mihi non placet. Cur mutuare ab aliis vocem cum a christianismo habuimus verbum novum, id est « Communio ». Quae non est simplex unio sed communis unio, non solum cum corpore Christi reali, sed quoque cum eius corpore mystico. Est enim in Missa idem amor qui in caelum vertitur: et est oblatio; in profundum humanitatis descendit: et est immolatio; in latitudinem extenditur: et est communio cum hominibus; amplectitur enim totam humanam communitatem.

59

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS MUGUERZA
Episcopus Novoraniensis

A Sacrosancta Oecumenica Synodo humiliter petam:

1. Ut liceat nostris sacerdotibus, diebus festis de praecepto et dominicis non tres tantum posse Missas celebrare, sed quatuor aut quinque, *a*) *iuxta populi christiani necessitatem, b*) *de licentia Ordinarii loci,* et *c*) *servatis de iure servandis.*

Rationes. Si talis concedatur facultas, nostris praesertim dioecesibus, quae magna laborant sacerdotum inopia, non parum provisum fuerit huiusmodi inopiae et animarum saluti.

In laudem divi Gregorii Magni eiusque pietatis scriptum est septem vel novem Missas quotidie celebrasse. Si in laudem viri Dei aevi antiqui hoc dictum est, cur de viro Dei nostrae aetatis dici non posset, deque eius pietate atque apostolico zelo?

2. Ad n. 37, cap. II schematis constitutionis *de sacra Liturgia,* velim proponere ut in sacrosancto Missae Sacrificio verba consecrationis elata voce, immo et in cantu — etiam in Missis privatis — dicantur, ut in nonnullis orientalibus ritibus fit.

Rationes. In hodierna ordinatione Missae augustissima verba Domini, transubstantiationem efficientia, inaudita manent auribus fidelium, qui iure possunt dubitare an dicta sint vel non.

Attentio, aurium fidelium applicatio, bene percipitur, ad cantum Praefationis vel ad Pater Noster. Similiter credo sperandum, si verba consecrationis in cantu fiant, id est, si pars praecipua Sanctae Missae sacrificii sollemniore modo peragatur.

60

EXC.MUS P. D. EDUARDUS NÉCSEY
Episcopus tit. Veliciensis, adm. ap. Nitriensis

In meis adnotationibus brevis ero. Quae de communione sub utraque specie et de concelebratione iterata vice dicta sunt, nolo repetere, solum has breves propositiones facere praesumo:

1. Ad n. 38: pericopae S. Scripturae, lectio et evangelium in Missis lectis adstante populo legantur semel tantum et quidem lingua vernacula et dein sequatur homilia. In Missis solemnibus iuxta nunc vigentes rubricas lectio a subdiacono legitur et evangelium a diacono canitur, quin ea prius celebrans submissa voce legisset. Ex eadem ratione pastorali posset lectio pericoparum in lingua latina in Missis lectis in praesentia populi fidelis celebratis a celebrante omitti.

2. Ad n. 39: homilia ordinarie intelligitur explanatio S. Scripturae, at hodiernis in adiunctis praesertim apud nos pernecesse est, ut fideles instruantur de veritatibus fidei, de Sacramentis, etc. Unicum medium contra modernos errores veritates fidei defendere nos habemus tantum instructionem catecheticam infra Sacrum diebus dominicis et festis. Talem instructionem catecheticam nostri fideles desiderant et ideo apud nos diebus dominicis ac festis infra unamquamque Missam talis instructio habetur. Ex hac ratione propono, ut sub n. 39 post verbum « homilia saltem in parenthesi addatur verbum « concio ».

Item in hoc numero verba « valde commendatur », nempe homilia, substituantur verbis « ad normas iuris habeatur ». Mitigationem praescriptionis can. 1344 § 1 non commendo.

Has propositiones summa reverentia facere praesumo etiam in nomine episcoporum huic Sacrosanctae Synodo ex Cecoslovachia adstantium.

61

Exc.mus P. D. DRAGUTIN NEŽIĆ
Episcopus Parentinus et Polensis

Pag. 175, ad n. 37. Nomen *S. Ioseph* etiam in « Confiteor » inseratur.

Meo humili iudicio hora est, ut Ss. Concilium fideles christianos ex toto corde hortetur, ut consuetudinem illam repraesentandi sic dictum « *Senem Natalitium* » (Babbo Natale, Weihnachtsmann, Le père Noël) penitus derelinquant et contra talem usum qui graviter offendit cultum Iesu Infantis (qui unice portator est verorum bonorum), decertent, ii praesertim, qui apostolatum in mundo hodierno gerere debent vel cupiunt. Eodem modo hortandi sunt fideles, ut sese etiam a consuetudine repraesentandi *S. Nicolaum* vivum per modum, sit venia verbo, « mascherae » totaliter abstineant sed potius S. Nicolaum piis verbis ac imaginem eius sacram exponendo, infantibus christianis in mentem revocent. Damnanda est praxis illa vere impia, quae aliquoties accidit, in mutuum dare paramenta sacra ecclesiae personis quae figuram S. Nicolai iuxta consuetudinem praedictam gerunt.

Praeparetur textus ritus brevioris *Vigiliae paschatis* pro ecclesiis paroecialibus; nam ibi saepe fit, ut propter ingentem numerum communicantium tempus huius functionis liturgicae nimis protrahitur. Abbrevietur e. g. ritus benedicendi aquam baptismalem.

Pag. 175, ad n. 38. Lectiones *SS. Scripturarum in Missis* (Epistolae et Evangelia) non solummodo per cyclos 2-3 annorum repetendae sunt, sed potius elenchus proprius et semper novus per modum Directorii liturgici omni anno publici iuris fiat.

Pag. 176, ad n. 42. Si tantum sponsis novis et personis vota religiosa in futuro emittentibus sacram Communionem *sub utraque specie* accipere

liceat, tunc illi qui iam maritati vel votis iam adstricti sunt, invidia impleantur. Cognosco viros laicos qui desiderio magno desiderant saltem aliquibus vicibus in vita sanctam Communionem sub utraque specie recipiendi. Propono propterea, ut Concilium unam diem alicuius festi vel Dominicae in unoquoque anno pro Communione sub utraque specie etiam laicorum, decernat. Si autem in civitate aliqua, ecclesia christianorum unitorum ritus orientalis existit, fideles laici, qui hoc desiderant, pro suscipienda Communione sub utraque specie eam adire possunt.

62

Exc.mus P. D. LEO NIGRIS

Archiepiscopus tit. Philippensis

Ad n. 37. Si quid in ordine Missae recognoscendum esset, unum tantum proponere audeo: Vel omittatur « Ite, Missa est », quia de facto ita non est, vel, melius, postcommunione recitata, sacerdos immediate in medio inclinatus oret « Placeat, Sancta Trinitas, etc. », det Benedictionem et post responsionem « Amen » dicat « Ite, Missa est », cui populus respondeat « Deo gratias », et satis, quin dicantur « Initium S. Evangelii secundum Ioannem » et Preces Leonianae.

Ad n. 42. Communionem sub utraque specie absolute excludendam esse censeo ob rationes practicas, reverentiales et hygienicas a sapientioribus oratoribus iam allatas, quin dicam sacerdotes et fideles in genere longe abesse ab hac instauratione auspicanda.

Ad n. 45. Item concelebrationem neque necessariam neque opportunam censeo, praeterquam in Consecratione episcopi, ob rationes ab aliis allatas.

63

Exc.mus P. D. MARIANUS OBLAK

Episcopus tit. Flaviensis, aux. Iadrensis

Ad n. 37, cap. II huius schematis *de sacra Liturgia* liceat mihi hoc exprimere.

Principium generale. Aliquam innovationem valde utilem, velut largiorem instructionem lectionum et orationem communem non respuentes, attamen pro regionibus populisque saltem culturae occidentalis vigens ordo ritus romani servandus est. Sed in vigenti ordine ritus romani ea elementa dialogi et communicationis inter celebrantem et populum adstantem debemus studere efficaciori modo explicare.

Praeter partes aliquibus nationibus, etiam nostrae croaticae, a Sancta Sede iam concessas in lingua vernacula recitandas vel cantandas ut Kyrie,

Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei, humiliter propono haec quattuor puncta, supponens in his partibus Missae linguam vernaculam a Sancta Sede approbatam iri.

I. Ante altare celebrans et fideles in principio Missae simul alta voce signum crucis faciant. Alternatim psalmum, Confiteor et versiculos qui sequuntur in Missa lecta recitent. Cum cantus atmosphaeram solemnitatis creat, in dominicis et festis valde convenit ut, dum celebrans processionaliter a sacristia ad altare pergit, psalmus a duobus choris fidelium cantetur. Post cantum celebrans alternatim cum populo confiteor et versiculos recitet.

II. Offertorium. Eleemosyna fidelium quae ad offertorium colligitur prope mensam altaris reponatur. In peculiaribus occasionibus, v. gr. Dominica missionis, Pro vocationibus, Pro operibus dioecesanis, ipsi fideles vel saltem una pars fidelium ad altare in manus celebrantis dona sua collocent. Celebrans sedens illa accipit, manus lavat et offertorium ut ordinarie incipit.

Invocationem « Orate, fratres »... coram populo extensis manibus celebrans integre persolvit, cui fideles « Suscipiat Dominus », etc., in communi pariter alta voce respondent.

III. « Pater noster » fideles semper una cum celebrante in Missa lecta recitent et in Missa cantata tono gregoriano cantent.

IV. Post communionem loco hodiernae antiphonae introducatur et alternatim a celebrante populoque unus psalmus recitetur vel cantetur prout Missa lecta vel cantata sit. Valde convenit, si, venerabiles Patres, vobis placet, psalmum 112 cantare quem Dominus Noster cum apostolis in sua Coena persolvit.

Rationes huius innovationis. Hoc modo unio et communicatio fidelium adstantium in actuosa participatione cum celebrante ab initio usque ad finem Missae perdurant.

Elementa dialogi et communicationis hodiernae structurae ordinis Missae ritus romani omnibus iam nota pastores suos fideles in instructione faciliter edocebunt; fideles autem sine magna difficultate et admiratione in lingua vernacula libenter omnia recipient.

Tali modo hoc Sanctum Concilium se gerit ut scriba doctus qui ex thesauro suo profert nova et vetera.

64

EXC.MUS P. D. ALEXANDER OLALIA
Episcopus Lipensis

Animadversiones quasdam circa nn. 37-39 breviter exponere vellem.

In Ordine Missae recognoscendo et instaurando, considerandus est conceptus quem homines hodierni habent de tempore. Nam homines his diebus volunt omnes res, oblectamentis et vita exceptis, quam citius perfici. Illis taedent res etsi divinae quando sunt nimis longae. Illis, v. gr. qui opportu-

nitate gaudent assistendi Missae etiam diebus ferialibus, diebus dominicis et festis de praecepto communiter displicet diu in ecclesia immorari quando Missae celebratio sit nimis protracta. Hinc in civitatibus in quibus plures habentur ecclesiae vel oratoria tam publica quam semi-publica, multi illas ecclesias adire malunt ubi omni dimidia hora Missa audiri potest et ubi homilia est brevissima.

Hac de causa humiliter propono ut in recognitione Ordinis Missae facienda, resecentur illa quae, salva indole pastorali sacrificii laudis et propitiationis, omitti possunt, ut ex. gr. psalmus Iudica me, Graduale et Tractus qui nonnunquam valde longi sunt, Preces in fine Missae, et alia huiusmodi.

Insuper, cum Missa, vi privilegii apostolici, privatim celebretur sine ministro omitti debent omnes illae expressiones seu verba quae praesentiam physicam populi supponunt, ut ex. gr. Dominus vobiscum, Orate fratres. In recitatione Breviarii a solo, mutatio iam facta est ita ut recitans non amplius dicat Dominus vobiscum, sed Domine exaudi orationem meam.

Quod ad homiliam attinet, plene assentio iis Patribus qui volunt homiliam, ut partem ipsius Liturgiae, esse obligatoriam omnibus diebus dominicis et festis de praecepto. Ut autem haec obligatio sacerdotibus curam animarum habentibus facilioris exsecutionis reddatur, valde optandum est ut singulis annis Curia dioecesana schemata seu synopses homiliarum pro toto anno praeparet atque iuxta episcopi mandata et instructiones mittat parochis qui ex ordine populo explicent capita doctrinae in schematibus proposita. Hoc modo, magisterium episcopi plenius ad omnes sibi subditos perveniet. Saepe numero parochis, propter ingentem laboris molem, brevissimum, si quod, tempus superest ad homilias praeparandas; sunt qui, dono verbi carentes, arduum experiuntur onus praeparandi homiliam quae sit audientium conditioni et captui accommodata; vel sunt etiam qui vix invenire possunt argumentum quod eorum iudicio non sit pluries ac variis modis repetitum.

Ideo humiliter propono ut n. 39 cap. II sic redigatur:

« 39 - Homilia: Homilia, tamquam pars ipsius Liturgiae, sine ratione vere gravi diebus dominicis et festis de praecepto omitti non debet. Valde commendatur ut schemata praeparentur a curia dioecesana pro homiliis toto anno in ecclesiis dioeceseos praedicandis ».

65

Exc.mus P. D. RENATUS PAILLOUX
Episcopus Arcis Rosebery

Venia mihi tribuatur pauca dicendi quae ad art. 37 referunt, nempe de proposito ordine Missae recognoscendo.

Multa argumenta diserte allata sunt quoad primam partem Missae, quae Liturgia verbi constat, et usum linguae vernaculae, pro hac saltem parte, concedendam esse enixe optamus.

Attamen, hanc Liturgiam verbi non esse nisi quandam didacticam praeparationem, qua fidelium mentes et corda ad Deum, quodam modo, adliciuntur antequam ad propriam et essentialem partem Missae perveniant, nemo est qui non videt.

Quapropter, fas mihi sit dicere quod parum consentaneum videretur — ut ita dicam — si, Liturgia verbi completa, nihil, aut fere nihil, amplius fieret quo fideles ad devotam intelligentiam illius praestantissimae partis Missae, quae est proprium Sacrificium eucharisticum, quodam saltem modo adduci possent.

Longe sit a me ullo modo significare Mysterium Sacrificii Missae ita clare explicari posse ut nihil mysteriosum in eo remaneat.

Attamen, experientia constat, praesertim in locis Missionum, quam valde difficile sit fidelibus nostris naturam incruenti Missae sacrificii sufficienter intelligere, quod tam longe diversum est a visibilibus sacrificiis quibus antea soliti fuerunt. Et — rev.mi Patres mihi ignoscere dignentur, si ignoranter dico — aliquando mihi dubium est an, etiam in illis orbis partibus quae christianae censentur, omnes fideles veram sacrificii Missae naturam rite intelligant.

Verumtamen, quis non videt vitam liturgicam fidelium truncatam esse tamdiu intelligenti participationi in sacrificii Missae celebratione alieni remanent.

Nobis videtur quod actuosa participatio in sacrificio eucharistico facilius foveretur si saltem clarior distinctio inter Liturgiam verbi et Sacrificium proprie dictum introduci posset, ita ut, exempli gratia, celebrans, sola alba cum stola indutus, Liturgiam verbi, versus populum, prius conducere posset. Qua completa, initium sacrificii proprie dicti fidelibus annuntiaret, et, casulam necnon manipulum induens, ad altare progrederetur, et statim ab offertorio inciperet.

Hic agendi modus nullo modo intrinsecam unionem disrumpere posset, de qua in art. 43 agitur.

Forsitan quoque, animi fidelium melius attenti fierent, si quaedam canonis partes alta voce a celebrante recitari possent, ut feliciter, in hac ipsa basilica, nuper experti sumus, quando nobis fautum fuit Missae in ritu ambrosiano celebratae interesse.

Parcant periti si minus sapiens dico! Ut pastor animarum loquor, longo desiderio aestuans si quomodo tandem nobis animarum pastoribus donetur ut fidelibus nostris illam vividam et actuosam Mediationis Christi intelligentiam iniicere possimus, quae totius vitae christianae fons est et adiumentum, et sine qua sola corporalis assistentia Sacrificio Missae tam parum animabus prodest.

Humiliter dico. Velim ut una saltem oratio ex Canone Missae deprompta in lingua vernacula, et quidem alta voce, a sacerdote recitari possit, nempe illa praestantissima oratio, quae immediate ante orationem dominicam ponitur: « Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivi-

ficas, benedicis et praestas nobis. Per ipsum et cum ipso et in ipso est Tibi, Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria per omnia saecula saeculorum. Amen ».

In hac enim oratione tota doctrina Mediationis Christi continetur. Ex una parte, nos omnia bona a Deo Patre omnipotente, per Iesum Christum, Salvatorem nostrum, recipere confitemur; et, iterum, per Ipsum Christum, pro nobis crucifixum, ad Deum Patrem omnipotentem gratiarum actiones et laudes nostras reddimus. Hic clare demonstratur cur Sacrificium Missae totius vitae humanae centrum esse oporteat, quia in eo ima summis, homo Patri omnipotenti, per Iesum Christum Redemptorem nostrum, reapse coniunguntur.

Multi fideles, non solum in Missionum regionibus, sed etiam in aliis orbis partibus, missalibus completis indigent.

66

Exc.mus P. D. PETRUS PARENTE

Archiepiscopus tit. Ptolemaidensis in Thebaide

Introductio Mysterium Eucharisticum non apte exhibere mihi videtur. Permixte enim ac vago modo illius Mysterii naturam et adspectus tangit, neque satis in luce ponit eius characterem sacrificalem ex Crucis sacrificio derivatum, uti par esset.

Character convivalis potius premitur, qui hodie ab aliquibus praefertur, sed immerito, attenta praesertim doctrina S. Pauli. Itaque primam pericopem sic emendandam propono, iuxta traditionalem theologiam:

« Salvator noster, in coena novissima, qua nocte tradebatur, Sacrificium Eucharisticum Corporis et Sanguinis sui instituit, quo Sacrificium Crucis in saecula mystice perennaret per Apostolos eorumque successores; et Ecclesiae suae dilectae Sponsae memoriale concrederet mortis ac resurrectionis suae, magnum sacramentum pietatis ac unitatis, convivium paschale, fons gratiae ac pignus futurae gloriae ».

Hunc characterem sacrificalem negligere viam aperit Mysterio Crucis evacuando.

N. 42: *Communio sub utraque specie*: res in ritu latino maneat sicut a saeculis est. Nullam rationem immutationis video, immo e contrario.

N. 44 ss.: Praeter morem iam vigentem, concelebrationem extendere mihi inopportunum videtur. Nihilominus, si in specialissimis circumstantiis Concilium illam extensionem concedere voluerit, enixe rogo ut caute perpendantur propositae aptationes, praesertim n. 46 *a*), ubi legimus: « Ut concelebrantes, oblatione peracta, stent circa altare, vestibus sacerdotalibus aut saltem alba et stola induti ».

Iamvero animadvertendum est non satis esse statuere ut concelebrantes « stent circa altare », sed explicite dicendum est eosdem teneri obligatione

verba Consecrationis proferendi una simul cum principali celebrante. Eo vel magis quod, ut notum est, hodie non pauci sunt fautores concelebrationis, qui autumant prolationem verborum Consecrationis necessariam non esse nisi pro celebrante principali, cui intentionaliter adhaerent ceteri, etsi silentes.

Anno 1957 in *A.A.S.* (vol. 49, pag. 320) editum fuit *Decretum S. Officii* a Summo Pontifice adprobatum, cuius tenor hic est: « *Dubium.* An plures sacerdotes valide Missae sacrificium concelebrent si unus tantum eorum verba Domini " Hoc est enim Corpus meum " et " Hic est enim Calix Sanguinis mei... " super panem et vinum proferat, ceteri vero verba Domini non proferant, sed, celebrante sciente et consentiente, intentionem habeant et manifestent sua faciendi verba et actiones eiusdem ». Et responsum fuit: Negative, nam ex institutione Christi, ille solus valide celebrat qui verba consecratoria pronuntiat.

Hoc Decretum, in traditione liturgica et theologica bene fundatum, praeteriri nequit tum quia gravia supponit principia doctrinalia, tum quia non minus gravia importat consectaria, etiam in ordine practico, utpote ad taxam Missae quod attinet.

Prae ceteris hoc principium omnino tenendum est: Minister altaris, agens in Persona Christi (S. Thomas), Sacrificium non conficit nisi dicat et faciat quod Christus dixit et fecit.

67

EXC.MUS P. D. CAROLUS PARTELI
Episcopus Tacuarembianus

Aestimo quod in art. 39 post verbum « homilia » ponatur: « aut catechesis ». Ratio: In multis Constitutionibus synodalibus determinatur obligatio praedicandi in omnibus missis dominicalibus, secundum schema doctrinale quatuor aut quinque annorum. Haec catechesis est « homilia »?

Ne oriatur postea difficultas interpretandi verbum « homilia », puto quod conveniens est determinare bene suam significationem.

68

EXC.MUS P. D. IOANNES PEREIRA VENANCIO
Episcopus Leiriensis

Velim aliquid dicere de schemate constitutionis Liturgiae, n. 46, litt. *c*).

Mihi revera non placet aptatio proposta de concelebrantibus: scil. *ut communicare possint sub utraque specie.*

Ob difficultates enim quas praevideo practicas, mihi sane videtur melius

esse huiusmodi aptationem auferre, vel potius clare edicere: *Ut communicare debeant sub specie dumtaxat panis.* Qui usus, de cetero, etiam servatur in presbyterorum sacra ordinatione.

Difficultates vero quas praevideo ex eo oriri videntur quod in hypothesi usus unius tantum calicis timendum videtur periculum, non sane despiciendum, morborum contagionis vel saltem nausea possunt concelebrantes affici.

Quodsi pluribus utentur calicibus — quod minus congruum apparet ad unitatem Sacrificii significandam — difficultas forte oriri potest (saltem si plurimi numero sint calices — quod in magnis concelebrationibus accidere potest) — difficultas, dico, forte oriri potest de loco apto ad eiusmodi calices deponendos.

Demisse, ergo, emendationem aptationis sub litt. c), n. 46, ita proponere audeo: « N. 46, *c*): *Ut communicent sub specie dumtaxat panis* ».

69

EXC.MUS P. D. PAULUS PHILIPPE
Archiepiscopus tit. Heracleopolitanus

I. Pag. 175, *prooemium capituli.* In paragrapho prima oportet omnino ut melius declaretur natura sacrificalis Mysterii Eucharistiae. Cur non reassumantur aurea verba Concilii Tridentini (sess. XXII, cap. I)?

Consequenter, in paragrapho secunda, ubi de participatione fidelium agitur, oportet primum loqui de eorum oblatione una cum sacerdote, ac deinde de eorum participatione « mensae cum verbi tum Corporis Domini ».

II. *De concelebratione sacramentali.* Mihi placet quod facultas concelebrationis sacramentalis extendatur in Ecclesia latina ad Missam Chrismatis feria V in Coena Domini, sicut v. g. ad Missam celebratam ab episcopo in Synodo dioecesana vel in occasione visitationis pastoralis, aut exercitiorum spiritualium sacerdotum dioeceseos, quia sic manifestatur unio sacerdotum cum episcopo in unico Sacerdotio Christi.

At haec ratio non valet pro extensione concelebrationis ad quotidianam Missam conventualem religiosorum, quam quidam Patres conciliares postulaverunt.

Etenim, unio plurium sacerdotum concelebrantium non est nisi consequentia unionis uniuscuiusque sacerdotis cum ipso Christo Sacerdote, cuius in Missa personam gerit. Nam sacerdos, ut ait Pius Pp. XII in Litteris Encyclicis « Mediator Dei », « ob consecrationem quam accepit Summo Sacerdoti assimilatur, ac potestate fruitur operandi virtute ac persona ipsius Christi. Quamobrem actione sua sacerdotali Christo quodammodo linguam suam commodat, manum porrigit » (*A.A.S.* 1947, pag. 518).

Atqui, actio Christi seipsum sacrificantis et offerentis mediante actione sacramentali, multo expressius manifestatur in Missa ab uno sacerdote cele-

brata quam in Missa concelebrata, atque melius percipitur cum ab ipso celebrante tum a fidelibus, qui vident in hoc unico sacerdote « imaginem Christi » Sacerdotis (cf. S. Thomas Aq., III, q. 83, a. 1, ad 3).

Huic autem doctrinae innititur principaliter spiritualitas sacerdotalis, ac ea nutritur devotio eucharistica sacerdotum. Nunc vero, si multi sacerdotes habitualiter concelebrarent, timendum esset ne paulatim minus conciperent se esse « alter Christus », neve apud eos deflueret pietas eucharistica. In hoc autem periculum venirent praesertim religiosi quotidie concelebrantes.

Sane, dictum est libertatem celebrationis individualis servandam esse, sed reapse instantia superiorum et confratrum necnon difficultates externae ac vis consuetudinis illam libertatem impedient.

Insuper concelebratio nimis frequens vel quotidiana inducere potest quemdam despectum Missae sic dictae « privatae », dum omnis Missa, secundum doctrinam Tridentinae Synodi, vere communis est, cum a publico Ecclesiae ministro pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebretur.

Demum revocanda est illa doctrina de fructibus Missae quam exponebat Pius Pp. XII (cf. *A.A.S.,* 1954, II, pag. 669). Nempe in hac re, non est considerandus tantum fructus qui ex devota ac fraterna celebratione producitur, sed imprimis natura actionis quae peragitur, scilicet sacrificium sacramentale Christi. Porro, fructus obiectivus sacrificii Missae, videlicet placationis et impetrationis pro vivis ac defunctis, est fructus principalis, quippe qui non aequaliter habetur in una Missa concelebrata sicut et in pluribus Missis a pluribus sacerdotibus celebratis. Si ergo usus concelebrationis frequentis diffunditur, timendum est ne illa recta doctrina offuscetur, neve fideles non amplius curent ut Missae multae pro vivis et defunctis celebrentur.

Propterea, pro extensione concelebrationis, ne admittatur ut ratio vel criterium commoditas practica, sed tantum manifestatio quandoque opportuna unitatis sacerdotii, per concelebrationem cum episcopo aut superiore religioso.

Igitur propono ut extensio concelebrationis sequenti modo determinetur:

1) Nunquam permittatur nisi cum episcopo aut cum superiore religioso.

2) In sequentibus casibus fieri potest: in Missa Chrismatis feria V in Coena Domini; in occasione Synodi dioecesanae, vel Visitationis pastoralis; in conventibus sacerdotum, uti sunt exercitia spiritualia, cursus studiorum, peregrinationes; in domibus religiosorum, in Missa solemni feria V in Coena Domini, in occasione Capituli generalis et provincialis, vel Visitationis superioris maioris, vel intronizationis abbatis.

70

REV.MUS P. D. IOANNES PROU

Superior generalis Congregationis Gallicae O.S.B.

Art. 41, linea 7, in fine articuli post verba *huius constitutionis,* addatur: *dummodo saltem « Ordinarium missae » lingua latina cantetur.*

Ratio additionis: Si cantus « Ordinarii missae » in vernaculo indulgetur, fideles ritus latini, Romae vel Lapurdi vel in quocumque Congressu Eucharistico vel Mariano adunati, ne Symbolum quidem fidei communis « Credo », una voce unanimiterque cantare iam poterunt.

Secunda ratio est unitas Ecclesiae omnimode fovenda. Si vero « Ordinarium missae » lingua vernacula cantetur, ipso facto abrogantur rarissima vestigia unitatis quae adhuc superstant inter Ecclesiam graecam et latinam, cum precatio Kyrie eleison in Ecclesiis ritus romani non amplius audiretur.

Art. 44, lin. 21, post § *a*) legatur:

b) Ad missam conventualem et ad missam principalem in ecclesiis ubi plures sacerdotes adsunt, quorum singularis celebratio ad utilitatem fidelium non requiritur, salva semper cuiusque sacerdotis libertate singulariter celebrandi, non tamen in eadem ecclesia eodemque tempore.

c) Ad conventus sacerdotum, ubi singulae missae sine incommodo celebrari nequeunt.

d) Ad extraordinarias celebrationes festivas, exempli gr. occasione Synodi dioecesanae, vel Visitationis pastoralis.

Rationes huius additionis: Vera et sacramentalis concelebratio eumdem valorem cultualem eamdemque efficaciam possidet quam missae singulariter celebratae ab iisdes sacerdotibus. Textus enim Pii XII de maiore valore centum missarum relate ad unam missam cui centum sacerdotes tantummodo assistunt non valet nisi de concelebratione impropria seu mere liturgica et non sacramentali de qua loquebatur Summus Pontifex. Valor cultualis etenim ponderatur non ex actu I. C. causae principalis missae, qui actus unicus fuit, sed ex actibus sacerdotum qui causae instrumentalis gratia sacrificium offerunt.

Secunda ratio est quod missa concelebrata ab omnibus membris communitatis melius praebet symbolum unitatis sacrificii et Ecclesiae cum Christo sese offerentis.

Insuper concelebratio sacramentalis in ritu romano saepius concessa unitati faveret cum fratribus rituum orientalium.

71

EXC.MUS P. D. GILBERTUS RAMANANTOANINA
Archiepiscopus Fianarantsoaënsis

Ad n. 44: Episcopi continentis Africae, Madagascar et insularum gaudent de extensione usus concelebrationis atque rationes a Sancto Thoma in notis expressas unanimiter approbant, nempe quod in concelebratione melius demonstratur Unitas Ecclesiae, Unitas Sacerdotii in persona Christi et significatur Eucharistia sacramentum Unitatis; gaudentque non minus iidem episcopi quod Oriens christianus tam fideliter et tam feliciter primaevam traditionem concelebrationis conservaverit.

Tandem desiderant restrictionem sub littera *b*) allatam deleri, ita ut concelebratio pro conventibus sacerdotum iudicio Ordinarii simpliciter relinquatur; et sic textus erit: *b*) ad conventus sacerdotum, de iudicio Ordinarii.

72

EXC.MUS P. D. HILARIUS ROATTA
Episcopus S. Agathae Gothorum

In cap. II, ad n. 43. Scripto propono praeceptum generale Ecclesiae de « Missa audienda diebus festis » ita modificandum: « Omni die dominica et festo de praecepto Missae integrae participare, verbum Dei audiendo et Sacrificium offerendo ». Ratio est: 1) necessitas extrema fidelium cognoscendi doctrinam D. N. I. C. ut possint credere, christiane vivere et salvi fieri; 2) necessitas corrigendi mentalitatem relaxatam a moralistis inductam in tam gravi argumento qui ad salutem animarum essentiale est.

73

EXC.MUS P. D. ZACHARIAS ROLIM DE MOURA
Episcopus Cajazeirasensis

1. N. 39, cap. II schematis *de sacra Liturgia,* secundum animadversiones quae sequuntur, emendandus videtur:

Ad ignorantiam in rebus fidei et morum e populo christiano extirpandam, censeo non tantum commendandum esse sed obligandum ut homilia fiat, in omnibus Missis, diebus dominicis et festis de praecepto, concurrente populo, celebrandis.

Insuper, cum Missa, in hodiernis adiunctis, plurimis fidelibus sit, proh dolor, unica occasio verbi Dei audiendi, etiam post homiliam, quae brevis sit oportet, facienda videtur illa adultorum catechesis, de qua canon 1332.

Agitur enim de gravissimo officio pastorum animarum, qui fidelium numerum quam maximum sua praedicatione attingere debent.

2. N. 42, in pag. 176, hoc modo scribatur: « Communio sub utraque specie, sublato fidei periculo, in Missa sacrae ordinationis, tum ordinandis in maioribus tum in minoribus, iudicio episcoporum, concedi potest ».

Rationibus iam expositis, meum proprium testimonium adiicio. Propter exiguum numerum sacerdotum, parochus semper fui et sum neque convenientiam pastoralem sacrae communionis sub utraque specie fidelibus distribuendae unquam sentii. Fideles eam a me nunquam petierunt. Problema non exsistit, nisi creetur. Ecclesia multa habet facienda pro magnis multitudinibus quae ab ea salutem aeternam sperant.

3. De ieiunio eucharistico, rogo a Sacro Concilio ut nulla amplius restrictio sit, sive quoad horam sive quoad naturam cibi et potus, tam pro Missam celebrantibus quam pro sacram communionem sumentibus, praeter illam de potu alcoholico.

Etiam de hora sanctae Missae celebrandae et sacrae communionis faciendae nulla amplius determinatio exsistat, etiam quoad horas nocturnas, si aliqua sit ratio pastoralis.

Ratio disciplinae vigentis mutandae ea est ut et sacerdotibus et fidelibus Missa et communio faciliores reddantur, speciatim in missionibus sic dictis popularibus et in visitationibus pastoralibus.

74

Exc.mus P. D. FERDINANDUS ROMO GUTIERREZ
Episcopus Torreonensis

Cum in schemate nihil inveniatur de administratione SS. Eucharistiae quae fidelibus hucusque extra Missae celebrationem permittitur, et tantummodo a sacerdote vel diacono administrata, haec ante Patres Conciliares proponuntur, quae certo certius in votis sunt plurimorum episcoporum qui, in dioecesibus inopia sacerdotum affectis, pro salute animarum adlaborant: « Concedatur episcopis facultas permittendi *sacram Communionem propria manu sibi administrandam* iis fidelibus qui vel ex voto religioso impediuntur e domo egredi, vel ex munere a competenti auctoritate commisso, ad opera apostolatus collegialiter dedicantur, in regionibus ubi saltem per hebdomadam nulla praevideatur possibilitas accedendi sine gravi incommodo ad sacerdotem et dummodo constet illos servaturos omnia quae ad reverentiam in tantum Sacramentum requirantur ».

Quae, momento opportuno a secretaria generali Concilii determinando, si eis concedatur locus, ante Patres Concilii quaeso proponantur.

Si interventus personalis necessarius sit, breviter Patribus explicabo; sin autem minus opportuna videantur, scripta maneant.

75

Exc.mus P. D. ALEXANDER SCANDAR
Episcopus Lycopolitanus

Quasdam habeo animadversiones circa cap. II huius schematis quod mihi valde placet utpote magis consonat antiquae traditioni et usibus in Ecclesia nostra Alexandrina (filia Romae) adhuc vigentibus.

In primis, quoad lectiones in Missa ad n. 38 optimum duco id quod proponitur ut ordo lectionum ita in Ecclesia Latina reformetur, ut praestantior pars scripturarum sanctarum populo, decursu plurium annorum, perlegatur. Etenim in ritu nostro coptico, multae fiunt lectiones tam in Missa quam in aliis officiis et in sacramentorum administratione. In Missa solemni, praeter Evangelium, habentur tres aliae lectiones ex Novo Testamento: prima ex Epistolis Paulinis, altera ex Epistolis Catholicis et tertia ex Actibus Apostolorum. In Officio Thuris tam vespertino quam matutino legitur Evangelium. Tempore Quadragesimali leguntur perplurimae prophetiae, hebdomada sancta multae prophetiae et Evangelia leguntur. Fideles nostri libenter audiunt lectiones eorumque interpretationes quae in ipsis libris liturgicis inveniuntur. Hoc modo et his mediis fides roboratur. Et si hodie habentur in Aegypto circa quinque milliones christianorum, non obstantibus persecutionibus omnis generis, decursu saeculorum habitis, hoc maxima ex parte debetur instructionibus ab ipso ritu liturgico exhibitis.

Secundum: Quae de homilia dicuntur ad n. 39, iam plures Patres proposuerunt ut homilia non tantum commendetur, sed praescribatur diebus dominicis et festis de praecepto. Homilia apud nos est pars integrans ipsius Liturgiae Eucharisticae. Saepe saepius leguntur homiliae Sanctorum Patrum in lingua vernaculari, ita Ecclesia haec conservat verba Christi qui dicit: « Homo enim non vivit ex solo pane sed ex verbo Dei ».

Deinde oratio communis liturgica sequitur lectionem Sancti Evangelii in Ordinario Missae. Sacerdos, diaconus et fideles partem activam habent in his orationibus: pro pace et unitate Ecclesiae, pro Papa omnibusque Pastoribus, pro fidelibus eorumque communitatibus in toto orbe terrarum. Post Consecrationem panis et vini, resumitur etiam oratio communis pro variis necessitatibus, tam spiritualibus quam materialibus. Proinde optime proponitur in n. 40 ut redintegretur in ritu latino oratio communis post Evangelium.

Communio sub utraque specie desueta est apud nos certo quodam tempore sub fine saeculi elapsi et initio nostri saeculi, sed his ultimis annis magis in die resumitur usus antiquus communionis sub utraque specie, qui usus semper conservatus est apud nostros fratres Coptos separatos, et magis cohaeret praecepto Christi: « Manducate... et bibite... ». Tandem, concelebratio stricto sensu, prout apud Byzantinos in usum venit, non agnoscitur

nec admittitur in ritu Alexandrino. Utique habetur sacerdos assistens cui tribuuntur variae functiones et orationes in Missa, sed verba consecratoria nonnisi ab uno et unico celebrante proferuntur, et etiam in Missa ordinationis sacerdotalis vel consecrationis episcopalis. Hic est genuinus usus Ecclesiae Alexandrinae qui usus optime conservatur apud dissidentes fratres qui nullum influxum nec latinum nec byzantinum passi sunt. Proinde non puto haberi valide rationes ad introducendam hanc innovationem in ritu latino, nisi forte et caute in monasteriis et in casibus bene et taxative determinatis.

76

Exc.mus P. D. IOANNES B. SCAPINELLI DI LEGUIGNO

Archiepiscopus tit. Laodicensis ad Libanum

N. 42, pag. 176, linn. 8-11: « *Communio sub utraque specie...* ». Censeo non expedire, ut communio sub utraque specie etiam laicis concedatur, firmo manente articulo fidei de praesentia Christi sub specie panis. Hac in re consuetudo, quae in Ecclesia romana per tot saecula vigebat et nunc viget, sine gravi ratione et necessitate, mutari non debet neque expedit.

N. 44, pag. 176, linn. 19-20: emendentur atque reformentur, ne concelebrationi Ecclesiae rituum orientalium praeiudicium afferatur. Quapropter, statim post verbum « concelebrandi » addantur verba « *iuxta ritum latinum* » vel « *in ritu latino* ».

N. 46, pag. 176, lin. 31, sub *a*): Verba « ... *aut saltem alba et stola...* » auferri possunt.

N. 46, pag. 177, lin. 1, sub *b*): « ut minuatur numerus precum... », at, quaeritur, quarumnam precum, in concreto?

N. 46, pag. 177, linn. 4-5, sub *d*): « ut solus celebrans principalis gestus faciat et benedicat ». Non videtur ratio, quare tantum celebrans principalis possit gestus facere et praesertim benedicere. Decet potius, ut omnes concelebrantes insimul id faciant.

77

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ŠEPER

Archiepiscopus Zagrabiensis

Pauca verba dicere vellem de duobus punctis in cap. II schematis *de sacra Liturgia* contentis. Cum res sint in Liturgia latina aliquomodo exorbitantes et a praxi plurisaeculari discrepantes, necesse videtur ut ipsum Concilium Oecumenicum de iis sese pronuntiet, serio et tranquillo modo perpensis argumentis quae pro illis militare videntur.

I - *Communio sub utraque specie* (n. 42).

Uti patet, quaestio non est nec esse potest de quotidiana vel crebra distributione s. Communionis sub utraque specie. Praecise ob praxim crebrae et quotidianae Communionis praeferenda est omnino Communio sub specie panis tantum.

Id quod proponitur est de Communione sub utraque in *aliquibus specialibus occasionibus* vel, uti in schemate dicitur « pro certis casibus a S. Sede bene determinatis ». In schemate unus casus adducitur, i. e. in ordinatione sacerdotali, sed alii casus non excluduntur, cum dicatur talem Communionem concedi posse « tum clericis et religiosis, tum laicis ». Id fieri posset v. g. in Missa pro sponsis, in solemni professione religiosorum, in prima Communione adulti neobaptizati, in concelebratione sacramentali (si introducatur). Rationes sunt hae:

1) ita melius videtur adimpleri praeceptum Domini: « *Bibite* ex hoc *omnes* » (*Mt.* 26, 27). De facto nunc solus sacerdos participat de calice, quamvis etiam omnes fideles Sanguinem quoque Christi sub specie panis accipiant;

2) magis appropinquamus non solum catholicis orientalibus, sed etiam christianis acatholicis; unum ex obstaculis vel differentiis pro unione e medio tollitur. Nec hodie iam timenda sunt mala ob quae, suo tempore, Ecclesia sese « utraquistis » opposuit;

3) talis Communio in occasionibus solemnibus, in specie determinandis, multum conferet ad augendam devotionem fidelium erga Pretiosissimum Sanguinem Christi, quam devotionem Summus Pontifex Ioannes XXIII valde urget.

II - *Concelebratio in Ecclesia latina* (nn. 44-46).

In Ecclesia orientali concelebratio sacramentalis iugiter viget. Adsunt seriae rationes ut concelebratio etiam in Ecclesia latina introducatur, vel denuo introducatur.

Usus quotidianus celebrationis Missae, qui pro vita spirituali sacerdotis magna emolumenta praebet, saepe, ubi multi sacerdotes simul adsunt, varias difficultates creat, ita ut sacerdotes hoc « mysterium tremendum » et angelicam potestatem superans, celeriter, diffuso spiritu, aliquando sine ministro, « mechanice » peragere debeant. Hoc fit v. g. occasione conventuum eucharisticorum, exercitiorum spiritualium, peregrinationum atque in conventibus et collegiis ubi multi (aliquando usque centum) sacerdotes adsunt. Ut omnibus occasio detur celebrandi, aliquando collocari debet fere infinitus numerus altarium (e. g. in « Mondo migliore » in Rocca di Papa, et in cryptis monasteriorum vel collegiorum), ubi eodem tempore 20-30 sacerdotes, unus iuxta alium, unus celerius, alter lentius celebrant. Vel plures sacerdotes a celebrando abstinere coacti sunt.

Nonne decentius atque devotius esset, si v. g. 5-10 sacerdotes, unum altare circumstantes, simul celebrare possent?

Praeter casus n. 44 adductos addendum propono: *c*) occasione synodi

dioecesanae (ut manifestetur coniunctio inter episcopum eiusque sacerdotes); *d*) in domibus religiosis et collegiis, ubi maior numerus sacerdotum adest, si ad decentem celebrationem singulorum aliter provideri non potest, iudicio Ordinarii vel Superioris.

78

REV.MUS P. D. AUGUSTINUS SÉPINSKI
Minister generalis O.F.M.

Placet caput generatim loquendo, quia diversis propensionibus, scilicet traditionali, liturgicae et pastorali satisfacere videtur; ratio habeatur animadversionum, quae sequuntur:

Ad pag. 175, lin. 5: proponerem: « fons et *symbolum* ».

Ad pag. 175, linn. 14-15: dicerem: « ut Sacrificio Missae, etiam in forma rituali, pastoralem efficacitatem *adaugeat* ».

Ad pag. 175, linn. 17-20: textus nimis generalis esse videtur. Proponerem hunc textum: « [Ordo Missae recognoscendus]. Ordo Missae ita recognoscatur, ut clarius percipiatur et actuosam participationem faciliorem reddat ».

Ad pag. 176, lin. 5: loco verborum « imprimis autem » dicerem « verbi gratia ».

Ad pag. 176, pro n. 42, linn. 8-11 sequentem textum proponerem: « Communio sub utraque specie conceditur

1) in Missis sacrae ordinationis, iudicio episcopi ordinantis, tum clericis tum fratribus laicis;

2) in Missa benedictionis abbatis et professionis religiosae perpetuae, iudicio proprii Ordinarii, tum clericis tum fratribus laicis; pro professione perpetua religiosarum tum sororibus tum monialibus;

3) in Missa pro sponsis, tum sponso tum sponsae, si id desiderant;

4) in baptismate adulti et in receptione neoconversi.

Insuper committitur prudentiae parochi administrandi sacram synaxim sub sola specie vini, si infirmus hostiam consecratam recipere non valet ».

Pag. 176, linn. 18-23: n. 44 sic redigatur: [*Usus amplificetur*]. Concelebratio tam in Ecclesia orientali quam in occidentali in usu hucusque remansit. Concilio facultatem concelebrandi ad sequentes casus extendere placet:

a) ad Missam chrismatis, feria V in Coena Domini, necnon ad Missam vespertinam eiusdem feriae;

b) ad conventus sacerdotum, de iudicio proprii Ordinarii.

Has propositiones submisse adiungere velim:

1) numerus praefationum augeatur;

2) finiatur Missa cum Benedictione sacerdotis et verbis « Ite, Missa est ». Evangelium prologi S. Ioannis recitetur a sacerdote in regressu ad sacristiam. Omittantur preces leonianae.

79

Exc.mus P. D. PETRUS SFAIR
Archiepiscopus Nisibenus Maronitarum

De hac re dico tantum quod nostris temporibus numerus communicantium exigit simplificationem. Sed communio sub utraque specie quomodocumque introducatur, numquam fieri potest simplicior et citior communione actuali sub una specie. Quoad autem eius usum in quibusdam circumstantiis, adhaereo iis quae dixit « Vox clamantis » ex monasteriis Benedictinorum.

Concelebratio. Facultas concelebrandi non videtur amplianda. Etenim merita et favores spirituales quae fidelis adipiscitur per assistentiam ad Missam concelebratam a decem sacerdotibus eadem sunt ac merita et favores quae sibi adipiscitur assistendo ad Missam celebratam ab uno tantum sacerdote. Concelebratio igitur minuit haec merita inter fideles.

Ulterius, fructus Missae de quibus mentio est apud Patres et enumerantur a Ven. Beda, producuntur iidem in decem Missis celebratis separatim et in una Missa concelebrata simul a decem sacerdotibus. At fideles, etiam non illiterati et qui nullimode dubitant de validitate aut de licentia Missae concelebratae, difficulter hoc intelligunt. Sunt inter eos qui quaerunt utrum Missa concelebrantis qui recepit eleemosynam sit omnino et undequaque aequalis, quoad profectus salutares et utilitates spirituales, Missae celebratae ab uno tantum sacerdote. Nunc autem propter diffusionem cultus eucharistici, necessaria videtur concelebratio in Sanctuariis magni nominis ut Lourdes et in Congressibus eucharisticis internationalibus.

Semper vero vitandi abusus. Sunt revera regiones in quibus stabilita fuit concelebratio cum limitationibus et sub conditionibus ita necessariis ut concelebrans amitteret ius ad eleemosynam recipiendam si eas non impleret. At statim irrepsit abusus quatenus limitationes evanuerunt atque conditiones obliteratae sunt.

80

Rev.mus P. D. GABRIEL SORTAIS
Abbas generalis O.C.R.

Canon 44. Placet iuxta modum. Loco textus, qui nunc habetur, legatur:

a) ad Missam Chrismatis, feria V in Coena Domini;

b) ad Missam conventualem et ad Missam principalem in ecclesiis ubi plures sacerdotes adsunt, quorum singularis celebratio ad utilitatem fidelium non requiritur, salva semper cuiusque sacerdotis libertate individualiter celebrandi, non tamen in eadem ecclesia eodemque tempore;

c) ad conventus sacerdotum, ubi singulae Missae sine incommodo celebrari nequeunt;

d) ad extraordinarias celebrationes festivas (occasione synodi dioecesanae, visitationis pastoralis, etc. ...).

81

Exc.mus P. D. IOSEPH SOUTO VIZOSO
Episcopus Palentinus

1. Ad n. 37, in pag. 175, *de ordinis Missae instauratione.* Toto corde adhaereo votis quorundam Patrum sive de mentione universali « omnium hominum » in oblatione hostiae; sive de invocatione S.ti Ioseph, saltem in oratione « Communicantes », immediate post mentionem beatissimae Virginis Mariae; sive de Missa finienda, saltem diebus festis, statim post benedictionem sacerdotis celebrantis; sive etiam de praeparatione peculiarium formularum Missae pro quibusdam adiunctis, exempli gratia, in ordinatione sacerdotum, in Congressibus aliisque coetibus finalitatis apostolicae.

Speciatim vero propono ut peculiaris Praefatio conficiatur pro Missa de Sanctissimo Sacramento; nunc enim, ut notum est, praefatio communis in ea adhibetur.

2. Ad n. 38, in eadem pag., *de lectionibus in Missa.* Ut thesauri biblici magis aperiantur fidelibus, opportuna mihi videtur restauratio pristini moris, iuxta quam in Missa, in liturgia verbi, tres lectiones Sacrae Scripturae legebantur aut cantabantur, nempe prima ex Veteri Testamento, secunda ex Epistolis Apostolicis, tertia ex Sancto Evangelio.

3. Ad n. 39, in eadem pag., circa *Homiliam.* Ne cui forte suspicio oriatur de suppressione aut attenuatione obligationis Homiliae faciendae in posterum, expedire censeo anteponere verbum *praecepta* ad verbum *homilia.* Commendari autem iuvat mandatum Concilii Tridentini, in cap. VIII, sess. XXII, de « frequenti explicatione, inter Missarum celebrationem, mysterii augusti sacrificii ex his quae in Missa leguntur ». Ita quidem magis conscia et actuosa efficeretur fidelium participatio.

4. Ad n. 43, in pag. 176. Verbum « intrinsece », in lin. 14 positum, *minus aptum* apparet, ideoque vel excludendum vel aptiori vocabulo substituendum videtur.

5. Ad eundem n. 43, in eadem pag., *de praecepto Missae festivae.* Proponere audeo, immo et enixe rogo, ut aliquatenus immutetur lex ieiunii eucharistici in favorem sacerdotum qui diebus dominicis et festis de praecepto bis aut etiam ter litare debent in distinctis paroeciis sibi commissis: nempe ut liquidum non alcoholicum sumere possint *una hora* ante subsequentem propriam communionem, ita ut hora praescripta ieiunii non usque ad initium Missae secundae aut tertiae computetur, sed protrahatur ad prae-

visum tempus propriae communionis, sicut pro fidelibus communicaturis supputatur.

Ratio est quia plures paroeciarum curatores, praesertim in locis ruralibus et montanis tempore hiemali, magna frigiditate affecti, ex pluvia, nive et aëris temperie, multoties novam Missam incipere tenentur antequam hora integra discurrerit a fine Missae praecedentis; itaque adhuc ieiuni et celebrare et praedicare Homiliam debent.

Porro his in casibus aliisque similibus, multum proficeret sumptio alicuius liquidi calidi, quo valde denuo litaturi dupliciter reficerentur. Cuius quidem exceptionis absque dubio, meo iudicio, digni sunt aestimandi.

82

Exc.mus P. D. CONSTANTINUS STELLA
Archiepiscopus Aquilanus

Opportunitas vel necessitas inserendi instructionem catecheticam in homilia dierum dom. vel de praecepto.

Factum. Experientia teste, multis in locis fit ut fideles, in diebus dominicis et festivis de praecepto, semel tantum ecclesiam adeant ad Missam audiendam. Ideo animarum Pastores in angustiis versantur propter difficultatem tradendi, praesertim adultioribus, instructionem catecheticam de rebus fidei et morum. Etc.

Causae. Causae vel occasiones principales quibus homines nostri temporis facile ecclesiam deserunt diebus festivis sunt: opportunitas et facilitas itinerandi, variis locomotionis mediis, se recreandi causa; ludi sportivi in stadiis quorum magna frequentia necessitas videtur multis; congressus innumeri de variis rebus, ut puta de artibus, de musica et similibus, quae omnia in diebus ferialibus obtineri difficilius possunt ratione occupationum in laboribus et officiis. Etc.

Remedia. Ergo ad completam institutionem fidelibus tradendam, non solum in re liturgica stricte dicta, sed etiam in doctrina theologica et morali, videtur opportunum et forsan necessarium in homilia Missae inserere breves et claras lectiones systematice explanandas ad instructionem catecheticam completam fidelium, qui, secus, non amplius visionem universam catholicae doctrinae acquirere possent, ut lacrimabilis experientia edocet.

Id eo vel magis opportunum (saltem quibusdam in locis) videtur, quod fere semper evangelica lectio dominicae quamdam relationem praebet vel praebere potest vel ad aperiendam vel ad efficaciter concludendam lectionem de variis fidei et morum argumentis dilucidandis. Etc.

83

Exc.mus P. D. OCTAVIUS TERRIENNE
Episcopus tit. Menelaitensis

Après une consultation qui me confirme dans l'opinion qu'il peut ne pas être inutile de répéter des suggestions déjà faites au cours des sessions générales, je me permets d'exprimer humblement mes désirs au sujet de la récitation du Bréviaire et de la célébration de la Messe.

Je sais bien que ce dernier point ne concerne pas directement la Liturgie mais il a été abordé dans les sessions; d'ailleurs il ne me semble pas qu'il puisse y avoir une meilleure occasion d'en parler d'après le plan des schémas proposés: permettez-moi donc d'en dire un petit mot ici.

Bréviaire. A) Pour favoriser la piété et la vie intérieure de ceux qui sont tenus a la récitation du Bréviaire, j'oserais demander humblement:

1) que la longueur de l'office *ne dépasse pas une heure* de récitation posée, non précipitée (il y a déjà pour beaucoup souvent ½ h. ou 1 h. de méditation quotidienne);

2) que le texte à réciter puisse *vraiment alimenter la piété*: donc *a*) ne pas utiliser tous les psaumes (certains peuvent très bien être omis); *b*) mais faire un excellent choix de textes de l'Ancien et surtout du Nouveau Testament et de bons auteurs — même modernes — propres à nourrir la vie spirituelle (amour miséricordieux, grâce, adoption, corps mystique, eucharistie, charité, etc.);

3) grande latitude donnée à l'Evêque pour accorder permission de s'acquitter de l'obligation du bréviaire recité « *in lingua vernacula* » *pour le bien spirituel* de celui qui est tenu a cette récitation et qui peut en profiter beaucoup plus dans sa propre langue.

Messe. B) Au sujet de la célébration de la Sainte Messe. je désirerais demander humblement que:

1) l'on puisse *célébrer à n'importe quelle heure* en gardant seulement la loi actuelle du jeûne eucharistique.

Raison: expérience de plus de 30 ans de Mission pendant lesquelles j'ai souffert du fait que les missionnaires ne pouvaient avoir de facultés plus étendues sur un tel point de discipline ecclésiastique.

2) J'oserais même demander humblement que la loi actuelle du jeûne eucharistique ne soit pas obligatoire dans sa teneur stricte: *a*) la loi de l'*heure entière* pourrait ne pas être observée dans toute sa rigueur en ce qui concerne les boissons non fermentées s'il y avait une raison sérieuse, non pas une raison grave nécessairement, évidemment; *b*) les *trois heures* ne seraient pas à garder strictement non plus s'il s'agissait de nourriture, pourvu qu'il y ait une cause raisonnable — pas grave, évidemment — pour réduire l'inter-

valle entre le repas et la célébration de la Ste Messe. (Une grande réduction de l'intervalle pourrait demander une cause plus grave, mais une réduction de 1 h. ou 1½ h. pourrait être permise pour une simple cause raisonnable, non grave).

84

Exc.mus P. D. FRANCISCUS TORTORA

Episcopus tit. Liviensis, prael. null. S. Luciae

Trado, scripto, duas animadversiones in cap. II:

1. Cum hodie ignorantia religiosa sit satis diffusa et perplurimi fideles solent accedere ad ecclesiam fere unice in diebus dominicis et festis de praecepto, ita ut sit unica occasio, in istis diebus, illos docendi, mihi videtur can. 39 cap. II ita proponere: « Homilia tanquam pars ipsius Liturgiae valde commendatur, et diebus dominicis et festis de praecepto iubetur iuxta determinationes Ordinarii loci (quoad tempus, Missas, argumentum).

2. Optime dictum est in can. 43 cap. II: « Liturgia Missae duabus partibus constat, liturgia nempe verbi et eucharistiae. Hae duae partes intrinsece coniunguntur etc. ». Proinde ad inculcandam integram obligationem ex parte fidelium ita proponerem: « Proinde animarum pastores, in catechesi tradenda, fideles sedulo exstruant de obligatione integrae Missae interesse ».

85

Exc.mus P. D. DOMINICUS VALERII

Episcopus Marsorum

Quamquam haec mea verba fortasse supervacanea erunt, tamen mihi scribenda videntur et ad commissionem de S. Liturgia mittenda.

1. *Quoad S. Missam.* Nihil mali si quid novi additur et si lingua vernacula adhibetur in ea parte quae didactica appellatur. Certe, ad vitandam confusionem, cavendum est ut textus versionis sit idem pro unaquaque lingua. In Canone vero, quem semper immutabilem declaravimus, omnis mutatio esset inutilis, immo damnosa quia daret causam apud nostrum populum facile opinandi omnia denique ex arbitrio nostro dependere.

Ceterum, Canon, uti est, locum relinquit personali devotioni, quae etiam fovenda est.

Quod si in quibusdam regionibus usus linguae latinae prorsus impossibilis est, concedi potest Conferentiis episcopalibus decernendi, cum approbatione Apostolicae Sedis, quod rectum iudicatur.

2. *Quoad concelebrationem.* Erit valde conveniens in Coena Domini et in conventibus sacerdotum, praesertim occasione peregrinationum et exercitiorum spiritualium.

3. *Quoad communionem sub utraque specie.* Admitti potest in sacris Ordinationibus, cum magno omnium solatio et sine ullo periculo.

4. *Quoad Sacramenta et sacramentalia.* Lingua vernacula etiam apud nos praeferenda videtur, quo magis fructuosa sit fidelium participatio. Attamen, ad formulas sacramentales quod attinet, melius videtur uti lingua latina.

5. *Quoad officium divinum.* Curandum est ne brevius fiat. Concilium Oecumenicum enim, nostris sacerdotibus imprimis persuadere debet nullo modo minuendam, sed potius augendam esse orationem, sine qua omnes labores pastorales steriles manent.

Quoad linguam, apud nos servetur latina. Apud illos qui hanc linguam discere non valent, permittatur usus linguae vernaculae.

In huiusmodi quaestionibus, via media, scil. via quae extrema cuiusque generis fugit atque vetera et nova sapienter coniungit, fere omnibus episcopis placere videtur.

Item plerique episcopi sperant a Concilio statutum iri ut quam primum codex liturgicus praeparetur ad obtinendam necessariam unitatem in re tanti momenti.

86

Exc.mus P. D. ANTONIUS VARTHALITIS

Archiepiscopus Corcyrensis, Zacynthiensis et Cephaloniensis

Faveatis audire humilem opinionem unius episcopi ritus latini qui est in Oriente in Graecia, et in medio Ecclesiae Orthodoxae laborat.

Desiderium meum est in Oriente causas et spiritum caritatis, bonarum relationum et unionis augere. Per quod: in capite *de sacrosancto Eucharistiae mysterio* mihi bonum videtur ut:

1. Communio sub utraque specie etiam laicis concedi possit, iudicio Ordinarii. Ratio est quia fratres Orthodoxi saepe hoc i. e. communionem sub una specie tamquam unam causam separationis consideraverunt.

2. Ut ad Missam celebrandam pane azymo aut fermentato uti possint omnes sacerdotes tam ritus latini quam ritus orientalis. Ratio: eadem quae in n. 1 evocata est.

3. In Canone Missae etiam nomina Sanctorum Ecclesiae Orientalis ex. gr. Sanctorum Basilii, Ioannes Damasceni etc. adiungantur. Invocationes talium Sanctorum etiam in litaniis Sanctorum adiungi possint.

4. Ut episcopi missam cantatam ut simplices sacerdotes i. e. induti paramentis sacerdotalibus et non episcopalibus, sine diacono et subdiacono celebrare possint. Ratio est: penuria sacerdotum.

5. Vestimenta episcopalia simpliciora fiant. Ratio est: Inter pauperes vivimus et exemplum paupertatis et simplicitatis dare debemus, secundum exemplum Domini Nostri Iesu Christi qui in stabulo natus est et ut pauper in terra vixit.

87

Exc.mus P. D. CAESAR GERARDUS M. VIELMO
Episcopus tit. Ariassensis, vic. ap. Aysénensis

Praenotamen (pag. 175, linn. 1-16). Quaedam proponi possent ad reddendum textum parvae introductionis simul simpliciorem et ditiorem.

Lin. 2, post vocem « Apostolis », proponitur ut addatur: « eorumque in sacerdotio successoribus », ob rationem doctrinalem et ad inducendam conformitatem cum Concilio Tridentino (sess. XXII, cap. 1: Denz. n. 938).

Linn. 4, 5 et 6, formula ita aptetur ut non praetermittatur sacramentum Eucharistiae esse gratiarum actionis et vere propitiatorium: quae voces maius doctrinale momentum habent quam nonnullae quae ibi recensentur.

Linn. 7 ad 12, animadverti potest quod, ut fideles adstantes Missae sacrificio non sint « inertes et muti », necesse est ut supprimantur vel minuantur ea quae impediunt intelligibilitatem actionum et precum sacerdotis celebrantis. Quod fieri fortasse nequit, nisi structura Missae magis simplex reddatur, eiusque lingua populo intelligibilis, et celebrantis vox perceptibilis.

Ad art. I n. 37 (pag. 175) (Ordo Missae instaurandus). Placet. Instauratio tamen facienda esset iuxta criteria supra prolata, in numero vigesimo tertio. Ideoque simplicitas rituum instauranda et, cum celebratio fit coram populo, saltem in Missis de praecepto, intelligibilitas linguae inducenda. Consultum videtur ut ipsum Sacrosanctum Concilium, probantibus Summo Pontifice et omnibus Concilii Patribus, schema Missae reformatae pro romano aliisque praecipuis ritibus paret et exhibeat. Cavendum tamen videtur, ut, in hac generali reformatione, peculiaritates singulorum rituum supprimantur, ut inducatur unitas forsitan excessiva, quae multis displiceret et obesset unioni potius quam prodesset.

Ad n. 40 (pag. 175-176) (Oratio communis). Placet. Percuperem etiam quod ex antiquis sacramentariis iterum assumantur multae Praefationes propriae quae nunc desunt in ritu romano, quaeque e contra ritum ambrosianum decorant; percuperem tandem quod nonnullae novae Praefationes pararentur.

Ad n. 41 (pag. 176) (Lingua). Conferantur animadversiones in n. 24.

Ad n. 44 (pag. 176) (Concelebrationis usus amplificetur). Forsitan deleri posset: « si ad singulares celebrationes aliter provideri non possit et ». Ideoque simpliciter esset dicendum: « Ad conventus sacerdotum, de iudicio Ordinarii ». Quia autem audivi nonnullos desiderantes ut huic numero addatur ius concelebrandi Missam conventualem in monasteriis, sincere dicam hanc rem periculum praebere ut Superiores, ad concelebrationem obtinendam, sacerdotes domi detineant, quod contradicere videtur sollicitudini pastorali huius Sacrosancti Concilii. Unde si talis concelebratio permittetur, eidem addenda erit rigorosa restrictio ac monitum indolis pastoralis.

De sancta Missa sine cantu celebrata.

I - *Principia generalia.*

1. Missa manere posset etiam prouti nunc est.

2. Quia vero multi desiderium exprimunt ut instauretur (confer n. 37 constitutionis *de sacra Liturgia*), ea quae sequuntur humillime Sacrosancto Concilio submittimus:

a) Generalis structura Missae, quae antiquissima est et classica vocari potest atque perpetua, intacta servanda esset.

b) Instauratio taliter fiat ut nullimode noceat sive cantui gregoriano sive exquisitiori musicae sacrae.

c) In instauranda Missa, prae oculis haberi deberent tum antiquitas, tum novae exigentiae, praesertim indolis pastoralis.

d) Instauratio ergo, sub luce melioris traditionis servandae, et actuosae participationis promovendae, ita peragi deberet ut, demptis omnibus quae minus apte, temporum decursu, addita sunt, iterum in suo splendore appareat originalis et classica Missae structura, et simul quaedam mutentur vel introducantur, quibus christiana plebs plenius edoceatur atque efficacius ad malum vitandum et bonum sectandum impellatur.

II - *Principiorum applicatio ad singulas Missae partes.*

1. *De precibus antequam ad altare ascendatur*:

a) Servantur: « In nomine Patris, etc. » et crucis signatio dum verba illa proferuntur.

b) Dicitur: « Introibo ad altare Dei », sed omittitur psalmus quadragesimus secundus, sicut tempore Passionis atque in Missis Defunctorum, nam talis psalmus ad rem pertinere non videtur.

c) Dicitur: « Adiutorium nostrum », destituitur tamen signo crucis.

d) « Confiteor » recitatur, sed in forma breviori; adduntur versiculi, recitantur preces « Aufer a nobis » et « Oramus te, Domine ».

e) Nihilominus mihi non displiceret ut, in Missa sine cantu, sacrificium Eucharisticum, sicut antiquitus, inciperet per salutationem sacerdotis ad populum (« Pax vobis » vel « Dominus vobiscum »), consequentem responsionem populi (« Et cum spiritu tuo »), et recitationem orationis quae Collecta nuncupatur: praetermissis proinde omnibus quae nunc, antequam ad altare ascendatur, dicuntur.

2. *Ab Introitu ad « Credo » inclusive.*

a) Introitus, signo crucis praetermisso, recitari posset ut nunc, nisi forte reservandus videatur tantummodo Missae in cantu celebratae.

b) « Kyrie eleison » diceretur sicut nunc, nisi forte reservandus videatur Missae in cantu litatae.

c) « Gloria in excelsis » recitaretur sicut nunc; nonnulli tamen optarent, fortasse non incongruenter, licet de re prorsus nova agatur, ut « Gloria » per modum gratiarum actionis recitetur aut cantetur post communionem populi, ut suo loco animadvertam.

d) « Dominus vobiscum », vel « Pax vobis », hoc loco omnino ser-

vanda sunt, et, si omnibus praetermissis tunc Missa inciperet, signarent praecise initium actionis liturgicae.

e) Oratio, quae Collecta communiter vocatur, pariter hoc loco servanda est. Collecta ista, habitualiter non nisi una esse deberet. Ad libitum, vel tanquam pro re gravi, ab Ordinario praescripta, alia tantum adiungi posset sive deberet.

f) Lectiones ex Vetere vel Novo Testamento omnino serventur; immo, fere omnibus fatentibus, ob rationes praesertim pastorales, melius seligantur et abundantiores sint quam nunc.

g) « Munda cor meum » servari posset; attamen, in Missis sine cantu, omittenda essent « Iube Domine benedicere » et quae sequuntur.

h) Lectiones ex Evangelio eo modo seligantur atque proponantur quo superius, pro aliis biblicis lectionibus, dictum est.

i) « Credo », ut nunc a rubricis praescribitur, recitetur.

3. *Ab initio Offertorii ad Praefationem exclusive.*

a) « Dominus vobiscum » iterum dicendum est.

b) Post verbum « Oremus », prex fidelium peropportune restauranda est, quae praecipuas petitiones, in talibus orationibus die mortis Christi recitandis, atque in similibus orientalium supplicationibus, ad synthesim veluti redigat.

c) Antiphona ad Offertorium, in Missis sine cantu celebratis, omitti posset.

d) Quoad Offertorii orationes, quae nunc dicuntur, liceat mihi tria, quae sequuntur, schemata possibilia humiliter proponere:

Primum schema: servetur tantummodo antiquissima ac sufficiens oratio, quae apud ritum romanum « secreta » vocari consuevit, apud ambrosianos vero « Oratio super oblata ». Nihilominus instaurandae vel substituendae essent quaedam secreta minus bene redacta, sub luce antiquorum Sacramentariorum atque ex consideratione rationum doctrinalium vel pastoralium. Iuxta hoc primum simplicissimum schema, ergo, panis et vini oblatio, per elevationem hostiae et calicis simul peragenda, secumferret unice recitationem orationis sic dictae « secretae », qua praecise exprimitur oblatio illorum elementorum Deo, ac petitur ut dona ipsi oblata acceptare dignetur, ac dein consecrare, ad omnium spirituale simul et corporale, temporale atque aeternum bonum.

Secundum schema: Iuxta hunc procedendi modum, servaretur, uti nunc, separata panis et vini oblatio; servarentur pariter orationes « Suscipe sancte Pater », « Deus qui humanae substantiae », « Offerimus tibi, Domine », et supradicta secreta. Supprimerentur ergo orationes: « In spiritu humilitatis », « Veni sanctificator », psalmus « Lavabo », « Suscipe sancta Trinitas » et « Orate fratres ».

Tertium schema: Iuxta hunc procedendi modum, omnia ut nunc servarentur, suppressa tantummodo oratione « Suscipe sancta Trinitas ».

In Missis sine cantu, aut non solemnibus, fortasse omitti posset lotio manuum, stante ipsius actuali forma nimis diminuta seu contracta.

4. *De Canone, seu a Praefatione usque ad « Omnis honor et gloria. Per omnia saecula saeculorum. Amen ».*

Procul dubio Canon universus accuratissime instaurandus esset; ita ut, demptis additionibus vel interruptionibus, quibus temporum decursu a pristina unitate et simplicitate structurae aliquatenus discessit, ad pristinam perfectionem feliciter rediret. Quae instauratio facienda esset sub luce et historiae liturgiae romanae et anaphorarum orientalium. Uno verbo: feliciter reconstrui deberet unica illa prex gratiarum actionis, consecrationis, oblationis Corporis et Sanguinis Domini, petitionis descensus Spiritus Sancti super ipsum sacrificium, super fideles, super omnes et omnia elementa: in cuius unicae precis conclusione, populus acclamaret magna voce « Amen ». Ita iterum ascenderetur ad unicam illam mirificam precem de qua Sanctus Iustinus martyr, in prima Apologia sua, loquitur; et clarius appareret unitas seu concordia, non tantum quoad doctrinam sed etiam quoad generale schema, inter romanum et ambrosianum canones ita instauratos, et paene innumeras fratrum orientalium, sive unitorum sive separatorum, anaphoras. Quae instauratio influxum ordinis pastoralis procul dubio, ut arbitror, secumferret. Si autem Sacrosanctum Concilium, Spiritus Sancti instinctu ductum, a tanto instaurationis opere iudicabit esse abstinendum, omnia servari poterunt sicut nunc, mutatis aut suppressis tantummodo his paucis quae sequuntur:

a) Praefatio servari ergo posset ut nunc; congruum tamen videtur ut clare dicatur, atque in libris Missalibus indicetur, per Praefationem incipere Canonem, sicut apud fratres nostros orientales. Insuper, ex antiquis sacramentariis, multae Praefationes romanae, tantum apud ambrosianos nunc servatae, iterum assumi possent, ut in Missalia introducantur, praesertim pro nonnullis anni liturgici temporibus, solemnitatibus aut communibus. Quaedam praefationes insuper ex novo condi possent, uti laudabiliter pro Sacri Cordis et Christi Regis festivitate factum est.

b) Commemoratio pro vivis. Consultum mihi videtur ut ista commemoratio ita transferatur, ut praecedat commemorationem pro defunctis, sicut etiam advertitur in anaphoris orientalibus.

c) Communicantes. Fortasse auferri possent quaedam sanctorum nomina ut Chrysogonus, Ioannes et Paulus, Cosmas et Damianus: introduci vero nomina sancti Ioseph et quorumdam summorum sanctorum orientis vel occidentis; pro singulis nationibus autem et ordinibus religiosis inseri respective posset Protectorum vel Fundatorum mentio.

d) « Nobis quoque peccatoribus ». Ab hac oratione demi possent fortasse nomina sanctorum Alexandri, Petri, Marcellini, Anastasiae, ut vel nihil ponatur vel mentio quorumdam sanctorum maioris momenti pro universa vel pro occidentali Ecclesia.

e) Verba « Omnis honor et gloria » iterum unienda essent verbis « Per omnia saecula saeculorum »; et populus acclamare deberet: « Amen ».

5. *Ab Oratione dominica usque ad finem Missae.*

a) « Pater Noster », in Missis sine cantu, semper recitari posset totaliter a sacerdote una cum adstantibus.

b) Ex oratione « Libera nos » auferri possent nomen S. Andreae et deosculatio patenae.

c) Embolismus et eius conclusio recitari possent manibus iunctis, praetermissa omni alia caeremonia.

d) Fractio hostiae peragi posset nihil dicendo; commixtio supprimi posset; et sacra hostia, in duas tantum partes fracta, statim collocanda esset super patenam.

e) « Pax Domini sit semper vobiscum » recitari posset facie ad populum conversa; ita tamen ut, quando altare populum non respicit, celebrans terga non ad Hostiam sanctam sed ad evangelii cornu vertat.

f) « Agnus Dei » etiam tertia vice, sicut antiquitus et nunc in Coena Domini, concludendum esset verbis « miserere nobis », comitante pectoris tunsione.

g) Tres orationes (« Domine », « Domine Iesu », « Perceptio ») et quaedam formulae breviores, quae communionem praecedunt, omitti possent; et hoc sive quia « Pater Noster » sufficiens et completa ad Communionem praeparatio censenda est, sive quia ipsarum forma, non pluralis sed singularis, meliori liturgico usui contradicere videtur.

h) Ideoque, dicto ultimo « Agnus Dei », sacerdos genuflectere posset, et dein, stans et manibus iunctis, dicere unicam formulam, exempli gratia: « Corpus et Sanguis Christi prosit nobis in remissionem peccatorum et in vitam aeternam ». Quae formula ex evangelio aliqualiter desumitur et in liturgiis orientalibus, verbi gratia in byzantina, aliquatenus invenitur. Sumpto sacro Sanguine, sacerdos, manibus iunctis, per aliquot momenta, posset in devota adoratione persistere.

i) Antiphona ad Communionem, in Missis sine cantu, omitti posset. Antequam Corpus Domini sacerdos fidelibus praebeat, ad populum conversus, dicere posset unam tantum brevem formulam, ut verbi gratia: « Corpus (et Sanguis) Christi prosit vobis in remissionem peccatorum et in vitam aeternam. Amen », omissis omnibus aliis precibus; quia humilitatis protestatio et veniae petitio iam egregie continentur et exprimuntur in oratione dominica « Pater Noster ». Cum ergo Eucharistiam fidelibus praebet sacerdos, vel nihil dicit vel ambrosianam formulam: « Corpus Christi », respondente fidele « Amen ».

l) Ob rationes pastorales nonnulli petunt ut, statim post Communionem, tanquam gratiarum actio, aliquid in Missa recitetur vel cantetur. Iuxta antiquum morem decantari aut dici deberet Psalmus quidam cum antiphona ad Communionem connexus; nonnulli tamen petunt ut « Gloria in excelsis Deo » huc transferatur. Quae translatio est nova, sed sua pastorali efficacia

destituta non videtur. Nihilominus, ob rationes satis traditionales, cantus « Gloria in excelsis » non esset huc transferendus in Missis de Nativitate Domini et de Vigilia Resurrectionis.

m) Ablutiones peragendae essent sicut nunc, sed aqua tantum adhibita, et omissis duabus precibus quae nunc recitantur.

n) Calice de more composito, sacerdos dicet: « Dominus vobiscum » et orationem, quae Postcommunio vocatur, recitabit.

o) Ad medium altaris reversus, osculum omittet, ad populum se vertet, « Dominus vobiscum » dicet, altare deosculabitur, et de more benedictionem, comitantibus consuetis verbis, populo impertietur; qua expleta, manibus iunctis, dicet: « Ite, Missa est ». Statim descendet, genuflectet seu caput inclinabit, et in sacristiam revertet, omnibus aliis omissis.

Appendix prima: *De genuflexionibus.*

Hae tantum genuflexiones servandae videntur:

a) in accessu ad altare, si ibi Sanctissimum Sacramentum servetur;

b) ad « Et incarnatus est »;

c) in quibusdam epistolarum vel evangeliorum locis, sicut nunc;

d) statim post consecrationem Corporis et post consecrationem Sanguinis.

e) antequam Corpus et Sanguinem Domini sumat; si Sanctissimam Eucharistiam fidelibus praebeat, semel ante et semel post distributionem;

f) recedens ab altare, ut dictum est supra.

Appendix secunda: *De signis crucis.*

Haec tantum signa crucis peragenda in posterum viderentur:

a) in initio, cum dicitur « In nomine Patris... »;

b) ad Evangelium, ut nunc;

c) ad « Te igitur », semel tantum, cum dicitur « benedicas »;

d) ad « Qui pridie », et ad « Simili modo », cum respective dicitur « benedixit »;

e) ad « Per quem omnia », cum dicitur « benedicis »;

f) in fine Missae, cum sacerdos populo benedicit.

Omnia alia crucis signa, ergo, praeter ista praedicta, omitti in posterum deberent.

Appendix tertia: *De Missa quae in cantu celebratur.*

1. Ea omnia valent quae supra dicta sunt de Missa sine cantu celebrata, quoad orationes, genuflexiones et crucis signa.

2. Omnia quae canuntur seu recitantur a diacono, subdiacono, clericis, schola vel populo, nullimode recitentur a celebrante, qui tantummodo ea auscultet.

3. Quia processio, qua ad altare acceditur, fit comitante cantu Introitus, fortasse opportunum esset ut sacri ministri, statim ac ingressi fuerint presbyterium et debitam reverentiam praestiterint, illico ad altare ascendant seu accedant, celebrans eum deosculetur atque ad incensationem deveniatur.

4. Incensationes, quoad numerum (in initio, ad offertorium, ad consecra-

tionem) servari possunt ut nunc. Nihilominus omitti possent verba psalmodica comitantia incensationem ad offertorium; ipsae autem incensationes super oblata, ad simpliciorem formam reduci possent: nempe ad unicum crucis signum super panem simul ac vinum. Pariter incensatio choralium ad simplicem formam reduci posset: nempe ad incensationem superioris et ad communem et unicam incensationem, prius ad chorales ad latus Evangelii, dein ad latus epistolae positos, ac tandem ad populum.

5. Velum humerale, cum omnibus connexis caeremoniis, omitti posset in Missa; consequenter subdiaconus sistere deberet vel a dextris vel a sinistris, vel in plano.

88

Exc.mus P. D. ANTONIUS GREGORIUS VUCCINO
Archiepiscopus tit. Aprensis

Emendationes proponuntur.

1. In titulo capitis, forsan melius: « De Sacr... Euchar... *Sacramento* ». Nam Eucharistia numeratur inter septem Sacramenta.

2. *In Prooemio.* Character biblicus non apparet sufficienter. Potest forsan emendari sequenti modo: « *Quod pertinet* ad naturam Sacrosancti Eucharistiae Sacramenti memoranda sunt hic verba illa Apostoli ad Corinthios: " Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem et gratias agens fregit et dixit: Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam caenavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis donec veniat " (*1 Cor.* XI, 17...) ».

Insuper, in Epistola ad Hebraeos legitur: « Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi » (*Ad Hebr.* VIII, 13).

Unde rite instruantur fideles de vera natura huius Sacramenti quod est commemoratio et repraesentatio Sacrificii Corporis et Sanguinis Christi, « qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo », simulque participatio ad Sacrificium Christi per sumptionem Corporis et Sanguinis eius.

Inculcandus est insuper mentibus fidelium multiplex finis sacrificii eucharistici, quod est latreuticum, propitiatorium, eucharisticum scilicet gratiarum actio et impetratorium mediante quo Christus, Mediator noster, obtinet a Patre suo, per traditionem suae Carnis et sui Sanguinis, permultas

gratias ad fovendam vitam christianam necnon fraternitatem in Christo, utpote sacra Eucharistia est « Sacramentum caritatis et vinculum unitatis ».

Quapropter Sacrosanctum Concilium ut sacrificio Missae plenam pastoralem efficaciam restituat, etiam in forma rituali, ea quae sequuntur decernit.

N. 38. (*Lectiones in Missa*). Post ultimum verbum « praelegatur » potest adiungi: « *Ad libidinosas inventiones praecavendas pertinet ad Ordinarium huiusmodi lectiones rite ordinare* ».

N. 39. (*Homilia*). Loco « valde commendatur » (lin. 26) ponatur « *omnino praecipitur* » et post verba « festis de praecepto » ponatur « *et quotiescumque adest concursus populi,* certis raris casibus exceptis ».

N. 40. (*Oratio communis*). Post verba « in sublimitate sunt (lin. 4, pag. 176) additur: « *Ad praecavenda vero incommoda ad Ordinarium pertinet praecipere subditis suis ordinem servandum in oratione communi* ».

N. 43. (*Praeceptum Missae festivae*). Ante verbum « festivae » ponatur « *dominicalis* ». Loco verbi « intrinsece » (lin. 14) ponatur « *liturgice* ». Et post verbum « celebrationi » (lin. 17) addantur loco « intersint » verba sequentia « *debent interesse* ».

N. 44. *Concelebrationis sacramentalis* (*Usus amplificetur*). Ad litt. *b*) « *ad conventus vel sacerdotum vel episcoporum de iudicio Ordinarii* ».

N. 46. (*Ritus concelebrationis*). Ad litt. *a*), post verba « vestibus sacerdotalibus », *tollantur* haec « aut saltem alba et stola » et prosequatur sic: « *induti, ad praecavendam adstantium mirationem* ».

Ad litt. *b*) Post verba « simul dicendarum » (lin. 2, pag. 177) adiungantur « *exceptis introitu, Kyrie eleison, Gloria, Credo, offertorio, praefatione, canone et ultimo Evangelio* quae integre ab omnibus concelebrantibus dicuntur ».

Ad litt. *d*) Loco « solus celebrans principalis » ponatur « *Omnes concelebrantes aliquos gestus faciant et populum benedicant et haec omnia de iudicio Ordinarii* ».

Complementa:

Primum. (*De Sacra Eucharistia a laicis administranda*). Deficiente sacerdote vel diacono licet personam laicam, a pluribus commendatam, Sacramentum Eucharistiae administrare fidelibus in adversis versantibus circumstantiis et hoc relinquatur iudicio Ordinarii.

Secundum. (*De ieiunio*). Ut e medio tollantur vera incommoda quae e vigente lege de ieiunio eucharistico oriuntur, permittitur omnibus tam sacerdotibus quam laicis, saltem una hora ante Missam, usus cibi et potus alcoholici.

Tertium. Propter rationes graves ab Ordinariis locorum constituendas permittitur celebratio Missae in quacumque hora diurna vel nocturna.

89

Exc.mus P. D. IOANNES B. ZOA
Archiepiscopus Yaundensis

L'Episcopat d'Afrique, Madagascar et Iles adjacentes, me charge de venir vous présenter ainsi qu'aux ém.mes cardinaux du Conseil de Présidence nos excuses les plus sincères pour l'intervention faite ce matin au nom de nous tous.

Le « Relator », son excellence mgr Van Cauwelaert, ER de Inongo, n'a pas respecté notre mission et notre volonté. Nous ne reconnaissons que le passage sur la *concélébration;* le reste, id est: l'introduction et la dernière partie ne sont pas de nous.

Nous désapprouvons et nous déplorons vraiment et en particulier la dernière partie de son intervention qui est polémique « quod ad rem non pertinet ». Nous déplorons aussi le ton sur lequel cela a été dit.

Veuillez donc, excellence révérendissime, vous faire notre interprête auprès des membres du Conseil de Présidence, et agréer l'expression de notre profond respect.

CONGREGATIO GENERALIS XIV

7 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XIV

7 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis S. Concilii*:

Praeest hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Normannus Gilroy, arch. Sydneyensis.

Audiant omnes! Post disceptationem cap. III, habebitur disceptatio cap. IV; deinde circa capp. V, VI, VII, VIII, disceptatio fiet una simul.

Post schema *de sacra Liturgia,* incipiet disceptatio de constitutione dogmatica *de fontibus revelationis,* quae est prima in libro distributo. Rogantur omnes Patres petitiones loquendi tempore opportuno exhibere.

Loqui petierunt circa cap. III in hac hodierna congregatione exc.mi Domini: Petrus Rougé, ep. coad. Nemausensis in Gallia; Florentius Angelini, ep. Messeniensis in Italia; Ioseph Arnerić, ep. Sibenicensis in Iugoslavia; Gulielmus Kempf, ep. Limburgensis in Germania; Clemens Isnard, ep. Neo-Friburgensis in Brasilia; Hildefonsus Sansierra, ep. aux. S. Ioannis de Cuyo in Argentina; Gulielmus Connare, ep. Greensburgensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Aloisius Faveri, ep. Tiburtinus in Italia; Antonius Mistrorigo, ep. Tarvisinus in Italia; Aurelius Del Pino, ep. Illerdensis in Hispania; Ioseph Sibomana, ep. Ruhengeriensis in Ruanda; Franciscus Peralta, ep. Victoriensis in Hispania; Adrianus Djajasepoetra, arch. Djakartanus in Indonesia; Gulielmus Bekkers, ep. Buscoducensis in Neerlandia; Carolus Wojtyla, ep. vic. cap. Cracoviensis in Polonia; Gulielmus Van Bekkum, ep. Rutengensis in Indonesia; Eugenius D'Souza, arch. Nagpurensis in India; Alcides Mendoza, ep. aux. Abancaiensis in Peruvia; Andreas Wronka, ep. tit. Vatarbensis in Polonia; Ioseph Malula, ep. aux. Leopoldpolitanus in Congo; Vincentius González, arch. Managuensis in Nicaragua; Ferdinandus Romo, ep. Torreonensis in Mexico; Fidelis Garcia, ep. tit. Sululitanus in Hispania; Aemilius Tagle, ep. Vallis Paradisi in Cile.

1

EXC.MUS P. D. PETRUS ROUGÉ
Episcopus tit. Gisipensis, coad. Nemausensis

Venerabiles Patres,

Ad art. 57: *de Unctione infirmorum.*[1]

Merito quidem optatur ut Sacramentum quod communiter « Extrema Unctio » nuncupatur deinceps « Unctio infirmorum » vocari et graviter aegrotantibus dari possit.

Rationes historicae et pastorales hac in re iam a delegato episcopatus Venezuelensis allatae sunt.

Attamen, forte sunt Patres qui opinionem teneant, quod illa mutatio nominis Sacramenti et disciplinae contraria sit doctrinae Sanctae Synodi Tridentinae, sess. XIV.

Sic autem respondeo:

1. Haec mutatio plene concordat cum mente ipsius Concilii Tridentini. Nam in schemate doctrinali Patribus conciliaribus proposito, affirmabatur, secundum mentem aliquorum theologorum Medii Aevi, quod Sacramentum Extremae Unctionis morientibus tantum reservari debuisset.

Sancta Synodus textum illum consulto modificavit, declarando quod illis vero *praesertim* administrandum est, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur...[2]

2. Traditio evangelica necnon praxis primitivae Ecclesiae clare demonstrant quod illud Sacramentum intimam connexionem habet cum ministerio caritatis Christi erga infirmos, et cum missione Apostolis suis data praedicandi adventum Regni Dei, et ungendi infirmos ut sanarentur. Talem connexionem Sancta Tridentina Synodus etiam clare affirmavit.

Hoc officium caritatis cum suis effectibus spiritualibus et etiam corporalibus manifeste declaratur in epistola S. Iacobi (5, 14-15), quam omnes Patres bene in memoria tenent. Secundum Concilium Tridentinum (sess. XIV, can. 1; Denz. 926), in illo textu promulgatum fuit ab Apostolo Sacramentum a Christo institutum.

3. Item Sacra Tridentina Synodus in canone secundo dicit quod Sacramentum illud ad infirmos alleviandos institutum fuit, et in capite secundo (de effectu huius Sacramenti) addidit quod sanitas corporis, ubi saluti expediretur, etiam interdum obtineri potest.

4. Lex orandi, lex credendi. In rituali romano...[3] orationes, quae unctionem corporis sequuntur, hanc sanitatem corporis clarissimo modo implorant; hoc autem inutile esset, vel ridiculum, si Sacramentum solummodo in instante mortis administrari deberet. Patet ergo quod Ecclesia, in sua oratione publica, minime assertiones theologorum subsecuta est.

5. Tandem ex experientia nostra pastorali clarissime novimus quod nomen istud: Extrema Unctio, et praxis ecclesiastica saltem in nostris regionibus, multos infirmos et eorum familiares ab illo Sacramento recipiendo saepius avertunt, et frequenter etiam pastores prohibent ne ad aegrotantes accedere possint...[4]

Ad art. 59: *Ritus Sacramenti.*

Ut ratio fideliter habeatur reverentiae ritui sacramentali debitae, et diversarum conditionum infirmorum, qui hoc Sacramentum recepturi sunt, et consuetudinum quae iam ab Ecclesia probatae fuerunt, deberet ritus huius Sacramenti a Conferentiis episcopalibus determinari et a Sancta Sede approbari.

Optandum foret, ut prima oratio, quae unctiones sequitur, ad suum pristinum locum reducatur, id est ante unctiones, in quantum infirmos ad paenitentiam et ad spem christianam optime disponit.

Similiter optandum foret ut aliqua oratio in mentem infirmorum evocet valorem redemptionis, qui in omni dolore continetur, cum patienter cum Christo sustinetur.

Ad art. 60: *Iteratio Sacramenti.*

Si Unctionem sacram administrare licet graviter aegrotantibus, sequitur quod etiam iterari posset. Sane hoc ab hodierna disciplina prohibetur. Attamen, traditionalis usus unctionis infirmorum olim ampliore modo in Ecclesia vigebat, et ideo, etiam hodie, Ecclesia concedere posset facultatem iterationis Sacramenti, quando bonum spirituale infirmorum eius receptione valde promoveretur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Nomen et natura Sacramenti. [2] Hic simul afferre liceat et textum Patribus Concilii Tridentini propositum et textum ipsius Concilii.

Textus Patribus propositus	*Textus Concilii* (Denzinger 910)
Declaratur etiam *non* esse hanc unctionem *nisi* infirmis adhibendam *nec* illis *quidem omnibus, ut ecclesiae traditio nos edocet sed* illis *dumtaxat* qui tam periculose decumbunt ut in exitu vitae constituti videantur. *Quare merito et extrema unctio* et exeuntium	Declaratur etiam esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis *vero praesertim,* qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur.

sacramentum nuncupatur, *quod nonnisi extreme laborantibus et cum morte congredientibus atque hinc ad Dominum migrantibus salubriter adhibeatur.*	*Unde* et sacramentum exeuntium nuncupatur.
Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti, *quod characterem non imprimit,* subsidio iuvari poterunt cum *in haud dissimile* vitae discrimen inciderint.	Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti subsidio iuvari poterunt cum in *aliud simile* vitae discrimen inciderint.

Circa discussionem in Concilio videri potest F. Cavallera, *Le décret du Concile de Trente sur la pénitence et l'extrême-onction, Bulletin de littérature ecclésiastique,* 39 (1938), pp. 3-29.

Sicut bene exponitur in nota 11 schematis, omnes periti historiae doctrinarum norunt dilationem Unctionis sacrae ad ultima momenta in usum venisse circa saeculum x.

[3] (Cf. *Rituale Romanum,* T. VI, cap. 2, n. 12 ante finem: « ... ut famulum tuum ab aegritudine liberatum et sanitate donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiae tuae sanctae, cum omni desiderata prosperitate restituas ». Cf. etiam orationes praecedentes et benedictionem Olei infirmorum feria V in Coena Domini).

[4] *Ad art. 58: Collatio Sacramenti.* Ordo propositionis respondet doctrinae S. Thomae et sanctae tridentinae synodi, ut apparet ex nota 12, pag. 183.

Testantur revera hagiographi (multa exempla allata sunt ab A. Chavasse, *Etude sur l'onction des infirmes dans l'Eglise latine du III au XI siècle,* Tome I, Lyon 1942, pag. 195), cum de fine sanctorum hominum tractant, quod illi primum sanctam Unctionem, et deinde Viaticum, receperunt.

2

Exc.mus P. D. FLORENTIUS ANGELINI
Episcopus tit. Messeniensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Liceat mihi...[1] aliqua dicere de unctione infirmorum prout proponitur in schemate (pag. 181, art. 57). Supervacanea est plena assentio, immo et plausus, ob mutatum, iure merito, nomen, non solum, sed ob novam inductam disciplinam huius Sacramenti, ut — tandem aliquando — desinat haberi uti tessera viatoria, ad aeternitatem citissime ducens. Prospere, ideo, cedit: unctio infirmorum, recipienda statim ac fidelis in gravem morbum inciderit, ut affirmatur in art. 57 schematis. Fit, proinde, transitus a conceptu « periculi mortis » — de quo in Codice Iuris Canonici can. 940 § 1 — ad conceptum « morbi gravis ».

Haec innovatio restituit Sacramento suam naturalem et principalem

significationem, et ipsius unctionis sublevat administrationem. Pastorale officium, praesertim illorum qui curae animarum infirmorum directe se tradunt, uti parochi et cappellani nosocomiorum, demonstrat multos esse fideles qui unctionem infirmorum, tempore opportuno, dum mentis compotes sunt, non recipere; saepe unctio infirmorum administratur sub condicione, quia infirmi extremae vitae spiritum ediderunt. Causae multae sunt, sed non tantum ex parte fidelium propter exiguam spiritualem formationem et propter inscientiam veritatum nostrae sanctae religionis, sed etiam ex parte sacerdotum qui administrantes, fere semper, simul cum sacramentis poenitentiae et Eucharistiae, unctionem infirmorum, hanc tractant ut aliquid superfluum et minoris momenti. Necessarium est igitur ut unctio infirmorum quam maxime accepta et expedita efficiatur sine difficultatibus, ut ita dicam, technicis sive in ipsa administratione sive in orationibus, reapse nimis diutinis etiamsi pulcherrimis. Etiam oxygenium olim dabatur tantummodo ad extremam mortis colluctationem leniendam, nostris temporibus vero subministratur non solum ad crises graviores infirmi facilius superandas, sed saepe saepius etiam ad generales condiciones infirmi sublevandas, qua re oxygenium non est amplius, pro infirmis, causa psychicae perturbationis neque causa terroris.

His praemissis haec duo proponere vellem:

1. Unctio infirmorum administretur in pluribus clinicis condicionibus usque adhuc non admissis; innovatio, scilicet, admittere deberet administrationem unctionis etiam ante graviores et peculiares chirurgicos interventus, exempli gratia quando agitur de cardiochirurgia, de chirurgia thoracica et de neurochirurgia, praesertim in cerebro; sane si necessarius est gravis et audax chirurgicus interventus non tantum ad melius esse, sed ad vitam ipsam servandam, iam in corpore adest causa ex qua dissolutio organismi sequitur, nempe morbus gravis; et non solummodo morbus gravis, sed saepe adest etiam grave periculum ne infirmus vita privetur in ipsa exsecutione chirurgici interventus, vel mente privetur quando de chirurgico interventu in cerebro agitur.

Collatio Sacramenti prae-operatoria facilius permittit consecutionem effectus etiam sanitatis corporis, qui dimanat utique ex sacra unctione, sed tantummodo adiuvando causas naturales.

Ideoque optarem quod ad dubitationes tollendas, haec possibilitas administrandi Sacramentum unctionis aegrotis etiam ante graviores et peculiares chirurgicos interventus, authentice declaretur.

2. Altera consideratio est quoad ritum unctionis infirmorum. Iam art. 59 praevidet opportunam aptationem numeri unctionum; nunc, cum certum sit ad valorem sacramenti sufficere unicam unctionem in fronte,

considerandae veniunt difficultates quae frequenter sane comitantur unctiones, verbi gratia pedum, quae ex qualibet rationabili causa omitti potest, et de facto fere semper omittitur; oris et narium, ob molestiam quam afferre potest contactus digiti, oleo madefacti, cum ista organa, hygienica praecepta, hodie praesertim receptissima, omnino tuta exigant; aurium, quae ob infirmi positionem, fere semper difficillime accessibiles sunt.

Quis ex vobis, venerabiles Patres, poterit, non dico semper, sed saepe, administrare sacramentum cum quinque unctionibus? Quoties potuistis admirare infirmos, sicuti aliquando sancti in imaginibus repraesentantur, cum ordinata et perfecta positione exteriori, tanquam aliquod sculpturae opus?

Ipsa enim doctrinarum technicarumque artium, ad medicinam et chirurgiam pertinentium incrementa, maxima quidem beneficia hominibus attulerunt, multiplices vero difficilesque curandi artes exigunt, cum peculiari saepe infirmi corporis habitu, aut quorundam instrumentorum applicatione, quae, perfectione ipsa qua instruuntur, et voluntate qua applicantur, ne scilicet vi morbi etiam summae cedatur, infirmum nonnisi in exitu vitae relinquunt.

His aliisque multis de causis, unctiones sacrae fere numquam omnes quinque applicantur, cum ex qualibet rationabili causa earum numerum variare licet; eoque fit ut, quod praeter consuetudinem agebatur, iam regula evaserit.

Propter hoc mihi videretur sufficere unctiones tantummodo frontis et manuum; hoc modo symbolismus quoque servatur, cum frons significet internam activitatem, manus vero externas repraesentent operationes.

Humiliter igitur propono ut hoc Concilium decernat ordinariam administrationem huius sacramenti consistere in unctione tantummodo frontis et manuum, adhibita convenienti formula. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] tanquam episcopo cui concredita est cura spiritualis infirmorum in nosocomiis Urbis degentium.

3

EXC.MUS P. D. VILLELMUS KEMPF
Episcopus Limburgensis

Venerabiles Patres Concilii,

Ad ea quae rev.mi confratres Petrus Rougé et Arnerić elucubraverunt de Sacramento Extremae Unctionis, liceat ad modum recollegatoris haec animadvertere:

Sententia, secundum quam Extrema Unctio non habenda est primo et per se Sacramentum morientium sed potius graviter aegrotantium, utique quodammodo non est consentanea cum traditione classica Ecclesiae, secundum quam Extrema Unctio primo et per se est Sacramentum consummationis christianae, quo homo baptizatus traducitur e terrena et visibili Ecclesia in Ecclesiam beatorum. Refertur igitur ad promissam salutem eschatologicam hominis, scilicet resurrectionem.

Proinde n. 57 schematis nostri pressius inculcet Extremam Unctionem esse Sacramentum spei christianae, Sacramentum disponens ad gloriam resurrectionis, Sacramentum utique consolationis et non timoris.

Neganda mihi videtur quoque iteratio huius Sacramenti in eadem permanente infirmitate, quae iteratio commendatur in schemate. Dixi.

Textus scripto traditus:

Nn. 57-69 (pag. 181): Incisum de *Extrema Unctione* necessario profundiore mutatione indiget, cum ampliorem traditionem de natura et fine huius sacramenti negligat.

Proponitur aliqua forma textus, quae in foliis appositis amplius illustratur:

N. 57 [Nomen et natura Sacramenti]. Sacramentum, quod « Unctio infirmorum » vel etiam « Extrema Unctio » vocatur, est signum sacramentale, quo homo christianus sub signo unctionis sacerdotalis gratia interna roboratur, sive ad aegritudinem salutariter ferendam vel superandam, sive ad mortem cum Christo moriente feliciter subeundam ita, ut in vita beata salutem animae et resurrectionem corporis cum Christo, Capite Corporis Mystici gloriosi resuscitato, assequatur. Extrema Unctio est ergo sacramentum christianae consummationis, quo homo baptizatus traducitur ex Ecclesia terrena visibili in Ecclesiam beatorum, ut a Christo Capite per Spiritum Sanctum paternae visioni repraesentetur.

N. 58 [Collatio Sacramenti]. Ut « sacramentum consummationis christianae » Extrema Unctio regulariter locum habeat post confessionem et repetitionem Eucharistiae seu Viaticum. In catechesi vero aspectus positivus huius relationis ad resurrectionem et gloriam efferatur ita, ut omnis metus seu timor huius sacramenti in quantum fieri potest tollatur.

N. 59 [Ritus Sacramenti]. Unctionum numerus pro opportunitate aptetur (cf. art. 21 huius constitutionis). Ritus externus et orationes, quae ritum Unctionis huius comitantur, ita recognoscantur, ut finis huius sacramenti, imprimis etiam relatio ad significandam resurrectionem corporis, bene exprimatur. Quod fundamentum catecheseos plenioris praestare potest.

N. 60 [Iteratio Sacramenti]. Ut « sacramentum christianae consummationis » hoc sacramentum eadem infirmitate permanente iterari non debet neque potest.

Nn. 57-60 (pag. 181): Ad quaestionem de *Extrema Unctione.* Explicantur emendationes propositae:

1. *Quoad nomen et naturam sacramenti* n. 57 traditionem pleniorem negligit, secundum quam hoc sacramentum non ad *graviter aegrotantes* tantum, sed *principaliter* ad *morientes* refertur.

Duplex relatio Extremae Unctionis vel Unctionis Infirmorum, nominibus iam suadentibus, in traditione data est:

a) ad *morbum gravem,* et quidem *salutariter* ferendum et etiam superandum, si saluti convenerit.

Salus supernaturalis semper est in quaestione, saltem ex intentione et vi signi sacramentalis, non semper utique ex exspectatione fidelium, uti probat imprimis primum millenium historiae huius sacramenti.

Notandum: difficultates Protestantium veterum et etiam Anglicanorum quoad hoc sacramentum maxime fluxisse ex nimio valore effectibus corporalibus praestito (cf. ex. gr. Lutherus, *De captivitate babylonica Ecclesiae,* 291-297, qui maxime ideo negat characterem sacramentalem Extremae Unctionis, quod effectus videt in sanitate restituenda).

Salus ergo supernaturalis et ideo etiam eschatologica est proprie effectus huius sacramenti, pro toto homine utique, id est secundum animam et corpus. Quod indicat relationem Extremae Unctionis ad mortem et resurrectionem corporis.

b) Ad mortem salutariter cum Christo moriente subeundam et cum Christo resurgente superandam.

aa) Ipsa verba Iac. 5 relationem Unctionis ad mortem non excludunt, immo suadent.

Nam *asthenein* dicit: graviter aegrotum esse;

kamnein vero dicit: graviter, sine ulla spe tabescere, vel etiam mori, uti inscriptiones sepulchrales testantur (cf. W. Bauer, *Wörterbuch zum Neuen Testament,* ed. 5, 1958);

Sosei ton kamnonta: secundum ulteriorem usum huius verbi sozein apud Iac. salus eschatologica (supernaturalis) est in quaestione. Non est primario et per se promissio sanationis corporalis, sed salutis religiosae;

egerei auton ho Kyrios: haec verba explicant illud: « sosei ton kamnonta ». Id est: recte inferri potest salutem promissam eschatologicam esse *resurrectionem* post mortem.

Quo in sensu demum plena significatio sacramentalis Unctionis habetur, quae a S. Iacobo describitur. Refertur enim ad totum hominem eiusque sortem finalem, id est vitam aeternam cum anima et corpore.

bb) Ipsa traditio, quam imprimis S. Thomas colligit et Synodus Tridentina renovat, istam relationem ad mortem et gloriam exprimit. S. Thomas insistit imprimis in traditione saeculorum praecedentium.

Afferuntur quidam loci ex S. Thoma sumpti:

Sacramentum Extremae Unctionis, « quod est quaedam immediata praeparatio ad introitum gloriae » (S. Th., I-II^{ae}, q. 102, a. 5, ad 3);

« In Extrema autem Unctione praeparatur homo ut recipiat immediate gloriam » (S. Th., III, q. 65, a. 1, ad 4);

« ... hoc sacramentum est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, immediate quasi disponens ad gloriam. Et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi qui sunt in statu exeuntium, propter hoc quod aegritudo nata est inducere mortem, et de periculo timetur » (*Supplementum*, q. 32, a. 2).

In aliis fontibus habetur etiam relatio Extremae Unctionis ad gloriam corporis resuscitati, simulque bene effertur aspectus ecclesiologicus huius sacramenti.

Nam opponitur baptismo, qui est sacramentum introeuntium, in Ecclesiam sc. visibilem hic in terris degentem, cum Extrema Unctio sit sacramentum ex hac Ecclesia exeuntium (cf. Magister Simon, saec. 12).

Synodus Tridentina: loquitur

Denz. 907 de momento Extremae Unctionis: « ita extremae unctionis sacramento [Redemptor] finem vitae tamquam firmissimo quodam praesidio munivit ». Agitur de « exitu vitae » (ibid.).

Denz. 910: nomen sacramenti: « sacramentum exeuntium ».

Traditio complexive sumpta ergo exhibet aspectum totalem Extremae Unctionis, qui in textu in schemate proposito penitus fere perit: Hoc sacramentum quidem refertur ad *morbum,* at sub respectu supernaturali-eschatologico; magis et clare vero ad *mortem* et *finem eschatologicum* hominis totius, id est secundum *animam et corpus.* Ita Extrema Unctio est sacramentum spei christianae, promissio sacramentalis vitae indefectibilis et corporis et animae, sacramentum consolationis non timoris.

2. Inde etiam nn. sequentes mutatione indigent:

N. 58 (Collatio sacramenti): Cum relatio eschatologica seu finis christianae consummationis adeo in traditione efferatur, non est ratio cur Extrema Unctio media inter sacramentum Poenitentiae et Eucharistiae ponatur. Relationem habet ad utrumque sacramentum, cum promittat et conferat deletionem peccatorum et vitam aeternam totalem. Maneat ergo etiam quoad collationem ultimum illud « praesidium », de quo Tridentinum loquitur. Hoc signo Ecclesia visibilis membrum suum transmittit in Ecclesiam beatorum.

N. 59 (Ritus sacramenti): Idea resurrectionis corporalis et visionis aeternae in unione cum Christo Capite glorioso et Ecclesia beatorum in orationibus exprimatur, vel in ipsa formula collationis, quae ex certo stadio traditionis concepta est.

N. 60 (Iteratio sacramenti): Talis iteratio praecise ideo non habet sensum, quia sacramentum refertur ad statum definitivum hominis. Omittatur n. 60, vel quaestio de iterabilitate in sensu traditionis breviter adumbretur.

Bibliographia:

Z. ALSZEGHY, *L'effetto corporale dell'Estrema Unzione,* « Gregorianum » 38 (1957), 385-405;

A. CHAVASSE, *Etude sur l'onction des infirmes dans l'Eglise Latine du IIIe au XIe siècle* (Lyon 1942);

A. GRILLMEIER, *Das Sakrament der Auferstehung; Geist und Leben*, 34 (1961), 326-336;

M. SCHMAUS, *Katholische Dogmatik IV,* 1 (1957 [5]), § 276, pp. 623-633;
H. WEISWEILER, *Das Sakrament der Letzten Ölung in den systematischen Werken der Frühscholastik,* Scholastik 7 (1932).

4

EXC.MUS P. D. CLEMENS IOSEPH CAROLUS ISNARD
Episcopus Neo-Friburgensis

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

De art. 55, de ritu Confirmationis: placet ut prostat, contra ea quae dicta sunt in congregatione generali *hesternae diei.*[1]

Rationes:

1. Collatio Sacramenti Confirmationis intra Missam clare definita est verbis « pro opportunitate ». Unusquisque episcopus videat quomodo se gerere debeat. Idem episcopus, secundum opportunitates diversas, hoc sacramentum aliquando conferat intra Missam, aliquando vero extra Missam. Vias apertas relinquamus.

2. Renovatio promissionum Baptismi introducitur ut pars ritus Confirmationis. Plures episcopi, iam hoc faciunt ad instar caeremoniae praeparatoriae, sed melius est, et valde huic Sacramento congruit, ut fiat tamquam pars ipsius ritus.

Argumentum adductum contra hanc propositionem ex consuetudine vel privilegio confirmandi pueros qui ad usum rationis non pervenerunt, non procedit, *meo iudicio.*[2] Nam in Ecclesia latina Confirmatio ordinarie administrari debet post adeptum usum rationis, quod solidis theologicis rationibus nititur. *Baptismus est consecratio personae humanae. Confirmatio est consecratio sociabilitatis quae non surgit in homine nisi post adeptum usum rationis.*[3]

Consuetudo confirmandi pueros ante usum rationis paulatim tollenda esset, sicut in multis dioecesibus Brasiliae iam factum est. Non oportet ergo duos ritus Confirmationis conficere, unum pro parvulis alium pro adultis. Satis erit indicatio omittendi tales caeremonias in Confirmatione parvulorum. Uti regula communis permaneat Confirmatio eorum tantum qui usum rationis adepti sunt. Exceptio vel privilegium sit Confirmatio parvulorum, quae ideo proprio ritu gaudere non debet.

Et nunc *ad art. 65,* pag. 183. Hic articulus placet iuxta modum, ita nempe ut in lin. 4 verba « ita tamen ut quidam ritus particulares non excludantur », sic mutentur: « ita tamen ut quidam *integri* ritus particulares non excludantur, speciatim in ordinibus votorum solemnium ».

Ratio: « Mens commissionis praeparatoriae, quae *bene laboravit et*

quae[4] valde laudanda est, fuit nimiam et aliquando abstrusam varietatem rituum vestitionis et professionis religiosae moderare, praesertim apud recentiores Congregationes mulierum. Attamen non sufficit ut quidam ritus particulares non excludantur, praesertim si verba « quidam ritus » intelliguntur pro « quibusdam ritus elementis » et non pro toto ritu. Ritus habentur qui integri servari debent, uti, v. gr. consecratio monachi, seu ritus professionis solemnis servatus apud aliquas Congregationes O.S.B. Hic venerabilis ritus efformatus est saec. VIII, cum elementis ex ipsa regula S. Benedicti, et proinde integre servari debet, propter traditionem et propter valorem intrinsecum. *Uti episcopus ex Ordine S. Benedicti peto collegis meis ut hanc rationem in votatione videant.*[5] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] die 6 huius mensis. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest.

5

EXC.MUS P. D. HILDEFONSUS M. SANSIERRA
Episcopus tit. Oriensis, aux. S. Ioannis de Cuyo

Em.me Praeses, venerabiles Patres Conciliares et Observatores,

Cum alia quae dicere volebam iam a venerabilibus Concilii Patribus prolata sint, haec tantummodo exponam:[1]

Ad caput III, de Sacramentis et Sacramentalibus.

Schema de Sacramentis et Sacramentalibus, licet magis congruum videretur in duobus capitibus dividi, tamen voto *favorabili*[2] Sacrosancti Concilii commendandum teneo, prout exaratum est.

Ad n. 55. In hac paragrapho dicitur quod ante Confirmationem fiat renovatio promissionum Baptismi; promissa autem Baptismi sunt revera promissa catechumenorum: i. e. cuiusdam qui fidem infusam adhuc non recepit, sed qui confirmandus est iam est christianus, proindeque ab eo aliquid amplius *requiritur,*[3] si de adulto agitur, nempe *exigitur*[4] quamdam professionem fidei et fidelitatis *erga Christum et Ecclesiam:*[5] erga Christum, quia est Sacramentum testimonii; erga Ecclesiam, quia ad Corpus Mysticum pertinet. *Quapropter, mihi videtur, Sacramentum hoc Confirmationis generatim administrari deberet praevia congrua praeparatione doctrinali et spirituali pro aetate confirmandi.*[6]

Ad nn. 62 et 63. Consentaneum videtur matrimonii ritus peramplius recognoscendus. Qua in re haec animadvertenda opinor: ritus ita disponatur ut in eo amplius partem habeant sponsi, non solummodo

in consensus manifestatione, verum etiam in quodam dialogo, quod fieri deberet inter ipsos nupturientes, et nupturientes et sacerdotem assistentem. In hoc ritu concinne et clare apparere debent:

1. Symbolum ab Apostolo Paulo indicatum: unio Christi enim cum Ecclesia est eminenter spiritualis, quapropter coniuges practice et *ut ita dicam* [7] vitaliter eam manifestabunt cum per sanctificationem uniuntur inter se, et sic cum Christo in Ecclesia.

2. Aequalitas iurium inter coniuges.

3. Finis naturalis procreationis prolis eiusque educatio.

4. Mutuum adiutorium.

5. Necessitas ad sanctitatem tendendi.

6. Reciprocum officium alterutrum adiuvandi ad ipsam sanctitatem; quia sanctitas coniugalis symbolum unionis inter Christum et Ecclesiam perficit et coronat.

7. Apostolatus *communitarius*: [8] sicut enim e quovis Sacramento oritur quaedam vis et obligatio apostolica divulgandi Evangelium, quia bonum est diffusivum sui, sic etiam de hoc matrimonii sacramento.

Ad n. 66. Hodiernus exequiarum ritus nimis sapit more gentium et paganorum; propterea cum pro christianis dies mortis sit dies natalis, commendandum est ut, prudenter et paulatim sed efficaciter, a templis nostris cum defunctorum exequiae vel commemorationes peraguntur, exornationes nigri coloris penitus amoveantur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] exigitur. [4] deest. [5] Christo et Ecclesiae. [6] deest. [7] deest. [8] familiaris.

6

Exc.mus P. D. ALOISIUS FAVERI
Episcopus Tiburtinus

Venerabiles Fratres Conciliares,

Pauca dicam, sed reapse pauca sicut ab omnibus optandum est ut fiat, circa Baptismi parvulorum et Confirmationis caeremonias. Mater Ecclesia in conficiendo ordine Baptismi parvulorum, magnam profudit sapientiam magnamque pietatem ita ut aliquod dramma institueret, quod, si ab omnibus intelligeretur, optimum produceret effectum. Attamen, meo quidem humili iudicio, aliqua supprimenda vel saltem emendanda sunt.

Ab ipsa aqua baptismali incipiam, quae asservatur in fonte. Bapti-

smus enim nisi fallor, dicit ablutionem seu lavacrum et haec non fiunt nisi ex aqua saltem pura et incorrupta vel non putrida, secus non fit ablutio nec mundatio sed inquinatio potius vel contaminatio. Iam vero aqua fontis Baptismatis cum in sua confectione oleum admixtum habet, post aliquod tempus corrumpitur et fit fetida et crassa. Fideles inspiciunt hanc rem et non certe aedificantur, mulieres speciatim quae ad summum munditiam proprii corporis curant.

Num necessarium proprie est miscere oleum cum aqua? Evidenter enim duo haec elementa, aqua scilicet et oleum, inter sese adversantur et per longum tempus nequeunt pacifice coexistere. Aqua quocumque modo benedicta servanda est in fonte nitida et pura, et hiemis tempore, si fieri potest, etiam calida.

Bene incipit Caeremoniale Baptismi: « Quid petis ab Ecclesia Dei? », etc., et adhibenda sit lingua vernacula. Sed mox mihi videtur male procedere cum illis tribus exsufflationibus ex parte ministri in faciem infantis: istae vero exsufflationes possunt evenire a sacerdote ex iecore laborante, et proinde non certo odorosae. Sed peius si sacerdos laboret phthysi! Et tunc potest evenire ut, dum spiritum immundum sacerdos expellere nititur et locum paret Spiritui Sancto Paraclito, immittat in corpus infantis letalem morbum. Supprimatur idcirco ista triplex exsufflatio, quae pro certo antihygienica seu contra salutem est.

Idem dicatur de immissione salis in os infantis. Placide dormit parvulus ille et ecce e somno excitatur cum labia aperiuntur et sal in os introducitur. Inde vagitus qui saepe totum ritum concomitatur! At non ex hoc evenit inconveniens, sed potius ex actione antihygienica quam sacerdos coram parentibus parat. Ista immissio salis debet et ipsa supprimi? Patres diiudicent.

Veniam adhuc, post abrenuntiationes, ad unctiones per oleum catechumenorum in pectore et inter scapulas ad modum crucis! Operatio satis difficilis! Infans enimvero nuper natus, praesertim in tempore hiemali, involvitur linteis vel immo et laneis et pellibus, et difficile est attingere nuditatem pectoris eamque ungere et bombacio abstergere, ut rituale praescribit.

Postea, ut scapulae ungantur, infans debet deorsum verti et denuo denudari; et ista operatione, valde prorsus incommoda, fit ut infans lac, quo nuper pastus est, reiciat! Quaerendum puto: nonne satis est caput ungere vel frontem, et dicere: « Ego te linio oleo salutis in Christo Iesu Domino Nostro », quin detegantur et tangantur pectus et scapulae?

Breviter ideo resumendum censeo: in solemni *baptismalis fontis benedictione,*[1] permixtio vitetur olei cum aqua, ut ista pura et casta servetur; in caeremoniis S. Baptismi parvulorum, vitentur tres exsuffla-

tiones, immissio salis in os infantis et unctio per oleum catechumenorum in pectore et unctio per oleum catechumenorum inter scapulas, cum satis sit ungere ex. gr. frontem infantis vel alias corporis partes.

De Sacramento Confirmationis haec praeterea breviter dicam: de aetate, de patrinis, de veste puellarum.

De aetate: firma sit aetas ad mentem S. Pii X pro prima Communione inter annos 7 vel 8; attamen conveniens non videtur simultaneitas primae Communionis et Confirmationis, ex duabus rationibus; primo, quia aetas 7 vel 8 annorum non est talis aetas ut possit reapse agi de milite Christi! Quid enim intelligere possunt pueri istius aetatis de lucta contra inimicos tam internos quam quos mundus praeparabit postea?

Secundo, altera ratio et quidem potior, quia post primam Communionem et Confirmationem pueri se reputant dispensatos a catechismo frequentando cum censeant iam se esse doctores in sancta theologia. Et quid evenit? Inconvenientia illa perniciosissima, videlicet ignorantia nostrae religionis, quae quidem ignorantia comitabitur pueros et puellas usque ad senectutem. Propterea necessarium est ut aetas Confirmationis retardetur saltem ad annum 12 vel 14. Hoc autem non sit per consilium Ordinariorum vel parochorum, sed per proprium auctoritativum decretum huius Sancti Concilii.

De patrinis. Ego quaerere audeo: ad quid isti patrini vel istae matrinae? Scio mentem Ecclesiae optimae matris, quae enim, instituens tum in Baptismo tum in Confirmatione patrinos et matrinas, providere voluit educationi christianae parvulorum, praebendo parentibus velut adiutores. Sed ista mens Ecclesiae omnimodo pro dolor evanuit et hodiedum de facto patrini vel matrinae aliud non sunt nisi incommodum quoddam parentibus qui difficulter eos possunt habere in promptu, tempore ipso pro sacramentis suscipiendis constituto. Augent praeterea gravamen convivale quod saepe saepius excedit in convivale lucullianum. Nihil sciunt isti patrini et nihil faciunt eorum quae Sancta vellet Ecclesia! Et idcirco non video curnam isti patrini non aboleantur vel ad summum data non sit facultas parentibus eos sumere vel non.

Dixit *quidam venerabilis Pater heri in hac aula,*[2] cuius nomen non recordor, ut patrini confessi sint et sacra Synaxi refecti, antequam se conferant ad caeremonias Baptismi vel Confirmationis.

Optimum quidem, optimum; sed puto esse fere impossibile. Melius istos patrinos supprimere.

De veste puellarum in prima Communione et Confirmatione. Non est parochus vel etiam Ordinarius qui non videat quomodo puellae propter amentiam, ut sic dicam, et vanitatem matrum accedunt prima vice ad mensam eucharisticam in veste prorsus contraria pietati et sanctitati

Sacramenti. Puellae ut parvae reginae indutae, in sua naturali vanitate tactae, plene distrahuntur et inducunt in humiliationem alias puellas quae ob inopiam pecuniae nequeunt veste illa pretiosa indui. Paulus Apostolus iterum diceret: in hoc non laudo! Sed matres vel matrinae istarum puellarum vocem parochorum et fortasse ipsa decreta Ordinariorum spernunt et fit quasi concursus vanitatis. Ad hoc impediendum inconveniens, multo plus valere censeo verbum aliquod, si non imperativum, saltem categoricum huiusce Sancti Concilii. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] benedictione fontis. [2] heri quidam venerabilis Pater Conciliarius.

7

EXC.MUS P. D. ANTONIUS MISTRORIGO
Episcopus Tarvisinus

Em.mi et exc.mi Patres,

Etiam aliqua de Unctione infirmorum.[1] Ad art. 58: Unctio infirmi regulariter locum habeat post confessionem. Est enim consummativum Poenitentiae, ut ait Concilium Tridentinum (sess. XIV, cap. 9), dum Sacra Communio est viaticum et consummativum omnium aliorum Sacramentorum, iuxta doctrinam divi Thomae (Summa Theol. III, 65, 3); et hoc congruit cum tota Traditione patristica.

Ad art. 59: Orationes quae inveniuntur in rituali romano petunt unice infirmi sanationem. Sed hoc non semper videtur aptari statui physico infirmi, qui v. g. potest esse iam sensibus destitutus. Melius esset aptare « ut vires eius reficiantur et ut voluntati divinae semper conformetur ». Pariter desiderarentur formulae magis aptae, cum sacramentum confertur sacerdoti vel personae religiosae, vel consecratae etc.

Ad art. 60: Placet quod in diuturna infirmitate, Sacramentum unctionis reiterari possit. Est enim verum solamen spirituale pro infirmo, praesertim *ubi*[2] concedatur possibilitas imminuendi unctiones; et ista reiteratio fiet etiam medium aptius ad tollendas apud fideles praeventiones et ad augendam venerationem erga sacram unctionem.

Accedo denique voto, iam expresso, habendi quam primum codicem Liturgiae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Toto corde adhaereo huic cap. III constitutionis liturgicae. Quaedam solummodo adnotare liceat ad paragraphum de Unctione Infirmorum. Ad n. 57: Placet omnino quod mutetur nomen Extremae Unctionis in

Unctionem Infirmorum, quod aptius respondet sive rei significatae sive mentalitati fidelium. Nam, primo, non agitur de Extrema Unctione, cum hoc Sacramentum non sit proprie pro morientibus, sed pro graviter aegrotantibus; ubi adverbium « graviter » non ita intelligi debet quasi non sit spes sanationis, et infirmus iamiam moriturus sit, sed « graviter » intelligendum est de morbo, quod tamen curari et sanari potest. Secundo, nuntium mortis imminentis, quod hodiernus titulus evocat, male sonat in auribus multorum, et plurimos arcet a recipiendo sacramento. De cetero, plures formulae ritus extremae unctionis spem exprimunt recuperandae sanitatis per virtutem Sacramenti. Quae inepte omnino dicerentur, si Extrema Unctio esset Sacramentum morientium. [2] ut.

8

EXC.MUS P. D. AURELIUS DEL PINO GÓMEZ
Episcopus Illerdensis

Em.me Praesul, em.mi, exc.mi et rev.mi Patres Conciliares,

Debita cum reverentia et humilitate nonnulla ex prooemio ad cap. III leviter corrigenda censeo.

Iam primis ipsius verbis, pag. 179, haec affirmantur: « Sacramenta et Sacramentalia ordinantur ad cultum debite Deo reddendum et ad hominem sanctificandum, utpote vero signa ad instructionem pertinent ». Qua quidem affirmatione nec ostenditur satis nec innuitur quantum inter Sacramenta et Sacramentalia intersit. Ut autem dolenda vitetur confusio, opportunum erit indicari in ipsa formula:

1. Sacramenta a Christo Domino instituta esse, Sacramentalia vero ab Ecclesia.

2. Sacramenta sanctificationem conferre ex opere operato, Sacramentalia vero ex opere operantis.

3. Sacramenta certo hanc sanctificationem conferre (dummodo ut a Christo Domino instituta sunt administrentur nec ex parte subiecti obsint illae condiciones quibus gratia sacramentalis obice, ut dicitur, impediatur), Sacramentalia vero, effectus suos non eadem certitudine producere.

Eadem verba: « Sacramenta, utpote signa ad instructionem pertinent », falsae interpretationi ansam praebere possunt: forsan qui legit intelligat: « Sacramenta, qua signa sunt, docere tantum, non sanctificare ». Quod quidem falsum est, nam Sacramenta sunt signa practica, quae ut causae instrumentales producunt eam gratiam quam significant.

Exemplum proponam: Baptismi Sacramentum, ut signum, consti-

tuitur actu lavandi, qui fit a ministro dum aquam fundit supra caput baptizandi, et verbis quae, dum lavat, profert. Signum vero Baptismi, his duobus constitutum, significat eam interiorem lotionem quam in anima operatur gratia sanctificans, quae vi potissimum huius signi infunditur: significat etiam purificationem, veniam, immo remissionem peccati originalis et cuiuslibet ab eo qui baptizatur commissi: haec omnia confert gratia sanctificans, quae nos, ut participatio est divinae naturae, Dei filios adoptivos efficit et aeternae beatitudinis heredes reddit. Hoc sensu possumus asserere Sacramenta, ut signa, ad instructionem pertinere, siquidem exprimunt atque nobis declarant quid quodque Sacramentum efficiat.

Similia possent de reliquis Sacramentis dici, et mutatis mutandis, eadem de Sacramentalibus quoque possunt.

Item subtilius curanda erunt quae lin. 6 eiusdem prooemii dicuntur: « Et ita eorum celebratio, nempe celebratio Sacramentorum et Sacramentalium, ad gratiam fructuose recipiendam, etiam proxime disponit ». Rectius diceretur « confert » (non « disponit »), si de Sacramentis loquatur.

Ex iam dictis et ex aliis multis rationibus quae possent adduci evidenter patet quam conveniens sit agere de Sacramentis et de Sacramentalibus in duobus capitibus distinctis. Nam sunt res distinctae, sua similitudine non obstante. Etiam melius consideranda sunt quae lin. 8 eiusdem paragraphi continentur: « Maxime proinde interest ut qui ad fidem vocantur, Baptismum verum signum fidei inveniant ». Quae verba, cum aliquos secludere videantur, negant potius homines universos ad fidem vocari, velut si alii quoque essent, quos vocatio ad fidem non tangeret. Dicendum potius esset: « Maxime proinde oporteret ut omnes, — *ut omnes* [1] —, utpote vocati ad fidem, Baptismum verum signum fidei inveniant ».

Convenienter adiiciendum credimus requiri prius in adulto, qui ad Sacramentum accedit, fidem actualem, quamvis actu careat virtute fidei, quae in recipiendo fructuose baptismo ei infundetur. Quae theologica virtus ornare etiam potest eos qui nondum baptismum susceperunt, quoties perfecta vel caritate vel contritione, gratiam sanctificantem assecuti sunt, quam semper theologicae virtutes comitantur. Sed ne tum quidem obliviscendum est virtutem fidei adquiri in ordine ad Baptismum, cuius votum, ex rei natura, in omni actu contritionis et caritatis perfectae includitur ante receptionem ipsius Baptismi.

Illustrare liceat quae praecedunt verbis S. Pauli Apostoli, qui Dominum asserit velle omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Haec voluntas salvifica secum fert complures gratias actuales,

quibus salus ipsa et veritatis agnitio possibiles evadunt, si tamen iisdem gratiis oboediamus, quae ad recipiendum Baptismum primo ordinantur.

Omnium laudum digna censemus verba in linn. 8 et 10 prooemii exarata: « Maxime proinde interest ut fideles, ad propriam vitam christianam alendam, Sacramenta impensissime frequentent ». Sed omnes cautiones sunt adhibendae ut Sacramenta recepturi perfusi accedant alto spiritu pietatis, sacrificii et probitatis, nihilque sit in vestibus, in ornatu, in situ atque in gestu, absonum sanctitatis Sacramentorum. Episcopi, parochi, sacerdotes hoc maxime curare debemus, verba pastoralia ad fideles ardenter et maxima cum frequentia faciendo.

Etiam curandum est ut Sacramenti Poenitentiae ministri sese prudenter, caute, verecunde, pie gerant, ut Sanctae Sedis documenta praescriptum habent.

Confessorum necnon moderatorum spiritus influxus summi momenti est ad omnes ambitus vitae liturgicae atque christianae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

Secretarius generalis:

Crastina, hora decima, uti intimatio annuntiat, celebrabuntur exsequiae in suffragium animarum em.morum cardinalium qui elapso anno vita functi sunt. Hoc anno Sacri Concilii placuit Sanctissimo Domino haec suffragia extendere ad animas omnium item elapso anno defunctorum exc.morum patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, aliorumque praelatorum de iure Concilii Oecumenici Patrum. Ad exsequias omnes Patres humanissime invitantur. Pro certo habemus animas benedictas Patrum apud Deum valde intercedere ut Concilii labores in maximam gloriam Dei cedant et splendidum Ecclesiae decus.

9

EXC.MUS P. D. IOSEPH SIBOMANA
Episcopus Ruhengeriensis

Venerabiles Patres,

Cum recens et improvisa mutatio ordinis procedendi in praesentatione interventionum mihi opportunitatem abstulerit consulendi fratres meos episcopos continentis Africae, Madagascar et insularum de formulatione voti mei, nomine tantum meo proprio sequentia dicturus sum. Pro certo tamen habeo quod plurimi eorum cum me consentiunt et quod dicendo mentem eorum non deformo.[1]

Plurimi ergo episcopi continentis Africae, Madagascar et insularum grati et gaudentes salutant textum n. 49, qui exoptat « ut in celebratione Baptismi, quatenus ritui christiano aptari possunt elementa initiationis, admittantur, quae apud unumquemque populum in usu reperiuntur ».

Etenim ritus Baptismi constat, non tantum elementis divinis, a divino Redemptore constitutis, quae ad essentiam Sacramenti pertinent et nullo modo ab hominibus mutari possunt, sed etiam elementis humanis: exorcismis, benedictionibus, unctionibus, et aliis symbolicis actionibus, quae, ut scripsit beatae memoriae Papa Pius XII, « prout temporum, rerum animorumque necessitates postulant, varias commutationes habere possunt » (*Mediator Dei,* P. I, c. 4).

Saepe saepius populi nostri in africanis regionibus, caeremonias nostras humanas Baptismi tamquam debita amplitudine carentes percipiunt. Unde indigent ut eas certis ritibus, e consuetudinibus eorum non christianis depromptis, complere conentur.

Ea ratione commoti, ore meo, dicti episcopi opportunitatem a n. 49 allatam, capiunt et rogant ut textus eius integer approbetur. Ita e caeremoniis religiosis originis popularis, textus, caeremonias et symbola depromere nobis licebit, quae cum consuetudinibus, fide, mente et praxi populorum nostrorum congruunt et quasi marginem administrationi Baptismi praebere possunt. Et fiat ut antiqui ritus nostri substantialiter non mutati, tamen aspectu et forma africani evadant.

Quod facientes sperare audemus ut neophyti nostri significationem initiationis christianae et incorporationis suae in Corpus Christi, quod est Ecclesia, facilius et intentius comprehendere valeant, « ad spiritualem eorum profectum, et ad totius Ecclesiae incrementum », sicut iterum scripsit beatae memoriae Papa Pius XII (ib., P. IV, c. I). Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

10

Exc.mus P. D. FRANCISCUS PERALTA Y BALLABRIGA
Episcopus Victoriensis

Em.mi ac exc.mi Patres,

Circa n. 66 nostri capitis, liceat sublineare momentum magnum quod habet celebratio exsequiarum in vita pastorali. In primis pro propinquis defuncti et amicis, qui facile Ecclesiae influxum recipient, quando eos dolor perfundit; secundo, etiam pro tota communitate paroeciali.

Non paucis, maxime ex nostris semi-paganis, exsequiae fere tantum occasionem praebent aliquid influxus ab Ecclesia recipiendi. Post diem dominicam, animarum pastor nullam habet meliorem occasionem adeundi multos christianorum.

Exsequiae prout nunc sunt, in rituali romano, his partibus constant: levatione cadaveris, processione ad ecclesiam, ingressu in templum, officio defunctorum (Matutino nempe cum Laudibus), Missa de die obitus, absolutione ad tumulum, processione ad sepulcrum, depositione cadaveris, processione ad ecclesiam.

Fatendum est has omnes caeremonias saepe saepius sine decore fieri, omnibusque nostrae aetatis potius ridiculi quam pietatis causa esse. Quapropter hac in re desideratur:

1. Maior simplicitas in ipso ritu maiorque brevitas. Multi ex hominibus intersunt funeribus quadam maiore vi coacti, suisve officiis urgentibus distracti. Novus ritus ita simplex esse deberet, ut unus Sacerdos perficere rite posset. Secus tota vita pastoralis in magnis paroeciis in celebrandis funeribus absolvi videtur.

2. Maior aptatio ritus captui fidelium quae quidem certe obtinebitur, si potior locus linguae vernaculae, in ritibus praesertim qui antecedunt et consequuntur Missam exsequialem, detur.

3. Ut dictum est, quidquid sensum nimis anxium et honorificum praebent tollenda sunt.

4. Locum ampliorem in ritu funerario obtineant textus qui sensum paschalem mortis christianae exprimant. Demptis igitur quibusdam responsoriis et lectionibus, iterum in ritum funebrem psalmi admodum paschales, 113 et 117, inserendi videntur.

5. Numquam in ipso ritu proclamatio fidei et spei christianae, homiliae ope, desit, vitata quacumque sic dicta oratione funebri, ut adstantes oratione et sumptione Eucharistiae iuvare defunctum invitentur.

6. Cum ita saepe funera celebrentur, maior varietas in formulariis Missarum pro diversis casibus, praesertim in lectionibus, haberi oportet.

7. Ubi ritus exsequiarum sine Missa fiat, numquam brevis expositio verbi Dei omittenda, tum ut fides et spes alantur, tum ut oratio pro defunctis rectius dirigatur. Dixi.

Textus scripto traditus:

Circa art. 66 pauca liceat dicere. Celebratio exsequiarum magnum habet momentum in ministerio pastorali.

Satis sit notare sequentia:

1. Doloris manifestatio, quae eos perfundit, propinquos defuncti ea conditione sistit, ut facile Ecclesiae influxus recipere aptentur.

2. Exsequiis quamplurimi viri intersunt. Non paucis, maxime semipaganis nostrarum urbium, exsequiae fere tantum occasionem praebent aliquid influxus ab Ecclesia recipiendi. Post diei Dominicae Missam, animarum pastor nullam aliam meliorem occasionem nanciscitur nec ita opportunam ut ad multos christianorum adeat.

Prout nunc est in Rituali Romano, ritus sepeliendi adultos his partibus constat: 1. Levatione cadaveris. 2. Processione ad ecclesiam. 3. Ingressu in templum. 4. Officio defunctorum, Matutino nempe cum Laudibus. 5. Missa de die obitus. 6. Absolutione ad tumulum. 7. Processione ad sepulcrum. 8. Depositione cadaveris. 9. Processionem ad ecclesiam.

Fatendum est tamen has omnes caeremonias saepe sine decore fieri, infidelibusque nostrarum urbium potius ridiculi quam pietatis sunt causa.

Quapropter hac in re desideratur:

1. Maior simplicitas in ipso ritu maiorque brevitas. Nobis praetermittendum non est, nonnullos funeribus interesse quadam maiori vi coacti, suisve officiis urgentibus distracti. Novus ritus ita simplex esse deberet, ut unus sacerdos perficere rite posset. Secus tota vita pastoralis in magnis paroeciis in celebrandis funeribus absolvi videretur.

2. Maior aptatio ritus captui fidelium, quae quidem certe obtinebitur, si potior locus linguae vernaculae in ritibus, qui antecedunt et consequuntur Missam exsequialem, datur.

3. Quidquid sensum nimis anxium et rebus humanis tictum praebet, cantus taeter, color niger in vestibus, castrum doloris, missum fieri oportet.

4. Locum ampliorem in ritu funerario obtineant textus qui sensum paschalem mortis christianae exprimunt. Christianorum mors, quamvis vera poena peccati, arcte Paschati adhaeret, transitui Domini; corona vitae est, quae inde a baptismo mortis et resurrectionis Christi iugis communicatio fuit. Demptis igitur quibusdam responsoriis et lectionibus, iterum in ritum funebrem psalmi admodum paschales, CXIII et CXVII, inserendi videntur.

5. Neque unquam in ipso ritu proclamatio fidei et spei christianae, homiliae ope, desit, vitata quacumque sic dicta « oratione funebri », ut adstantes oratione et sumptione Eucharistiae iuvare defunctum invitentur.

6. Cum ita saepe funera celebrentur, maior varietas in formulariis Missarum pro diversis casibus, praesertim in lectionibus, haberi oportet.

7. Ubi ritus exsequiarum sine Missa fiat, nunquam brevis expositio Verbi Dei omittenda, cum ut fides et spes alantur, tum quo oratio pro defunctis rectius dirigatur.

11

Exc.mus P. D. ADRIANUS DJAJASEPOETRA
Archiepiscopus Djakartanus

Em.mi ac rev.mi Patres, clarissimi Fratres Observatores,

Ad cap. III schematis, de Sacramentis et Sacramentalibus, nomine omnium episcoporum nationis Indonesiae, vobis venerabilibus Patribus paucas has observationes submittere velim:

1. Ad prooemium huius capitis, pag. 179, lin. 22 et sequentes. Ibi legitur: « Cum autem, decursu temporum, non sine fidelium detrimento, quaedam in ea irrepserint quae praedictae eorum naturae minus bene respondeant, Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur decernit ».

Proponimus emendationem hanc: « In memoriam revocatis positivis ad renovandam Liturgiam argumentis, quae in prooemio proponuntur (pag. 157), Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur decernit ».

Ratio est, quod hoc loco in schemate tamquam argumentum proximum adducuntur solummodo abusus abolendi, qui irrepserunt. Iam vero ita innuitur reditus ad formas pristinas sic dictas « puriores ». E contra mens huius Concilii et ipsius schematis est: renovare et adaptare circumstantiis vitae hodiernae.

2. Sub n. 48, pag. 180, lin. 8, his verbis enuntiatur finis catechumenatus: « Tempus catechumenatus instructioni destinatum ».

Proponimus hanc emendationem: « Tempus catechumenatus instructioni in fide et manuductioni in vitam catholicam destinatum, ut fiant membra Ecclesiae viva ».

Ratio est quod vox instructio apud legentes evocare potest ideam solius instructionis doctrinalis. Dolendum est quod in praxi aliquando catechumenatus ad solam talem instructionem reducitur. Hoc certo est contra mentem schematis. Quapropter confert ut finis plenius enuntietur.

3. Ad n. 55, pag. 181. Tractatur ritus Confirmationis, quin mentio fiat aetatis. Codex Iuris Canonici dicit: « Licet Sacramenti Confirmationis administratio convenienter in Ecclesia latina differatur ad septimum circiter aetatis annum... » etc. Haec autem aetas anni septimi minus apta videtur. Hoc enim Sacramentum plenae initiationis administrandum est aut in unitate cum Baptismo, sicut merito fit in Ecclesiis Orientalibus, aut quando Baptizatus responsabilitatem suam in Ecclesia et in mundo conscie et actuose assumere valet. Iam vero aetas septimi anni huic conditioni minime satisfacit.

Nobis autem episcopis Indonesiae magis placet alter ille agendi modus, quo Confirmatio celebratur circa tempus quo iuvenis christianus responsabilitatem suam assumit. Nam eo modo ingressus in vitam christianam publicam et adultam sanctificatur signo sacramentali. Quod generale argumentum pastorale in nostris regionibus magis urget, ubi christiana traditio adhuc deficiat.

Accurata autem aetatis determinatio relinquatur Conferentiis episcopalibus.

4. Nos autem episcopi nationis Indonesiae, hac occasione nacti,

ex corde et unanimiter laudamus principia generalia et capita hucusque tractata huius schematis. Magnopere enim respondent necessitatibus pastoralibus populi nostri. Dixi.

12

EXC.MUS P. D. VILLELMUS BEKKERS
Episcopus Buscoducensis

Venerabiles Fratres,

Nomine Conferentiae episcoporum Neerlandicae, laudo cap. III.[1] Unum velim notare, nempe quod in restauratione capitis, principia theologica sacramentalitatis ex una parte, et principia religioso-antropologica ex altera parte prae oculis haberentur.

Signum sacramentale oportet sit lucidum, facile intellectu, ita ut revera per sensibilia fideles ad invisibilia manuducantur. Quod...[2] principium sacramentale duas normas secumfert, relate ad concretam ordinationem restaurationis in schemate propositae.

1. Ipse nucleus sacramentalis omnium sacramentorum desumptus est ex universalibus symbolis naturalibus, toti humanitati communibus. Expedit proinde ut nucleus celebrationis sacramentalis remaneat idem pro universa Ecclesia, ita ut ritus sobrius, universaliter humanus, in sua structura symbolica per « verbum fidei » fiat sacramentum.

2. Ampla tamen celebratio horum sacramentorum, in qua liturgice evolvitur ipsa significatio sacramentalis, oportet sit adaptata proprio ingenio variarum gentium et quasi ex earum medullis deprompta, et hoc sensu « autochtona ». Hoc tantum modo maxime potest componi devotio personalis fidelium cum charactere sacramentali rituum liturgicorum. Quod sic probatur, *censeo*: [3] fidelis, etiam quando sacramenta suscipit, iustificatur vel vivificatur nisi per fidem in Christum Iesum, quae fides, ut docet Sacrosancta Synodus Tridentina, « est fundamentum et radix iustificationis ». Ut autem haec fides vivido et spontaneo modo sese in ritibus liturgicis exprimere valeat, oportet adsint ritus seu formae externae quae ex indole propria propriarum gentium sunt exortae et talibus gentibus non quasi ab extraneo imposita, quandoque dimicantia cum illarum proprio ingenio.

Conclusio inde sit: universalis sit in universa Ecclesia nucleus sacramentalis fundamentalis omnium sacramentorum, sed pro celebratione evolutiore et ampla huius nuclei sacramentalis, concedatur amplissima libertas, de cuius limite modo experto potest solummodo iudi-

care Conferentia episcoporum talium gentium, actis vero ab Apostolica Sede recognitis...[4] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Propositum in cap. III expressum ut ritus singulorum sacramentorum readaptentur, nomine Conferentiae episcoporum neerlandicae, maxime laudare velim. Cum autem secundum hoc schema haec concreta instauratio relinquatur cuidam coetui peritorum in re liturgica. [2] quidem. [3] deest. [4] Quantum ad particularia sequentia tantum adnotare velim:

1. Titulus cap. 3 potius sit: « de ceteris sacramentis », cum in capite praecedenti iam actum sit de sacramento Eucharistiae.

2. In prooemio huius capitis deleantur in regula prima et decima quarta post verba « sacramenta » verba « et sacramentalia », et tantummodo post cap. III seu in calce ipsius loquatur de sacramentalibus. In textu enim prout iacet indiscriminatim sacramenta et sacramentalia sub una ratione communi comprehenduntur et indiscriminatim de ambobus dicitur quod hauriunt suam virtutem ex passione Christi. Ratio propria sacramentorum ex una parte, et sacramentalium ex altera parte tali modo procedendi non plene salvatur.

3. Ad paginam 180, n. 53: omissa appellatione inter parentheses data, nempe « ordo supplendi omissa in Baptismo », haec paragraphus sic melius libelletur:

« *a*) Loco " ordo supplendi omissa super infantem baptizatum " novus ritus conficiatur ad celebrationem in communi receptionis infantis in Ecclesia ».

« *b*) Item conficiatur novus ritus ad significandam perfectam integrationem neoconversorum, iam valide baptizatorum, in Ecclesia Christi ».

Rationes harum emendationum:

Ad *a*). Ipse ritus baptismi significat iam ex seipso receptionem infantis in Ecclesia. Novus ritus potest tantum haberi ut celebratio liturgica in communi illius quod in secreto raptim est factum propter periculum mortis.

Ad *b*). Ritus quo neoconversus iam valide baptizatus incorporatur perfecte in Ecclesia habet reapse ratio significationis integrationis perfectae in Ecclesia Christi.

13

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA
Episcopus tit. Ombitanus, vic. cap. Cracoviensis

Venerabiles Patres,

1. *Valde opportunum videtur* [1] et prorsus necessarium elevari magis aspectum pastoralem in liturgia sacramentorum. Et hoc propter rationem omnino evidentem — quia una ex parte sine liturgia sacramentorum cura animarum pastoralis perdet suum valorem maxime essentialem eumque supernaturalem; altera ex parte liturgia sacramentorum sine contextu — ut ita dicam — pastorali perdet debitam sibi vim in animas. Etsi ergo circa quaestiones pastorales praevideantur forsitan schemata specialia, nullo tamen modo noceret etiam hic in introductione

cap. III quaedam verba interponere. Et tunc propono, in pag. 179, lin. 7, post omnia, quae in primo acapite *huius introductionis* [2] dicta sunt, adiungere: « Pastores autem animarum, quorum est vitam christianam in fide bene fundatam alere, sua in hac re conamina sive pastoralia sive catechetica, cum Sacramentis praesertim, etiamque cum sacramentalibus intime coniungant ».

2. Sub eodem aspectu pastorali oportet etiam dicere aliqua circa par. 2, de sacramentis initiationis christianae. Prout enim ex textu huius paragraphi videtur, ipsa notio « initiatio christiana » habet sensum etiam pastoralem. Initiatio *utique* [3] fit per sacramenta in primis Baptismi, deinde etiam Confirmationis. Sed — ut videtur — initiatio fit non tantum per ipsum Baptisma, sed etiam per catechumenatum, quo durante homo adultus praeparatur ad totam suam vitam modo christiano ducendam. Praeparatur ergo, ad minus mediate, etiam ad cetera sacramenta, quorum ope vita humana revera christiana redditur. Tunc initiatio videtur aliquid amplius quam sola susceptio Baptismi vel etiam postea Confirmationis.

Talis extensio notionis « initiatio christiana » maximi debet esse momenti praesertim nostris temporibus, quando etiam homines baptizati non sunt eo ipso sufficienter initiati in totam veritatem vitae christianae. Problema hoc autem quam maxime spectat ad curam animarum nostramque actionem pastoralem et catecheticam.

Unde videtur esse valde opportunum et forsitan necessarium ad gravitatem huius problematis assignandam in n. 51, ubi sermo est de Baptismate parvulorum, aliqua verba de onere initiationis in sensu pastorali et catechetico *adiungere.* [4] Clarum est enim Baptisma parvulorum nullo catechumenatu *in sensu pastorali* [5] anticipari. Loco proinde verborum *quae ibi sunt* [6] « partes etiam parentum et patrinorum in ipso ritu melius in luce ponantur », propono alia verba quae forsitan magis rem explicant:

« Cum autem Baptisma parvulorum non habet praeviam praeparationem, id est catechumenatum, eodem sensu ac Baptisma adultorum, tunc partes parentum et patrinorum melius in luce ponantur etiam in ipso ritu. Parentes ergo et patrini in Baptismate eo modo tractentur, ut sciant haec omnia, quae ad initiationem christianam pertinent quoad instructionem religiosam catholicamque educationem sibi gravissime incumbere ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Primo: Videtur valde opportunum. [2] deest. [3] deest. [4] addere. [5] deest. [6] deest.

14

Exc.mus P. D. VILLELMUS VAN BEKKUM
Episcopus Rutengensis

Venerabiles Fratres,

Quod ante aliquot dies expositum est...[1] sub respectu concelebrationis, de sensu nempe communitario populorum sicuti continentium Asiae, Africae et Americae meridianae, id confirmare et complere velim sub respectu sacramentorum et sacramentalium...[2]

Loquor immediate...[3] de populo nostro sed idem fere probabiliter valebit de plerisque Ecclesiis noviter erectis.

Sensus communitarius totam vitam religiosam horum populorum pervadit. Raro enim actibus individuorum tantum religio exercetur, semper fere actibus communitatis, puta gentis vel pagi; et exercetur ritibus, qui totum hominem requirunt, verbis et gestibus, qui ab omnibus intelliguntur. Maxime autem haec fiunt iis momentis, quae sacramentis Ecclesiae quasi respondent: in nativitate, in initiatione pubescentium, in nuptiis, in ritibus reconciliationis et expiationis, in ritibus pro morientibus et defunctis...[4]

Conversis autem ex istis populis ad fidem catholicam, temporibus anteactis apud nos vix quidquam actuosae participationis obvenit, quod illi sensui communitario et quasi-sacramentali respondisset, ne in celebrationibus sacramentorum et sacramentalium quidem, uti usque adhuc in Rituali Romano disponuntur.

Utique recentissime — et hoc grato animo profiteor — a Sacra Rituum Congregatione in *Instructione de Musica Sacra et de Sacra Liturgia* via quaedam nobis episcopis Ecclesiarum noviter erectarum feliciter aperta est. Vi enim illius Instructionis nobis nunc licet, ritus romanos a mentibus nostrorum alienos circumdare piis exercitiis quae mentalitati populorum istorum melius correspondent...[5]

Optandum est, ut hac in via ulterius et expeditius progredi liceat, et quidem duplici sensu:

1. Ut ritus sacramentorum et sacramentalium, in quantum sunt iuris ecclesiastici et ad universam pertinebunt Ecclesiam, tales sint, qui per universam Ecclesiam facile intelligantur, ideoque ad modum loquendi et agendi Sacrae Scripturae magis accedant. Simul opus est, ut induant indolem magis personalem, ita scilicet ut persona Christi tamquam ministri principalis magis illucescat e ritibus sacramentorum, cum ipse sit sacramentum primarium. Hoc ideo etiam necesse est, quia

hoc modo suspicio actionis magicae removetur. Ritus tales sint quasi nucleus qui per singulas nationes vel regiones facile ritibus introductoriis et conclusivis secundum indolem populorum circumvestiri valent...[6]

In multis sufficit reditus ad puriorem traditionem romanam, cuius simplicitas animae naturaliter christianae ubique terrarum et omni tempore placet.

2. De Sacrarum Ecclesiarum particularium piis exercitiis, optandum est ut haec tamquam vera sacramentalia agnoscantur.

Verum est, si supradicta conceduntur, in quibusdam Liturgia Ecclesiarum noviter erectarum a Liturgia romana discrepabit. Sed cur istis populis non licebit quod S. Ambrosio licuit? Qui de quodam ritu Ecclesiae suae Mediolanensis a ritibus Ecclesiae Romanae discrepante, illud effatum protulit, quod Beatissimus Pater dominica elapsa hac in aula coram nobis in homilia citavit: « Sed tamen et nos homines sensum habemus ».

Sicut Mediolanenses non obstantibus diversitatibus ritualibus, quas nos cuncti cum gaudio hic prae oculis vidimus, fideles filii Ecclesiae Romanae remanserunt, ita etiam Indonesi, Africani, Asiatae, Americani, quamvis in sacramentis et sacramentalibus celebrandis interdum sequantur sensum suum, tamen fidelitate erga S. Petrum a Mediolanensibus non superabuntur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] a rev.mo ep. Van Cauwelaert, et quidem nomine episcoporum Africanorum, Madagascar et Insularum. [2] relate ad schematis nn. 64 et 47. [3] — et quidem nomine simul 24 coepiscoporum meorum ex Indonesia et etiam nomine 15 aliorum episcoporum —. [4] Concluduntur autem hi ritus conviviis sacris, quibus Numini divino vel etiam spiritibus defunctorum communicare sibi videntur. [5] Inde iam orta sunt inter nos illa « sacrarum Ecclesiarum particularium exercitia, quae de mandato episcoporum celebrantur » ac, sicut in n. 9 huius schematis optime dicitur: « speciali dignitate gaudent ». [6] (secundum n. 9 schematis, ubi commemorantur sacra Ecclesiarum particularium exercitia).

15

Exc.mus P. D. EUGENIUS D'SOUZA
Archiepiscopus Nagpurensis

Venerabiles Patres,

Pauca velim dicere circa potestatem Conferentiis episcoporum concedendam pro aptatione Liturgiae in administratione Sacramentorum. In n. 47 clare statuitur: « Ritualia particularia, singularum regionum

necessitati apta, a Conferentiis episcoporum quam primum parentur ». Optime quidem, sed scire velim quid haec verba importent. Quaero utrum omnes Conferentiae episcoporum hac facultate gaudent an Conferentiae episcoporum in Missionibus ab hac facultate excludantur?

Ratio dubitandi est quod in n. 47 refertur ad n. 21 huiusce partis, non autem ad n. 22, ubi explicite agitur de Conferentiis episcoporum in missionibus.

Si Conferentiae episcoporum in Missionibus hac facultate fruerentur, exsultabimus quidem gaudio maximo. Sed scire velim quinam termini (seu limites) positi sint potestati Conferentiarum episcoporum in aptatione Liturgiae Sacramentorum. N. 47 circa hoc silet. Nn. 47 usque ad 63 attente perlectis, nihil plus elucet. In n. 62 aptatio ritus matrimonii consideratur, sed intra quos limites haec aptatio fieri possit non clarius proponitur.

Quaero igitur utrum potestas Conferentiarum aptandi Liturgiam Sacramentorum extendat ad totum ritum ipsum administrandi Sacramenta (in parte sua mutabili, uti patet), an extendat tantummodo ad usum linguae vernaculae. Si potestas extendat et ad totum ritum et ad usum linguae vernaculae, optimum est. Hoc est quod exspectamus a Concilio, quia revera necessarium est ad propriam aptationem. *Permulta inveniuntur, imprimis in ritibus administrandi Sacramenta, quae populis nostris nihil omnino significant, ideoque aptanda sunt secundum conditiones locales. Patet ergo Conferentiis episcoporum in Missionibus notum debere esse quinam limites positi sint pro aptatione hac Liturgiae.*[1]

Quaestio maximi momenti hic se praesentat. In n. 47 legimus Sanctam Sedem parare novam editionem Ritualis Romani, in quo clare indicabuntur quaenam partes in lingua vernacula adhiberi possint. Quaero num omnes Conferentiae episcoporum, quae ritum in administratione Sacramentorum necessitatibus propriis suae nationis vel regionis aptare debent, teneantur abstinere ab aliis partibus in linguam vernaculam vertendis. Cum omni reverentia loquor, sed omnino absonum mihi videtur perpulchras orationes et lectiones in administratione Sacramentorum adhibitas recitare in lingua omnino aliena, ita ut nec populus adstans, nec ipse Sacramentum recipiens, quidquam intelligat. Hoc nunc facimus quia Ecclesiae filii oboedientes sumus. Sed proh dolor! populi nostri intelligere non valent cur uni linguae latinae, quae denique tandem olim fuit lingua vernacula alicuius partis tantum Ecclesiae universalis, tantum momentum tribuatur, ut etiam bonum spirituale fidelium ac eius devotio cedere debeant dominationi huius linguae alienae.

Candide loquor: ego non video cur etiam forma seu ipsa verba es-

sentialia Sacramentorum in lingua vernacula adhibere non possimus. Animo submisso quaero: num forma Sacramentorum debeat adhiberi in lingua latina ut Sacramentum sit efficax? Lingua vernacula pro « forma » adhibita, an Sacramentum carebit effectu?

Formam latinam adhibemus, quam nullus adstantium intellegit, et quae apparet ut forma quaedam magica, sicuti habentur in nostra patria apud alias religiones non christianas. Dum pulchrae illae *formae,*[2] lingua intelligibili pronuntiatae in momento solemnissimo administrationis Sacramenti, possent esse fons devotionis et propriae intellectionis sanctitatis Sacramenti. Cogitate v. gr. de forma absolutionis in Sacramento Poenitentiae, de forma Unctionis infirmorum.

Dolendum est quod nonnulli ex nobis adhuc adhaereant formis et symbolis obsoletis. Quid dicam de illis qui habitantes in altis, tamquam dii Olympi sedentes in turribus suis, despiciunt et spernunt quidquid deorsum videant in mundo? Meminisse iuvabit illis, Ecclesiam catholicam non tantummodo hic Romae sitam esse, *et existere.*[3] Nonne Sacramenta propter homines? Nonne Sacramenta propter hoc a Christo sunt instituta ut natura humana fusius in unoquoque momento et in unaquaque conditione vivificetur? Nonne igitur ritus et Liturgia Sacramentorum ita disponere debeantur, ut arcte cum vita humana coniungentur?

Ideoque, venerabiles Patres, attentis peculiaribus circumstantiis regionum nostrarum in Missionibus, rogo vos ut Conferentiis nostris episcopalibus concedere velitis ampliorem potestatem, qua revera seriam et non mere superficialem aptationem necessitatibus populorum nostrorum inducere possimus in Liturgia pro administratione Sacramentorum. Etiam rogo vos ut potestatem concedendam clare et aperte definiatis, et terminos indubitanter statuatis. Nisi Sacrosanctum Concilium hoc faceret, potestas concessa Conferentiis sicuti in praeterito fere inutilis evaderet. *Animo submisso loquor:*[4] non timeo Petrum, et addo non timeo Petri adiutores proximos, sed timeo aliquos peritos *et « minutanti »*[5] Sacrae Congregationi adiunctos, qui uno tractu calami et duobus tantum verbis « non expedire » recusare faciunt quod episcopi plures in Conferentia coadunati tanto labore examinaverunt et denique tandem statuerunt ut optimum in circumstantiis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Nonne vobis videtur Concilii opus esse clarius et distinctius definire limites huius potestatis? [2] formulae. [3] deest. [4] deest. [5] deest.

16

Exc.mus P. D. ALCIDES MENDOZA CASTRO

Episcopus tit. Metrensis, aux. Abancaiensis

Venerabiles Patres,

Quamvis schema *de sacra Liturgia* nobis propositum, quoad praxim pastoralem satis placeat, quamdam *animadversionem* [1] ad vestram considerationem proponere velim.

Quoad Baptismum.

1. Pag. 180, n. 50, linn. 15 et ss., addatur « et concedatur a iure omnibus qui in ministerio paroeciale laborant facultas adultos baptizandi sine recursu ad Ordinarium loci », quia Sacramenta propter homines et non propter Curias episcopales.

2. Eadem pagina, lin. 1, facultas hic demandata iam concessa est quibusdam regionibus, ut Peruvianae Reipublicae. Sed optandum esset, si concessa sit universae Ecclesiae, ritus benedicendi aquam Baptismatis aptetur ad difficultates locorum et sic non exigatur infusio sacri Chrismatis et Olei sancti in aquam, sed tantum fiat tactus digitus sacerdotis cum oleo et Chrisma, aquam tangens.

Quoad Poenitentiam.

Nemini ignota est conditio penuriae sacerdotum pluribus in regionibus, in quibus sacerdos unicus confiteri debet in die centenas fidelium multas. Istis in adiunctis formula absolutionis valde est longa, et etiam quamdam incohaerentiam habet, ut quando dicitur « Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis et interdicti » puero qui nondum octavum aetatis annum agit.

Ad n. 56, pag. 181, lin. 10, humili cum iudicio velim adiungi: « et formula absolutionis fiat brevior, ita ut tantum essentiam Sacramenti exprimatur »; sic: « Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen », et nihil amplius. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] adiunctionem.

17

EXC.MUS P. D. ANDREAS WRONKA
Episcopus tit. Vatarbensis, aux. Gnesnensis

Venerabiles Patres,

Prima animadversio respicit introductionem in cap. III (pag. 179).

a) Valde desiderandum est ut in capitibus schematis *de sacra Liturgia,* in introductoriis notis indicetur quod in singulis actibus liturgicis efficitur personalis relatio Christi cum fidele: hoc ad mentem principiorum generalium ex cap. I.

Necesse est ut oratio semper eo redeat unde digressa est, quod cum gaudio legimus in cap. V, *de anno liturgico.* In sacramentis haec personalis relatio inter Christum et fidelem fit in re.

Talis paedogogia sacramentalis erit efficacior formandae spiritualitati christianorum, quae ex decretis huius Sacrosanctae Synodi hauriet inspirationem. Insuper consentit magis cum animo hodiernae mentis, qui facilius capitur dulcedine personae Christi quam scholasticis formulis.

b) Agitur in nostro schemate de Liturgia, uti instrumento vitae christianae. Quam ob causam valde commendatur, ut singuli actus liturgici in singulis capitibus schematis denominentur semper eodem nomine generali, nempe « mysteriis paschalibus », sicut bene scriptum est in nostro cap. III. Nam verbo « mysterium » subiecta est notio cum doctrinalis, tum vitalis, nempe mysterium significat actum redemptivum Christi, in quo fidelis aliquomodo participare potest. Et ad talem activam participationem haec Sacrosancta Synodus vult fidelibus viam sternere.

Secundo. a) Ad pag. 179, in linn. 22, 23, 24 omittenda videntur, *ut iam dictum est,*[1] verba « non sine fidelium detrimento ». Ratio est: quia Liturgia sacramentorum, etiam in praesenti statu fidelibus profuit et prodest.

b) Verba: « quaedam in ea (scl. sacramenta) irrepserint », melius mutanda in: « quaedam in ritum sacramentorum irrepserint ». Ratio est quia sacramenta et ritus non sunt idem.

c) Loco: « respondeant », *humiliter*[2] propono: « eluceat ».

Hoc enuntiatum haberet ergo tenorem: « Cum autem decursu temporum, quaedam in ritum sacramentorum irrepserint, et eo praedicta eorum natura minus bene eluceat, Sacrosanctum Concilium... » etc.

Tertio. Ad n. 47. *a*) In dispositione rerum in Rituali Romano desi-

deratur melior prospectus. Indices tum ritualis, tum appendicis, colligantur in unum. In appendice exstent solummodo perpaucae benedictiones in favorem episcoporum reservatae. Sublatis omnibus aliis reservationibus, benedictiones valeant impertire ex se sacerdotes, qui iurisdictione gaudent.

b) Instructionibus pastoralibus et *ritualibus*[3] singulis ritibus praemittendis exemplo sint eae in secunda parte emendata Pontificalis Romani, *quam maxime laudo.*[4]

Quarto. Ad n. 55, de ritu Confirmationis. Addantur:

a) Administrationem Sacramenti praecedat catechesis mystagogica.

b) Ipsa administratio Sacramenti introducatur dialogo cum confirmandis de obligationibus confirmandorum.

c) Confirmandi recitent Symbolum et Orationem dominicam ante Confirmationem. Suppleant id quod in Baptismate emiserunt ore patrinorum.

d) Confirmandi renovent promissiones Baptismi.

e) Formulam Trinitariam Confirmationis comitetur unicum signum crucis, non tria signa crucis.

f) Indicetur in Pontificali, quae impositio manuum pertinet ad essentiam *Sacramenti Confirmationis.*[5]

Et, cum magno tremore et timore:[6]

g) Cara nobis traditione formula sacramentalis Confirmationis phonetice praebet *aliquibus ex nobis*[7] difficultatem pronuntiando verba: « Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis »...[8]

Quinto et ultimo: Sacrosanctum Concilium rogatur ut addat novam paragraphum, de aetate confirmandorum, — hic aut in schemate de disciplina sacramentorum:

« Si in aliquibus regionibus gravis ratio pastoralis id postulat, Confirmatio, de iudicio Ordinarii loci, ad inferiorem aetatem puerilem differatur ».

Ratio: Nostris temporibus in aliquibus regionibus Confirmatio est exoptata occasio ad convocationem iuvenum, longioris catechetica instructionis causa. Eo consulitur religiosae instructioni. Licet auxilia supernaturalia ex Confirmatione sint in tenera aetate provectui vitae religiosae valde necessaria, tamen in regionibus pauperibus mediorum auxiliarium instructionis christianae, practica administrandae Confirmationis paulo aetate posteriore videtur esse iusta. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] rubricalibus. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] Aliquibus nimiam difficultatem.

18

EXC.MUS P. D. IOSEPH MALULA

Episcopus tit. Attanasensis, aux. Leopoldpolitanus

Venerabiles Fratres,

Propter mutationem in ordinem interventionum introductam, tempus mihi relictum non fuit ut approbationi omnium episcoporum continentis Africae, Madagascar et Insularum textum quem lecturus sum subiciam. Loquor ergo proprio meo nomine, sed spero et pro certo habeo textum meum exprimere opinionem et mentem plurimorum dictorum episcoporum.[1]

Venerabiles Fratres,

Multi episcopi continentis Africae, Madagascar et Insularum, ore meo, laeto animo nn. 47, 64 et alios approbant, quibus commendatur ut super ritualis romani editione, ritualia particularia, singularum regionum necessitatibus aptata a Conferentiis episcopalibus quam primum parentur.

Commendatio enim ista perfecte respondet principiis quae ultimi praesertim Romani Pontifices toties enuntiaverunt, quoties de problematibus Missionum acturi erant. Nempe, quod « Ecclesia catholica ethnicorum doctrinas neque despexit neque respuit, sed eas potius, a quovis errore et a quavis impuritate liberatas, christiana sapientia consummat atque perficit. Ita pariter eorum ingenuas artes ac liberales disciplinas peculiares quoque populorum mores eorumque tralaticia instituta quodammodo consecrat » (*sunt verba desumpta ex Encyclica « Evangelii Praecones » Pii XII dulcissimae memoriae*).[2]

Laetamur ergo quod hodie episcopis totius orbis occasio praebeatur approbandi antiquum principium diversitatis in unitate, et hortandi omnes populos, omnes gentes et culturas ut sicut et Magi Orientis in Epiphania, Christo et Ecclesiae offerant quod optimum et pulcherrimum possident.

Populi nostri, quorum tota societas et vita elementis religiosis perfusae sunt, cultum christianum non amplius tamquam ab extrinseco, etiamsi beneficium, impositum considerabunt, si eis primum licet Ecclesiam in regionibus suis ornare gemmis pretiosis spiritus proprii, cordis proprii et artis propriae. Cum gaudio tunc cultum christianum in

crescentem culturam suam introducent, quae ita pro futuris saeculis signabitur indelebili charactere Christi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (Pius XII in encycl. *Evangelii Praecones*).

19

EXC.MUS P. D. FERDINANDUS ROMO GUTIERREZ
Episcopus Torreonensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Anxietates meae, ne proponenda ad schemata de disciplina Sacramentorum remittenda essent, adquietatae sunt hac hodierna concessione de ipsis loquendi.[1] Ideo, venia vestra, duas tantum quaestiones proponere vellem, quas brevitate qua possim exponam, quia videntur momento opportunae, et credimus in earum propositione interpretari quod in votis est multorum episcoporum tum *Mexicanae ditionis,*[2] tum Americae Centralis, tum etiam Columbianae Nationis, praesertim eorum qui inopia sacerdotum constringuntur, et multa quae ad apostolatum pertinent, religiosis laicis, religiosabus, vel etiam saecularibus apostolis commendant.

Ex his haec pauca de administratione Eucharistiae et de Confirmatione dicam...[3]

1. De administratione Sanctissimae Eucharistiae.

Nihil praeiudicans de statuendis circa possibilem quaestionem num receptio Sacramenti Eucharistiae Missae celebrationi intimius coniungi oporteat, peto a venerabilibus Patribus ut attentio fiat in opportunitatem...[4]

Praeses card. GILROY: Habeas me excusatum, sed non tractatur de hac re in hoc capitulo. Ad aliam rem transeas...

Orator: *Unam solam propositionem tunc dicam de Confirmatione ad n. 55. Ideo ego dicebam esse vere anxium num fortasse esset de hoc momento...*[5]

Ut attentis incommodis, quae ex prolixo confirmandorum numero, et ex angustia locorum, et ardente calore regionum et aliis oriuntur, ritus Confirmationis ita recognoscatur et reformetur ut, si fieri possit, ultimis actualibus precationibus impositioni generali manuum coniunctis, locus ultimus relinquatur pro unctione in fronte uniuscuiusque facienda, ut illa recepta confirmati quam primum e loco exire valeant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Mexici. [3] Loquitur schema propositum a commissione conciliari de celebratione Missae et de administratione singulorum sacramentorum in specie, sed nulla mentio fit de administratione Ss.mae Eucharistiae extra Missam fidelibus facienda et quae hucusque a sacerdote vel diacono solummodo licite potest administrari. [4] statuendi vel saltem considerandi in hoc schemate conciliari possibilitatem concedendi ut saltem aliqui fideles qui in circumstantiis specialibus clare determinatis inveniantur, possint sibi ipsis administrare Ss.mam Eucharistiam. Clarum apparet, ex periculis ne in irreverentiam erga tantum Sacramentum conferat, nullo modo cogitari posse de permittenda tali administratione omnibus fidelibus. Sed cogitemus esse in populo christiano fideles qui speciali modo sive ad propriam perfectionem sive ad zelum animarum fovendum, magnopere egent tam caelesti alimento et ex peculiari conscientia collegialiter actuata, omnia pericula remota tenerent in tanto sacramento tractando et custodiendo. Tales fideles possent esse Moniales claustro impeditae, atque religiosi et religiosae, necnon et catechistae vel apostoli saeculares utriusque sexus, qui ex munere a competenti auctoritate (episcopali vel paroeciali) commisso, dedicantur in remotioribus regionibus ad apostolicum opus praeparandi vel infideles ad Baptismum, vel fideles ad alia sacramenta, quin pro eis adsit auxilium et solamen recipiendi Corpus Dominicum, eo quod sacerdos valde distans remaneat, vel nonnisi post hebdomadam ad eos possit remeare. Pro his tantummodo credimus posse cogitari de tali concessione, et ideo vestrae considerationi subiicere audeo has propositiones, quibus a commissione competenti locus in schemate inveniatur: 1) Concedatur ut sacerdos aegrotans possit sibimetipsi sacram communionem administrare, et etiam, si surgere non possit, per manum religiosi vel pii laici recipere possit; 2) concedatur episcopis facultas permittendi sacram communionem propria manu sibi administrandam iis fidelibus qui vel ex voto religioso impediuntur e domo egredi, vel ex munere competenti auctoritate commisso ad opera apostolatus collegialiter dedicantur, in regionibus ubi saltem per hebdomadam nulla praevideatur possibilitas accedendi sine gravi incommodo ad sacerdotem, et dummodo constet illos servaturos omnia quae ad reverentiam in tantum Sacramentum requirantur. Haec proposui quae, vestrae considerationi subiecta, utinam in bonum fidelium et Ecclesiae contributum praestent. [5] Ad cap. III. 3° Quoad Confirmationem haec proponimus (n. 55):.

20

EXC.MUS P. D. FIDELIS GARCIA MARTINEZ
Episcopus tit. Sululitanus

Venerabiles Patres,

In cap. III schematis constitutionis, de Sacramentis et Sacramentalibus, pag. 181, n. 60, una tantummodo haecque brevissima observatio.

Quaestio: quando et quibus conditionibus Sacramentum Extremae Unctionis seu Unctionis infirmorum in eadem infirmitate valide aut licite iterari possit, *quaestio haec, inquam, non est* [1] liturgica sed

doctrinalis seu dogmatica, inter theologos disputata; unde, casu quo Sanctum Concilium hic intendat definire, ea parti dogmaticae constitutionis de Sacramentis esset deferenda. Igitur haec paragraphus sub n. 60 contenta, supprimenda videtur, *eo vel magis quod eius textus forma generali et indefinita qua exhibetur, non consonus appareat, saltem primo aspectu, doctrinae S. Thomae, Conciliorum Florentini et Tridentini, Ritualis romani et Codicis Iuris Canonici.*[2] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quaestio est non. [2] deest.

Praeses card. GILROY: Loquatur exc.mus D. Aemilius Tagle, et tunc transeamus ad sermones audiendos de cap. IV eiusque articulis...

21
EXC.MUS P. D. AEMILIUS TAGLE COVARRUBIAS
Episcopus Vallis Paradisi

Venerabiles Patres,

Quae dicere volui de Unctione Infirmorum iam dicta optime sunt hodie a pluribus Patribus; nempe argumenta doctrinale et pastorale quae favent nomini « Unctio infirmorum » potius quam aliud nomen « Extrema unctio », quod tantum unum ex duobus finibus huius sacramenti indicat et fideles nostros a receptione sacramenti saepe repellit.

Ad art. 55, de ritu Confirmationis addo: ob ingentem numerum confirmandorum, qui saepe saepius, in nostris dissitis regionibus habentur, praesens ritus magnum incommodum nobis imponit. Etenim omnes *confirmandi*[1] etiam post unctionem iam illis impositam, debent cum illorum patrinis expectare forsitan mediam vel integram horam, ad completionem ritus collectivi, cum magno detrimento patientiae et pietatis omnium.

Peto itaque ut, modus inveniatur ut, saltem in casibus specialibus, huiusmodi confirmati statim post unctionem receptam templum relinquere possint. Has...[2] petitiones facio nomine multorum episcoporum e variis regionibus Americae latinae qui idem sentiunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] confirmati. [2] duas.

Secretarius generalis: Incipit disceptatio de cap. IV, scl. de Officio divino, quod ita incipit: « Summus Novi atque aeterni Testamenti Sa-

cerdos, Christus Iesus, " humanam naturam assumens, terrestri huic exilio hymnum illum invexit, qui in supernis sedibus per omne aevum canitur. Universam hominum communitatem ipse sibi coagmentat, eamdemque in divino hoc concinendo laudis carmine secum consociat " » et reliqua...

22

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi quattuor puncta proponere:

1. Reformetur translatio psalmorum in linguam latinam ita ut sensum textus originalis hebraici quemadmodum eum enucleavit editio psalmorum piana retineat, sed utatur lingua latina non classica sed lingua Ss. Patrum, id est: remaneat textus Vulgatae quousque refert recte textum originalem; si textus Vulgatae non concordat cum textu hebraico, consulatur Psalterium S. Hieronymi iuxta Hebraeos; et si etiam hoc non concordat cum originali, tunc demum formetur novus textus, sed lingua Ss. Patrum. Exemplo sit translatio psalmorum quam nuper edidit P. Weber, O.S.B., iuxta principia, quae sequitur Romana S. Hieronymi Abbatia.

Ratio est quia haec videtur unica via ad restituendam unitatem in recitandis psalmis inter clerum regularem et saecularem, inter clerum cantantem et clerum recitantem sacros psalmos.

2. Thesaurus S. Scripturae et Ss. Patrum multo melius exhauriatur quam in novissimo Breviario et etiam in antecedentibus Breviariis.

3. Restituatur rhythmus inter recitationem psalmorum et lectionem Sacrorum Librorum, praesertim in Matutino, ita ut non oriatur taedium propter nimium numerum psalmorum recitandorum continue. Renovetur etiam possibilitas anticipandi Matutinum cum Laudibus ut maneat locus orationi mentali sacerdotis ante Missam.

4. Et nunc loquor etiam nomine Conferentiae omnium episcoporum linguae germanicae in Europa centrali et etiam in missionibus.

Valde dolendum est cognitionem et usum linguae latinae in dies diminui, sed, quia in multis regionibus maior pars candidatorum pro sacerdotio venit ex scholis publicis superioribus, et non est in potestate Ecclesiae dirigere curriculum studiorum harum scholarum, amor fraternus erga sacerdotes iuniores nos impellit et cogit, viam quaerere, qua eos liberemus ab onere, quod vix portare possunt.

Rogo ergo humiliter, ut episcopis sive singulis, sive Conferentiis nationalibus, recognitis a Sancta Sede actis, ut detur eis facultas dispensandi a recitatione divini Officii in lingua latina in favorem linguae vulgaris, ubi cognitio linguae latinae est valde deficiens nec spes fundata adest hunc statum penitus mutatum iri. Dixi.

Textus scripto traditus:

Quoad Officium Divinum liceat mihi quattuor puncta proponere:

1. Translatio psalterii in linguam latinam ita reformetur, ut sensum textus originalis, sicuti editio Piana eum enucleavit, retineat, sed lingua utatur temporis S. Hieronymi, id est: Textus Vulgatae maneat inquantum recte transfert textum originalem; ubi non concordat cum textu hebraico, consulatur psalterium S. Hieronymi iuxta Hebraeos; si etiam hoc non concordat, formetur nova translatio, sed in lingua temporis patrum. Exemplo sit translatio psalmorum, quam nuper edidit P. Weber O.S.B. iuxta principia, quae sequitur Abbatia S. Hieronymi Romana.

2. Thesaurus S. Scripturae et Ss. Patrum multo magis exhauriatur quam in novissimo Breviario et etiam in antiquioribus.

3. Restituatur rhythmus inter recitationem psalmorum et lectiones S. Scripturae et Ss. Patrum in Matutino ne taedium oriatur per nimium numerum psalmorum continue recitandorum. Renovetur possibilitas anticipandi Matutinum et Laudes, ut locus maneat meditationi sacerdotis ante Missam.

4. Et nunc loquor etiam nomine conferentiae omnium episcoporum linguae Germanicae in Europa centrali et in missionibus; maxime quidem dolendum est cognitionem et usum linguae latinae in dies minui, sed quia in multis regionibus maior pars candidatorum pro sacerdotio venit ex scholis superioribus publicis et in potestate Ecclesiae non est curriculum studiorum harum scholarum dirigere, amor fraternus erga sacerdotes iuniores nos cogit, viam quaerere, qua eos ab onere liberemus, quod ferre vix possunt. Quare rogo, ut episcopis vel conferentiis nationalibus actis a S. Sede recognitis detur facultas dispensandi a recitando Officio Divino in lingua latina, ubi cognitio linguae latinae valde insufficiens est neque spes adest legitima rem funditus mutatum iri.

23

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres Conciliares,

Loquor de his quae pag. 186, n. 69, et pag. 188, n. 77 sub litt. b) continentur.[1]

Psalmi nunquam satis celebrantur. S. Athanasius librum Psalmorum prae ceteris libris S. Scripturae extollit quia « quasi paradisus, omnium

reliquorum fructus in se continet ». S. Thomas asserit « Psalmis generalem totius Theologiae materiam comprehendi ». Ipse Lutherus clamabat: « Spiritus Sanctus videtur omnia in librum Psalmorum velut in compendium coegisse, ut fructu Scripturarum non privarentur ii, quibus ad totam Scripturam legendam tempus non superest ».

Attamen in recitatione Officii divini, maxime si fiat sermonibus vernaculis vel popularibus, a monialibus et a laicis *saltem,*[2] puto aliquot Psalmos esse omittendos: ii sunt qui imprecatorii appellantur. Etenim non est qui non videat quam acriter animos percutere possint, e. g. versiculi 23-29 Psalmi 68, quibus Psaltes castigationem inimicorum postulat his verbis: « Fiat mensa eorum laqueus ipsis, et amicis tendicula. Obscurentur oculi eorum, ne videant, et lumbi eorum fac semper vacillent. Effunde super eos indignationem tuam, et aestus irae tuae comprehendat eos. Habitatio eorum devastetur, et in tabernaculis eorum ne sit qui habitet... Deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur ».

Item Psalmus 108 fere totus: « Suscita impium contra eum, et accusator stet a dextris eius. Cum iudicabitur, exeat condemnatus, et deprecatio eius irrita sit. Dies eius fiant pauci, munus eius accipiat alter. Filii eius orphani fiant, et uxor eius vidua », etc.

S. Thomas Aquinas, sapientia et perspicuitate quibus eminet, optime interpretatur et explicat imprecationes psalmorum, cum dicit eas accipiendas esse aut per modum praenuntiationis, non per modum optationis, aut per modum utique optationis, ita tamen ut desiderium optantis non referatur ad poenam hominum sed ad iustitiam Dei punientis, vel ut desiderium referatur ad remotionem culpae, non ad ipsam poenam.

Nihilominus quia exegesis biblicae satis periti non sint, multi facile in huiusmodi iris et exsecrationibus contra proximum offenderentur.

Similiter dubito an opportunum sit ponere in ore imperitorum, quorum infinitus est numerus, Psalmos in quibus animarum conditio ultra sepulcrum valde obscura apparet, e. g. in Psalmo 87, versiculis 11-13: « Num pro mortuis facis mirabilia? An defuncti surgent, et laudabunt te? Num enarratur in sepulcro bonitas tua, fidelitas tua apud inferos (scl. in Sceol)? Num manifestantur in tenebris mirabilia tua, et gratia tua in terra oblivionis? ».

Item Psalmo 113, versiculo 16: « Non mortui laudant Dominum, neque ullus qui ad inferos descendit », *nempe in Sceol, in commorationem animarum.*[3]

Profecto populus hebraicus immortalitatem animae semper credidit, sed conditionem seu statum animarum in altera vita Hebraei, certo

quidem antiquiores, perfecte non cognoverunt. Dogma futurae retributionis, quod iam in libris Sapientiae et Machabaeorum splendet, aetate superiore non erat omnibus manifestum. Ceterum omnes sciunt in Veteri Testamento haberi dogmatis seu Revelationis veram progressionem, quae in Novo Testamento completa est.

Quocirca precibus quae in re fidei quamdam imperfectionem redolent, alias praeferendas esse duco.

Pag. 187, n. 74, linn. 24-26, legimus: « Sodales cuiusvis Instituti status perfectionis, qui, vi Constitutionum, partes aliquas divini Officii absolvunt, orationem publicam Ecclesiae agunt ». Quod — quantum intellego — non est verum.

Oratio est aut publica aut privata: publica fit a solo sacerdote, qui etiam in oratione personam Iesu Christi gerit. *En verba Pii XI sanctae recordationis:*[4] « ... publicus ex officio exstat (sacerdos) ad Deum pro omnibus deprecator: ... cotidie iterum atque iterum debitum adorationis munus persolvit, atque necessarium eiusmodi officium pro hominibus perficit » (encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935).

Supplicationes fidelium (monialium quoque) sunt semper privatae, equidem magnopere commendandae, at « preces, quae Ecclesiae nomine, dilectae nempe Redemptoris sponsae, ex officio (i. e. a sacerdotibus) funduntur, maiore procul dubio vi virtuteque fruuntur ». *Etiam haec verba sunt Summi Pontificis quem iam supra laudavi.*[5] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] pag. 186 sub n. 69 et pag. 188, n. 77 *b*: [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] (eaedem enc., Denz. 2276).

24

Em.mus P. D. VALERIUS card. VALERI

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Ad pag. 185 et pag. 186, par. 68, ad *c*): videtur adesse aliqua contradictio cum exoptatur ut « Hora quae Matutinum vocatur, quamvis indolem nocturnae laudis retineat, ita aptetur ut qualibet diei hora recitari valeat ». Si habet aliquid specifice nocturnum, forte non congruit ut recitetur qualibet diei hora!

Ceterum adhaereo his quae nuper em.mus card. Frings dixit.[1]

Ibidem, par. 71. Postulatur ut amplificentur lectiones, non solum quoad S. Scripturam, sed etiam quoad Patres et alios scriptores ecclesiasticos. Sed si hoc fiat, nonne Officium notabiliter longius evadet? Ut

notum est, etiam ex Confessionibus S. Augustini audientis Mediolani Ambrosium, antiqui legebant recitando labiis, etiam cum privatim legebant. Nunc aliter fit. Quaero: cur in recitatione privata non sufficeret oculis tantum percurrere lectionem? Hoc ad diminuendum laborem et tempus.

Ibidem, par. 73. Placet quod recitatio choralis obligatoria maneat pro his qui talem *specialem* obligationem susceperunt. Sed generatim loquendo nihil dicitur, neque hic neque alibi in aliis schematibus, sive *agatur* [2] de communitaria sive de privata recitatione, de mensura obligationis moralis Officium divinum recitandi.

Sententia communis tenet omissionem vel unius parvae Horae, peccatum mortale constituere...[3] Nonne haec gravis obligatio restringi posset ad partes fundamentales Officii, scl. ad Laudes et ad Vesperas? Talis vel similis dispositio auferret...[4] frequentes anxietates sacerdotum qui ministerio pastorali *addicti* [5] saepe dubitant an motivum proportionatum habeant ad omittendum divinum Officium vel aliquam partem eiusdem. Ecclesia orientalis, ut notum est, rem alio modo considerat ac Ecclesia occidentalis et fortasse eius exemplum posset in hac re nobis saltem partim inservire.

Sed dicet quis: nisi imponetur gravis obligatio, *aliqui* [6] sacerdotes Breviarium non recitabunt. Respondeo: boni sacerdotes abhorrent non solum a peccato mortali, sed etiam a peccato veniali et generatim a non sequendis praescriptionibus Ecclesiae.

Sub luce Spiritus Sancti, Patres venerandi, videte aliquam solutionem dare huic quaestioni non parvi momenti in re morali et pastorali...[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] sermo fiat. [3] secumferens ergo inimicitiam Dei et mortem animae. [4] etiam. [5] dediti. [6] non pauci. [7] Ibidem par. 74. Placent omnino quae declarantur de sodalibus cuiusvis Instituti status perfectionis, qui absolvendo vi constitutionum partes aliquas Divini Officii, *orationem publicam* Ecclesiae agunt.

Animadversiones additae:

N. 73, pag. 187, sub litt. *a*)-*c*). Opportunius videtur clarius distinguere inter obligationem recitationis Divini Officii choraliter et singulariter faciendae et quidem distincte indicare quinam teneantur recitationi chorali et quinam recitationi a solo.

Moniales omnes sub litt. *a*) obligatae supponuntur recitationi chorali totius Officii, dum, e contra, aliqui Monialium Ordines existunt, uti Ordo Ursulinarum, qui hac obligatione non devinciuntur, vel obligantur tantum recitationi Parvi Officii B. M. V., uti Ordo Visitationis Beatae Mariae.

Litt. *a*) ita redigi posset: « Communitates choro obligatae... et quidem: totum Officium Ordines Canonicorum, Monachorum et Monasteria seu Domus Monia-

lium, salvo tamen, quoad moniales, earum iure particulari ... secundum proprias Constitutiones ».

N. 74. Valde opportunum est recognoscere dignitatem et munus orationis publicae, nomine Ecclesiae factae, religiosis qui totum vel partem Divini Officii absolvunt.

Qui ab Ecclesia deputantur ad orationem eius nomine peragendam, munus publicum et magni momenti suscipiunt.

Susceptio cuiuslibet muneris obligationem in conscientia secumfert.

Quapropter, participatio muneris et obligationis Ecclesiae pro Religiosis, sicuti pro aliis seu pro clericis in sacris, secumferre deberet vinculum conscientiae, qua satisfactio muneris in tuto ponitur. Haec tamen obligatio levis censenda esset.

Licet titulus n. 74 sit « Sodales religiosi », in textu munus peragendi orationem publicam per recitationem Officii divini sodalibus cuiusvis Instituti status perfectionis et ideo etiam sodalibus Institutorum saecularium agnoscitur. Cum sodales Institutorum saecularium non fruantur conditione iuridica publica, nec ab aliis fidelibus distinguantur, congruum non videtur munus publicum orationis nomine Ecclesiae eisdem agnoscere seu tribuere.

Pag. 187, linn. 26-29: In secundo commate n. 74 recitatio alicuius Parvi Officii aequiparatur quoad dignitatem orationis publicae ipsi recitationi Divini Officii.

Opportunum videretur inter clausulas addere: « dummodo Parvum Officium ab illa auctoritate approbatum sit quae competens est pro approbatione et mutatione Divini Officii et sodales huic recitationi aliquo vinculo teneantur, prouti de Divino Officio dictum est.

Praeterea, non nimis multiplicanda esse videntur haec Parva Officia.

Pag. 188, n. 77, sub litt. *b*). Usus linguae vulgaris in recitatione Divini Officii pro Monialibus et etiam pro Institutis iuris pontificii, quorum Constitutiones linguam latinam praescribunt, dari non deberet ab Ordinariis, nisi de consensu omnium quorum interest, scl. Superiorum internorum.

25

EM.MUS P. D. FERDINANDUS CARD. QUIROGA Y PALACIOS
Archiepiscopus Compostellanus

Venerabiles Patres,

Dignitas, praestantia et efficacitas divini Officii, a Pio XII « precatio Corporis Christi Mystici » appellatum, optime in introductione capitis IV exhibentur.

Sed finis Officii divini, « sanctificatio, nempe, diversarum horarum diei » (pag. 185, lin. 27), non clare apparet quomodo obtineri possit normis in eodem art. 68 datis. Ad hoc adipiscendum et ut Officium divinum verus fons vitae spiritualis eveniat, liceat mihi quasdam brevissimas modificationes proponere:

a) Criterium in instauratione recenti Hebdomadae Maioris pro-

positum videtur servandum, id est, Horae canonicae suppressio quae cum alia actione liturgica, ut administratione Sacramentorum, concione, Missa solemni, concurrat.

b) Hora Prima, radicitus tamquam extensio Laudum — « altera Matutina » vocat Cassianus — et ex specialibus adiunctis monachorum Bethlehem orta, semper naturam indefinitam praebuit, quam additiones per saecula insertae non definire valuerunt. Eo conservatur quod facile creditum est melius verba inspici Psalmistae: « Septies in die laudem dixi tibi ».

...[1] Hora haec in monasteriis, extra psalmodiam regularem orta, Laudum duplicatio, natura *sua*[2] singulari, optime possit omitti, « cursu » reliquarum horarum optime *etiam*[3] manente.

c) Horae minores ad hymni, unius psalmi et orationis dominicalis recitationem reducantur, ut e memoria opportune possint recitari. Tunc iucunda « elevatio mentis ad Deum », esset inter laborandum aut salutandum; et ita sanctificando, quin operosior fiat, laborem diurnum.

d) Laudes et Vesperae, quae in littera a) n. 68, pag. 186, « duplex cardo Officii divini cotidiani » vocantur, suis propriis horis sic recitandae, ut meridies Laudibus extremum tempus esset et hora 10 noctis Vesperis suprema, nisi adsint causae graves.

Relate ad ea quae card. Valeri nunc dixit de hora « Matutinum »,[4] loco textus schematis sub n. 68, litt. *c*) ponatur sequens a membris Concilii ex Congregationibus monasticis propositus: « Matutinum indolem nocturnae laudis retineat et, si nocturnis horis non dicitur, in quantum fieri potest, etiam extra chorum, intra tempus a vespere diei praecedentis ad mane ipsius diei recitetur. Ex rationabili causa, extra chorum, qualibet hora diei recitari conceditur ».

Ita repugnantia textus schematis vitatur, qui Matutinorum indolem nocturnam fatetur simulque qualibet hora diei recitari permittit.

Haec principia, mea quidem sententia, optime conducerent ut patrimonium inveteratum Ecclesiae optime servaretur, quale est sanctificatio laboris diversarumque horarum diei « cum fructu spirituali » necnon efficax necessarii levaminis « pensi » orationis quotidianae cautio atque provisio. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Sed dum reliquae horae in choro celebrabantur, Prima multis saeculis in cubiculo recitabatur: « Ista Prima ibi cantatur ubi dormiunt » ait Ioannes Archicantor (Righeti, vol. II, pag. 581, nota). [2] deest. [3] deest. [4] *e*).

26

Em.mus P. D. PAULUS AEMILIUS card. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Usque ad discussionem praesentis capitis, de Liturgia disputando, pastoralem curam nostram in fideles nostros praecipue et quidem merito protulimus. Nunc autem, de Officio divino tractando, eamdem pastoralem sollicitudinem erga sacerdotes nostros eorumque necessitates et difficultates summo studio libentibusque animis ostendamus. Nobis enim episcopis, sacerdotes qui ministerio pastorali vacant, partem carissimam gregis nostri constituunt.

In illa materia, meo iudicio, duo praesertim tractanda sunt: de obligatione recitandi Officium, et de lingua adhibenda in recitatione Officii.

I - *De obligatione recitandi Officium.*

Opinor renovationem in schemate propositam, de obligatione Officium recitandi, recognoscendam esse. Et propono ut clerici choro non adstricti obligentur solummodo ad recitationem Laudum, Vesperarum et lectionis divinae. Lectio divina constaret ex elementis in art. 71 enumeratis. Laudes et Vesperae recitarentur respective mane et vespere. Lectio divina (seu Matutinum) fieret qualibet hora diei et tempus eius esset circiter viginti minutorum.

Hae sunt rationes propositionis meae:

1. Renovatio proposita in schemate fundatur super quoddam principium quod, in casu sacerdotum ministerio pastorali addictorum, non valet nisi ex parte.

Introductio capitis (lin. 24) principium evocat quod recitatio Officii est « tanquam sanctificatio diversarum horarum diei ». Illud principium apte congruit vitae monachorum: illi enim, ex vocatione sua, primum et principale munus habent Officium divinum recitandi.

Non tamen sine magna attenuatione applicari potest tale principium sacerdotibus qui ministerio pastorali addicti sunt. Etenim ex eo quod Officium divinum sanctificat diversas horas diei, minime deduci potest quod omnes sacerdotes sanctificare debent *per Officium divinum* diversas horas diei. Aliter, concludere deberemus orationem vel — ...[1] magis restrictum est — Officium divinum esse unicum modum, et pro omnibus christianis, diem et horas sanctificandi. Hoc evidenter amplecti non potest. Unusquisque christianorum — monachi, laici, sacerdotes — sanctificationem suam peragit diverse, et diverse horas diei sanctificat,

id est secundum suam propriam vocationem. Omnes orare debent, sed non eadem assiduitate materiali. Sacerdos addictus ministerio pastorali diversas horas diei sanctificat: 1) ministerium suum exercendo apud homines; 2) orando (praecipue in recitatione Officii divini, mane et vespere); 3) seipsum spiritualiter alendo (praesertim peragendo Lectionem Divinam).

Positio mea sit clara: discussio non est de ipso Officio divino concepto ut institutio qua sanctificantur diversae horae diei. Oppositio mea venit quando Officium *integraliter* imponitur omnibus clericis, sub specie quod recitatio Officii est « tamquam sanctificatio diversarum horarum diei ».

2. Renovatio proposita in schemate difficultates quas solvere vult non solvit. Schema, ut expresse declarat, intendit « veritatem Horarum » restaurare pro sacerdotibus ministerio addictis. Attamen aptatio quae proponitur ad illam veritatem restaurandam difficultates sacerdotum ab omnibus agnitas nullo modo superat. Omnes enim horae traditionaliter praescriptae obligatoriae remanent sicuti nunc sunt.

Haec est tamen realitas evidens quod sacerdotes ministerio pastorali addicti — sicut ...[2] nos episcopi — *non possunt* « sanctificare diversas horas diei » recitando Officium divinum unaquaque horarum traditionaliter praescriptarum pro illo Officio ...[3] Sacerdos ministerii pastoralis faciliter, libenter et desiderabiliter orare potest mane et vespere. Hae sunt solae horae quas, tempore praescripto seu « veritatem Horarum » observando, potest sanctificare in recitatione Officii (nempe Laudum et Vesperarum). Sicut superius dixi, alias horas aliter, secundum suam vocationem, sanctificat.

Considerationes illae sunt, mea opinione, secundum realismum prudentissimum. Credo ergo quod damnosum esset, pro sacerdotibus ministerio pastorali addictis, servare omnes horas Officii, quia, formam fictivam orandi servando, formalismus fovetur apud sacerdotes, et quidem in ipso actu orationis.

3. Aptatio Officii divini solvere deberet problemata quibus onerantur conscientiae sacerdotum.

Dicunt quod mos pervadit apud sacerdotes plurium regionum sese « dispensandi », ut aiunt, a recitatione breviarii; et, quod peius est, hoc saepe fit cum conscientia *incerta.* Credo quod propositio mea adiuvaret ad solutionem huius gravis problematis. Etenim Officii recitatio vera et fructuosa redderetur possibilis et desiderabilis; et tempus recitationis non excederet possibilitates habituales sacerdotis. Officium sic modificatum esset solatium animae potius quam pensum onerosum ad quod inconsulte omittendum sacerdos facile inducitur.

4. Denique notabo quod, secundum propositionem meam, non haberetur duplex Officium. Etenim omnes sacerdotes (monachi, religiosi et saeculares) idem breviarium haberent: differenter solummodo uterentur eodem libro eodemque Officio...[4]

II - *De lingua adhibenda in recitatione Officii.*

Propono ut concedatur etiam clericis, ut in art. 77,[5] in recitatione privata, facultas Officium persolvendi lingua vernacula. Concessio illa fiat in unaquaque regione mediantibus Conferentiis episcopalibus.

Propositionem meam explico. Clarum sit quod non agitur de disputanda excellentia linguae latinae ut vinculum unitatis. Quaestio est de lingua latina ut medium orationis laudativae et alimenti spiritualis. Si, ut verum est, recitatio Officii debet esse elevatio et cibus animae in psalmis et in lectionibus, eo ipso requiritur ut omnes, clerici sicut et laici, mente intelligant quod labiis pronuntiant.

Observatio haec mihi videtur evidens, et eius momentum maximum mihi apparet...[6]

Quaedam enumerari possunt mala consequentia praesentis status rerum. Sacerdotes, modo generali et magno cum damno pro ministerio suo, ignorant Sacram Scripturam et Patres, dum quotidie in labiis habent ipsa verba Scripturae et Patrum. Praeterea etiamsi cum optima intentione orat sacerdos, oratio eius et consequenter vita eius spiritualis a pessimo formalismo in dies magis pervaditur. Recitatio breviarii fit onus a quo sacerdos sese expedire tendit...[7]

De incapacitate fructuose intelligendi linguam latinam, quae apud sacerdotes sine spe emendationis viget, notulas trado ad Secretariatum.[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quod. [2] ceterum. [3] Dies enim pastoralis non ita dividitur in partes ut sacerdos Officio Divino libere vacare possit tempore certo; e contrario, sacerdos qui addicitur ministerio pastorali, a matutina usque ad finem diei, libertatem suam non habet, sed praesto est omnibus fidelibus. Hoc non est theoreticum, est factuale. [4] Illa est propositio mea de obligatione recitandi Officii. Spero ut retineatur, si non ipsa formula, saltem generalis structura renovationis quam exponit. [5] Propono ut art. 77 mutetur. Propono ut concedatur etiam clericis, saltem. [6] Homo natura sua est ens *rationale*: oratio eius prae omnibus actionibus humanis, quia in seipsa sublimior est, debet esse plene humana seu plene rationalis. Atqui factum apertum habetur. Multo maior pars clericorum, in omnibus fere mundi regionibus, vix intelligunt quod pronuntiant in Officio persolvendo. Situatio illa non est temporaria. Incapacitas intelligendi Officium non viget solummodo in regionibus ubi humanitates latinae vel studium linguae latinae in scholis non exsistunt. Illa inaptitudo verificatur ubique et apud fere omnes sacerdotes, exceptis solis illis qui sunt exceptionaliter periti, vel qui in seminariis docent vel qui in administratione ecclesiastica quotidie utun-

tur lingua latina. Meo iudicio, captiosum esset credere quod reditus ad studium linguae latinae in seminariis minoribus et maioribus solutionem afferret problemati de intelligendo breviario latino. Experientia iam habetur in hac materia. Et conferri possent testimonia multa sacerdotum qui omnia sua studia peregerunt lingua latina quique affirmant se post non multos annos non posse nisi magna cum difficultate, intelligere breviarium suum. Obstaculum reale illud est: civilisatio humana, etiam in Occidente, non est amplius latina nisi radicaliter. Cognitio linguae latinae acquisita in Seminariis etiam optimis, non sufficiunt quia tota vita quotidiana nullum habet nexum cum lingua latina. Intelligentia expedita et fructuosa alicuius linguae — et talis intelligentia requiritur ad rectam recitationem breviarii — haberi nequit nisi illa lingua frequenter immo habitualiter adhibetur in vita quotidiana. Talis autem usus linguae latinae non exsistit nec ullo modo videtur possibilis. Attamen quidquid sit de possibilitate modificandi cognitionem linguae latinae apud sacerdotes, factum remanet, ab omnibus concessum: saltem pro sacerdotibus nunc viventibus impossibile erit fructuosam reddere Breviarii recitationem quin eis concedatur facultas utendi lingua sua materna. [7] Forsan optatur ut usus perpetuatus linguae latinae in recitatione Breviarii sit modus ipsam linguam latinam conservandi in Ecclesia. Efficacitas talis medii est valde incerta; et, maxime, opinor quod non possumus vitam spiritualem sacerdotum sacrificare tali rationi. [8] deest.

Praeses: Reponatur Evangelium!

[*Intervallum*].

Secretarius generalis: Proxima congregatio generalis: feria sexta, hora nona.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. III SCHEMATIS DE S. LITURGIA

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. III SCHEMATIS DE S. LITURGIA *

1

EM.MUS P. D. CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Breviter pauca dicam ordinem practicum potius respicientia.

N. 61 schematis. Quoad rituum Ordinationum propositam recognitionem submisse peto ut textus Praefationum in conferendis diaconatus, presbyteratus et episcopatus ordinibus maneat immutatus. Agitur enim de orationibus pulcherrimis, significatione et spiritualitate refertis, ad fidelium animos erga sacros administros veneratione imbuendos quam maxime aptis.

Brevientur potius et magis aptentur Litaniae Sanctorum et adnexae Invocationes.

Ad n. 66 quod attinet. Optima apparet intentio de sensu paschali mortis christianae clarius exprimendo. Super hanc rem liceat aliquod dicere de relatione huius paschalis significationis ad colorem paramentorum. Utique color est aliquod accidentale, nec religio in colore vestium consistit; tamen est elementum liturgicum.

Observo quod Romanus Pontifex rubrum colorem in sollemni exsequiis adsistentia adhibet, quod supponit antiquum usum talem fuisse. Hoc etiam, etsi aliunde et sub alio respectu, innuit Ambrosianus ritus, qui, cum primitiva elementa liturgica Romanae Ecclesiae integre religioseque servet, colorem rubrum adhibet in tota Hebdomada Sancta, ad celebranda Sacrosancta Redemptionis mysteria, Domini Nostri scilicet martyrium per passionem et salvificam mortem in Cruce.

Insuper, iuxta Caeremoniale, episcopis quandoque facultas est adhibendi paramenta violacei coloris. Qui quidem praescribitur in celebratione Missae coram Ss.mo Sacramento in ecclesia exposito.

Item Rituale album colorem ordinat in exsequiis puerorum; et, quibusdam in locis, pro funeribus sive sacerdotum sive virginum consuetudo viget colorem album aliquando praeferendi. Scimus etiam saepe saepius colorem nigrum et violaceum anteactis temporibus promiscue adhibitum fuisse.

His praemissis, si revera volumus sensum mortis saltem apud christianos homines corrigere et mystice elevare, ita ut paschale sacramentum ad

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt, quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt vel iuri loquendi renuntiaverunt.

aeternam vitam transitus aptius recolatur, votum humillime exprimo ut, loco nigri coloris, qui apud nos, in nostris scilicet latinae « civilitatis » regionibus, est lugubre attributum deiectionis et luctus, saeculis mediae aetatis inductum, permittantur in Sacris defunctorum faciendis paramenta violacei coloris.

Hic enim, cum moeroris sensu, sensum quoque aliquod spei et fiduciae praebet, et certe magis consentaneum videtur omnibus qui, a potestate tenebrarum translati, digni facti sumus in partem sortis Sanctorum in lumine, fratribusque nostris, qui nos praecesserunt cum signo fidei et in loco exstant refrigerii, lucis et pacis.

Et submisse addo. Sicut iam aliqui Patres auspicati sunt, votum reverenter promo ut commissio conciliaris de re liturgica a Summo Pontifice, Sacrosancti huius Concilii Oecumenici praeside, si ipsi placuerit, eligatur, quae studiis adaptationis seu instaurationis scite animoseque incumbat et labores ad finem sollicite perducat.

2

Em.mus P. D. VILLELMUS card. GODFREY
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Aliquas animadversiones liceat breviter facere.

In pag. 179, lin. 20, terminus adhibetur qui sat frequenter in schemate de Liturgia invenitur; loquor de termino « actuosa ». Quantum mihi videtur, semper in mente scriptoris « *actuosa* » significaret *activa* — nempe quod ille qui orat deberet *vocaliter* orare, sive verbis sive cantu. In hoc video aliquam aequivocationem, quia ille qui orat *mente* vere habet actuosam cooperationem: et quandoque valde desiderat quietem orationem. In mundo strepitoso vivimus ideoque pax et tranquillitas refrigerant atque sustentant animam. Est modus in rebus, sunt certi denique fines.

Quantum spectat ad rituales revisendos, magni momenti videtur ut ubi lingua vulgari preces dici permittuntur semper indicare deberent eaedem preces in lingua latina. Ratio est quia decursu temporis lingua vulgaris potest mutari, dum lingua latina stabilis permanet.

Deinde in art. 50 sermo est de Missa propria in collatione Baptismi adultorum in Missali Romano inserenda: evidens est autem, quod in paroeciis urbanis collatio baptismi adultorum raro conferri possit durante Missa quia sacerdotes magno labore occupati vix liberi erunt.

Ad art. 57: nullam video difficultatem de nomine « Unctio Infirmorum » quia, quantum puto, fideles quandoque arcentur a receptione illius sacramenti ab illo nomine « *Extrema* Unctio » timentes quod administratio sacramenti sit signum mortis mox appropinquantis. Item in art. 60 dicitur in schemate « Unctio sacra in diuturna infirmitate aliquando iterari potest ». Sed nisi aliquis periodus significetur, ex illo termino « diuturna » facile oriri

possunt scrupuli de liceitate iterandi sacramentum. Melius esset dicere post certum spatium temporis, v. g. post duos menses.

De Poenitentia. In art. 56 dicitur « ritus et formulae ita recognoscantur ut effectum sacramenti clarius exprimant ». Hic manemus incerti de mutatione vel additione quae intenduntur. Explicetur ergo clarius intentio.

De Ordine. Item in ritu ordinationum suggeritur allocutiones Pontificis esse in lingua fidelibus nota. At meo submisso iudicio, pulchritudo allocutionum in versione perdi poterit. Contrarius essem, igitur, versioni, eo magis quod generatim fideles facile libros habere possunt, vel instrui possunt ab aliquo sacerdote durante caeremonia.

Oratio super nupturientes opportune emendari potest, et in lingua vernacula recitari.

De Sacramentalibus. Bene addi possunt nova sacramentalia quae hodierno tempore speciales circumstantiae expostulant. Optime etiam ritus vestitionis et professionis religiosae et renovationis votorum unitatem, sobrietatem et dignitatem exprimunt, non exclusis ritibus particularibus. Professio religiosa infra Missam fieri potest ubi opportunum sit eam facere cum aliqua solemnitate.

De Exsequiis. Duo dico: 1) bonum esset, uti puto, abbreviare orationem « Libera me, Domine ». 2) Dein Missa propria in ritu sepeliendi parvulos optime desideratur ad consolationem luctantibus afferendam.

3

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA
Episcopus Bukobaensis

De ritu consecrationis altaris portatilis (can. 1197, § 1, 2°). Episcopi tot tantisque negotiis magnique gregis sollicitudine distenti quibusdam caeremoniis prolixioribus saepe vexantur. Praetermissis caeremoniis publicis quae praeter precationem et consecrationem ad vividam adstantis populi catechesim spectant, nunc loquor unice de *ritibus quos episcopus ipse solus in oratorio* administrat.

Sit pro exemplo « *altaris portatilis* » *consecratio.* Hoc ritu episcopus neminem docet, sed solummodo precatur et consecrat.

Pro missionibus concessa est facultas utendi ritu et formula breviore (Facultates decennales n. 42). Ipsa tamen formula brevior nimis longa est. Cur *protrahimus preces?* Quidam aestimare videntur preces quo longiores eo efficaciores esse. Dominus tamen praecepit: « Orantes nolite multum loqui sicut ethnici, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis; scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis » (*Matth.* 6, 7-8).

Symbolismus autem consecrationis altaris portatilis sit simplex et perspicuus. Quod in nationibus europaeis intelligitur, non necessario ubique

terrarum intelligitur. Decursu temporis, praesertim medio aevo ad finem vergente, ritus abunde succrevit et magis magisque consecrationi altaris fixi assimilatus est. Cur adhibere debemus cineres et vinum? Pertinentne ad symbolismum essentialem altaris? Facilius quidem intelligimus usum olei catechumenorum, sancti chrismatis, reliquiarum. Altare repraesentat ipsum Christum quem « unxit Deus Spiritu sancto et virtute » (*Act. Ap.*, 10, 38). « Petra autem erat Christus » (*I Cor.* 10, 4). Iam inde a lapide quam prope Bethel Iacob « erexit in titulum, fundens oleum desuper » (*Gen.* 28, 18) lapides consecrati sunt oleo. Reliquiis martyrum altare terrestre coniungitur altari caelesti subtus quod vidit Beatus Ioannes Apostolus « animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant » (*Apoc.* 6, 9).

Desidero ergo ut ritus ad simpliciorem formam et symbolismum essentialem redigatur. Auctoritas viva non solum ad novos ritus addendos data est Ecclesiae sed etiam ad tollenda additamenta quae primitivae simplicitati et perspicuitati sunt detrimento.

Laudabiliter « Forma simplex » quam legimus in novissima editione pontificalis romani et in appendice canonis Missae multa additamenta abstulit. Sed nondum pervenimus ad perfectam simplicitatem liturgicam.

4

Em.mus P. D. VALERIUS card. VALERI

N. 66. *Ordo exsequiarum.* In aptando exsequiarum ritu, certe, sensus christianus ipsius mortis clarius exprimi valet; vitandus tamen esset excessus quo, per mutationes in caeremoniis, in colore paramentorum et in precibus dispareat vel ad minimum reducatur sensus expiationis, trepidationis et luctus qui morti, consequentiae peccati eiusque imagini adnectitur.

Persolutio exsequiarum suffragium pro defunctis continet, fidem in vitam aeternam et in resurrectionem exprimit, doctrinam tamen et exhortationem pro viventibus exhibet ad hoc ut timore quoque poenarum et praevisione ultimae horae ac tremendi iudicii a morte peccati necnon ab eius periculo et occasione secedant. Et hoc eo magis quod hodie pro multis adsistentia funeribus fortasse unica occasio est ubi de morte et de hiis quae ei sequuntur cogitari possint.

Quapropter, admissa possibilitate mutationum, praesertim pro illis regionibus quae ad praedictum effectum obtinendum alia media in colore paramentorum et in ritibus postulant, servandus esse videtur color niger paramentorum ad luctum exprimendum et ordo exsequiarum qui mortem uti poenam peccati necnon momentum et consequentias stricti iudicii exprimunt.

Mores ipsi gentium in plurimis regionibus ad luctum exprimendum cum usibus liturgiae Ecclesiae concordant.

5

Exc.mus P. D. IOSEPH ALVARES MACUA

Episcopus tit. Colybrassenus, prael. null. Labreanus

Die 7 nov. absoluta est tractatio cap. III « De Sacramentis et Sacramentalibus ».

In sessione praedicti diei 7, aliqui ven. Patres loquuti sunt de *utilitate impertiendi pueris Sacramentum Confirmationis* (cf. n. 55, pag. 181) *post usum rationis, debita cum praeparatione et praemissa renovatione promissionum baptismi.*

Haec innovatio, si praeceptivis verbis inducetur, haud levia detrimenta spiritualia secumferet in territoriis missionum. Experientia loquor.

Sum pastor regionis superficiei 200.000 Kq. in Labrea, Brasilia, ubi fideles longe a sede missionariorum versantur. Non illi ad nos veniunt, sed nos illos adire debemus, magnis cum difficultatibus ac incommodis.

Ad centra missionum affluunt turmatim fideles, et solum per 24 horas ibi detineri possunt. Quid facere? Absque auxilio spirituali illos amandare? Vel alimentum spirituale conferre, quale et quomodo, illis in adiunctis, impertiri valebit?

In his 24 horis administrari debent sacramenta baptismi, confirmationis, poenitentiae, communionis, matrimonii. Ubi tempus ad convenienter praeparandos pueros ad Confirmationem?

Aliunde, hoc maxime interest: in regionibus dictis alta invalet defunctio parvulorum. Si expectamus aetatem 7 annorum, quamplurimi parvuli morientur absque sacramento Confirmationis; et, inde, absque illa gratia sacramentali, cui in caelo proportionata debetur gloria.

Aequum non est animas privare illa gratia, illoque gradu gloriae.

S. Carolus Borromeo, cuius praeclara gesta decantavit S. Pontifex die dominica (4 nov.), quondam, dum contagio serperet in civitate mediolanensi, foras exivit, per vias et plateas, contagionis propriae non curans, ad sacramentum Confirmationis in domiciliis parvulis administrandum, ne innocentes — aiebat — gloria huius Sacramenti priventur.

Nulli dubium quod tale exemplum, in nostris missionibus, perspici debet et in actum reduci.

Existimamus proinde maxime decere gloriae Dei, sanctificationi animarum, augmento gloriae innocentium, si permittatur administratio sacramenti Confirmationis parvulis, infra aetatem 7 annorum; etiam statim post baptismum, in locis missionum vel alio, in eisdem adiunctis, de iudicio Ordinarii loci.

6

Exc.mus P. D. PETRUS ARNOLDUS APARICIO Y QUINTANILLA
Episcopus S. Vincentii

Ad sacramentorum administrationem.

1. Ad baptismum. Ut diminuantur vel abbrevientur orationes et in plurali dicantur. Ut tantum in fronte unctio fiat.
2. Ad confirmationem. Ita orationes disponere ut confirmati, unctione expleta, discedant et ne, exspectantes, in loco remaneant.
3. Ad sacram poenitentiam. Ut absolutio abbreviata sic remaneat: « Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis in nomine Domini ».
4. Ad extremam unctionem. Ut unica unctio, sc. in fronte, sufficiat.

7

Exc.mus P. D. ARNULFUS ARCILLA
Episcopus Sorsogonensis

Art. 47, pag. 179: totus art. corrigatur: « Praeter editionem " Typicam " Ritualis Romani, lingua latina confectam, Ritualia particularia singularum regionum necessitatibus aptata, a Conferentiis episcopalibus quamprimum parentur et actis a Sancta Sede recognitis, in respectivis regionibus adhibeantur ». *Ratio*: Iuxta supra dicta ad art. 24 [*cf. pars I, p. 613*].

8

Exc.mus P. D. FLOYD LAURENTIUS BEGIN
Episcopus Quercopolitanus

N. 54. Eliminentur « *infusiones* » oleorum sacrorum in benedictione aquae baptismalis. Sufficiat ut aqua tangatur digito uncto sacerdotis.

N. 57. Placet nomen « Unctio Infirmorum ».

N. 59. Placet talis revisio ut preces « respondeant diversis conditionibus infirmorum ». N. B. Placeret si formula « Ultimae Benedictionis » abbreviari possit.

N. 61. Placet. N. B. Placeret discussio de ordinatione ad diaconatum virorum qui uxorem habent.

N. 62. Placeret dialogus propositus die 7 novembris inter sacerdotem et sponsos de *fine, natura, obligationibus matrimonii* iuxta propositum die 7 novembris.

N. 64. Placet eliminatio restrictionum in benedictionibus impertiendis. Placet index completus et practicus. Placet eliminatio appendicum.

N. 65. Placet, omnino « videnda » propter abusus.

9

EXC.MUS P. D. FELIX BONOMINI
Episcopus Comensis

Relate ad sacramenta.

Circa Baptisma: in fonte Baptismatis non misceantur olea et aqua, ad munditiem ipsius fontis servandam et ad evitandum quod aqua ipsa corrumpatur; in ritu Baptismatis insufflationes omittantur et unctiones ad unam tantum reducantur in fronte vel in capite; aqua Baptismatis renovari possit simplici modo a sacerdote, pluries in anno, ad eam semper mundam servandam.

Circa Confirmationem: propositio schematis eam intra Missam administrandi cum renovatione promissionum Baptismatis, practica non mihi videtur.

Ad Communionem quod attinet: mihi videretur perutile si fideles, qui communicantur in media nocte Nativitatis et Vigiliae Paschalis, possent communicari et in die Nativitatis et Paschatis etiam si Communio nocturna sumpta sit post mediam noctem.

Circa sacramentum Extremae Unctionis: concedatur ut pluries in eadem infirmitate administrari possit ad solatium infirmi, sed unctiones ad unam tantum reducantur in fronte, cum opportuna oratione dicenda.

Circa Matrimonium: optima mihi videtur propositio id administrandum intra Missam, post Evangelium, adiecta parva homilia ad sanctitatem sacramenti illustrandam.

Circa ritus vestitionis et professionis religiosae: Optandum est ut omnes ad maiorem simplicitatem reducantur et formula votorum brevissima sit ab omnibus simul pronuntianda, speciatim quando professae multae sunt.

Circa Ordinem Exsequiarum: Nihil mihi videtur immutandum, sed magis curandum ut cum dignitate et maxima devotione persolvatur, cum Missa « praesente cadavere » etiam pro pauperibus. Cantus gregorianus adhibeatur qui maiorem aptitudinem natura sua retinet ad animas in Deum elevandas.

Optime quidem esset si intra Missam et preces exsequiales brevis sermo haberetur non tantum ad defunctum elogiandum sed potius ad novissima recordanda.

10

Exc.mus P. D. ALOISIUS CAROLUS BORROMEO
Episcopus Pisaurensis

Ad n. 62, pag. 182. Haec adderem: « Cum pluribus in locis iam consuetudo invaluerit qua non tantum mulieres, sed et viri anulum deferant et sibi benedici postulent, oratio in benedictione anuli adhibenda opportune immutetur, vel alia conficiatur pro opportunitate adhibenda ».

Ad n. 63, pag. 182. Adderem « Et benedictio sponsis semper impertiatur etiamsi matrimonium celebretur extra Missam ».

11

Exc.mus P. D. VINCENTIUS BRIZGYS
Episcopus tit. Bosanensis, coad. Kaunensis

Parcens tempori commissionum non enumerabo ea, quae ceteris et mihi placent. Pro uno tamen particulari modo gratum animum pando, pro n. 57, ubi proponitur Extremam Unctionem in posterum Unctionem Infirmorum vocari.

Ad cetera dicam, quid mihi videtur, semper salva reverentia ideis et verbis commissionis et eorum, qui melius idem dicant.

Ad nn. 55, 56, 61, 62 (prima sententia in linn. 5-7), 64, 66, 67 dicta sunt tam generalibus verbis, ut nescitur, nec quid nec quomodo mutari intenditur. In casu suffragii quomodo emittere votum *Placet* vel *Non placet,* cum nescitur, quid accurate proponitur. Tales nimis generaliter dictae propositiones, uti iam vidimus ex praecedentibus capitibus, consumunt tempus in disputationibus, quae ad nihil perducunt.

Ad n. 48. De restauratione catechumenatus. Attenta brevitate vitae humanae et valore gratiae sacramentalis (cogitamus de fontibus gratiae, qui solis baptizatis pervii sunt), adspirantes ad Ecclesiam debemus quam citius rite praeparare et non perdere tempus in formalitatibus quamvis pulcherrimis verbis vocatis. Si omnia vetera essent valde bona, non fuissent a nostris praedecessoribus derelicta. Si insistitur ut infantes quamprimum baptizentur, quare intendimus agere contrarie cum adultis. Nonne adultis brevior vita manet, quam infantibus. Propositus catechumenatus non est Sacramentum, sed formalitas, propter quam diferre Sacramenta esset omnino iniustum erga animam conversi.

De necessario spatio temporis praeparandi adultum iudicium relinquatur ipsi sacerdoti, qui illum praeparat. Non omnes adulti idem tempus requirunt ad praeparationem. Cum vero iam praeparati sunt, non putemus eos valde gaudere de formalitatibus non necessariis.

Ad n. 49. Hunc numerum omnino omittendum puto, cum per illum aperitur via innumeris incursionibus profanis in sacram Liturgiam.

Ad n. 50. Censeo omittenda esse verba: « Ratione habita catechumenatus instaurati », quia, uti dixi, mihi minus placet intentio instaurandi catechumenatum.

Ad n. 52. In nonnullis regionibus unusquisque catholicus edoctus est, quomodo homo baptizatur a laico in casu necessitatis. Hoc potest edoci v. g. praeparando ad primam Communionem, vel in scholis catholicis, vel adulti simpliciter per brevem instructionem. Addendo non necessarias formalitates in Baptismo a laicis, potest causari confusio et periculo exponi essentia. Censeo in Baptismo a laicis nihil esse addendum praeter essentiale necessarium.

Ad n. 53. Videtur hunc numerum praesupponere infantem vel adultum in Ecclesiam recipi non per Baptismum, sed per aliquem ritum adhuc inveniendum. Hic numerus et illi similes sententiae contradicunt tendentiae generali huius schematis — fideles non aggravare novis non necessariis ritibus, sed omnia reddere faciliora. Censeo hunc numerum omittendum esse.

Ad n. 54. In casibus urgentibus, quando non datur tempus habendi aquam baptismalem, non datur tempus nec aquam simplicem aliquo modo benedicere. Praeterea, cum hoc non est necessarium ad valorem Baptismi, ad quid talis innovatio.

Ad n. 55. Nonne potest dici ritum actualem Confirmationis nullo modo exprimere connexionem cum initiatione christiana. Ceterum, initiatio christiana stricto sensu fit non per Confirmationem.

Praeterea, timeo ne haec propositio originem habeat ex illis, quae aguntur apud protestantes et nunc apud communistas. Saltem vocabulum non est ex nostra Liturgia.

Item, raro accidit, ut una sola persona in ecclesia confirmetur. De solito sunt plures vel multae. Si Confirmationem connectamus cum Missa, ritus pertrahetur ad spatium temporis insupportabile pro pueris.

Cum nec Confirmatio nec alia Sacramenta sunt pars Missae, ad quid intercalanda intra Missam. Volentibus etiam nunc nemo prohibet Confirmationem ministrare immediate ante vel post Missam, quod revera non raro fit.

Ad n. 59. Non est sacerdotum diudicare de statu salutis corporalis hominum, propterea tales differentiae in formulis Unctionis Infirmorum causarent potius inconvenientias quam convenientiam.

Ad n. 62, linn. 11-14, meo iudicio, omittendae sunt. Ne immergamus dignitatem Sacramentorum in accidentia mundani characteris et dubii valoris, quae aliquibus possunt esse cara, ceteris vero possunt videri ridicula. Traditiones nationales, locales connexas cum celebratione Matrimonii relinquamus observandas extra Liturgiam illis, quibus id placet.

12

Exc.mus P. D. PETRUS CANTERO CUADRADO
Episcopus Huelvensis

Liceat mihi, venerabiles Patres, brevem quaestiunculam Sacrosancto Concilio proponere, circa n. 64 huius schematis *de sacra Liturgia,* in quo « De Sacramentalibus » agitur.

Textus numeri praedicti sic se habet: « Sacramentalia funditus recognoscantur, prae oculis habito principio de conscia, actuosa et facili participatione fidelium, et attentis hodiernis necessitatibus ».

Si textus iste conferatur cum can. 1146, actuosa participatio expostulata nimis imminuitur, et hodiernis necessitatibus non sufficienter accommodatur. Laudatus enim canon sic se habet: « Legitimus Sacramentalium minister est clericus, cui ad id potestas collata fuit ».

Ex isto canone sequitur ergo fideles non posse actuosam participationem ad partes ministerii sacramentalium extendere, cum ad eorum ministrationem clericus ex necessitate requiratur.

Iam vero, attentis necessitatibus pastoralibus hodiernis, potest nunc Ecclesia consciam atque actuosam participationem fidelium ita determinare, ut et ipsi possint sacramentalia conficere et ministrare?

Huic quaestioni, meo humillimo iudicio, et doctrinaliter et pastoraliter affirmative responderi potest. Determinando affirmativam responsionem quibusdam solummodo casibus, de quibus infra.

Doctrinaliter quidem:

1. Christus agnoscitur Sacramentorum institutor, qui, uno alterove modo, omnia quae ipsis necessaria sunt, determinavit. Sacramentalium vero institutor non est Christus, sed Ecclesia. Ecclesia determinat eorum materiam et formam. Ex ipsa efficaciam trahunt, cum non ex opere operato, sed ex opere operantis Ecclesiae effectus producant. Ipsa, demum, determinat ministros et confectionis et administrationis.

2. Cum ergo Christus nihil a seipso determinaverit hac in re, sequitur manus Ecclesiam habere solutas circa determinationem eorum quae ad Sacramentalia pertinent, inclusa determinatione ministrorum. Creditur enim hoc negotium suae determinationi reliquisse.

3. Fideles omnes, baptismatis charactere insigniti, membra efficiuntur Corporis Mystici Christi sacerdotis (*A.A.S.,* 39 [1947], 555), et, per eum, cultui divino active et passive deputantur. Character « potestas sacra » definitur (*Summ. Theol.,* III, 63, 2). Datur ergo omnibus fidelibus in baptismo potestas in qua recipi potest ecclesiastica commissio et efficiendi et ministrandi res cultuales. Quod idem valet ac potestas conficiendi et ministrandi Sacramentalia.

Pastoraliter vero valde noscitur ut conveniens ista commissio. Etenim:

1. Si fideles cultui active inserviunt, facilius res cultus tanquam propriae agnoscuntur, et non ac si ad clericos tantum pertinerent. Insuper, ipsi fideles sensum maioris incorporationis ad Ecclesiam percipiunt.

2. In quibusdam etiam rerum adiunctis, munus religiosum a fidelibus functum in maiore aestimatione habetur et efficacius redditur, si muneri suo actuosa vel activa participatio in Sacramentalibus iungitur. Videlicet:

a) In pleniorem lucem et dignitatem verterentur et officium et persona catechistarum in missionibus, si ipsis ministerium Sacramentalium committeretur.

b) Similiter res in melius irent laicis moderantibus lycea, uti sunt Fratres Scholarum Christianarum, Maristae, etc., si, muneri regendi collegia et iuvenes instituendi, cumularetur potestas benedicendi numismata et vexila religiosa lycei, efficiendi actus cultuales ad recipiendos iuvenes in congregationibus marianis proprii lycei, et id similia.

c) Fratres demum fossores, quibusdam in locis sepulturae fidelium inservientes, poterunt actus exsequiales liturgice peragere.

His praehabitis, humiliter exposco ut in laudato numero sexagesimo quarto schematis *de sacra Liturgia* aliquid apponatur, quo facultas fidelibus dignosceretur ut, in quibusdam adiunctis, Sacramentalia et facere et administrare queant. Et consequenter, ut canones 118 et 1146 in hunc sensum corrigantur.

13

Exc.mus P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Pag. 179, lin. 19: loco « et suo cuiusque modo efficiunt » dicatur « et suo quoque modo efficiunt ».

Pag. 180, lin. 15: loco « aptari possunt » dicatur « aptari possint »; lin. 29: « ... ad significandam receptionem infantis in Ecclesiam ». Minime probatur, ne videatur per baptismum ritu brevi collatum non fieri realem receptionem in Ecclesiam.

Art. 53 ambiguum et periculosum censeo. *Ambiguum,* quia assimilare videtur casum neoconversi valide baptizati casui infantis ritu brevi baptizati. *Periculosum,* quia ille, qui proponitur, « novus ritus... ad significandam receptionem infantis in Ecclesiam, qui ritu brevi fuerit baptizatus », posset, praesertim si lingua vernacula conficiatur, ansam praebere erroneae opinioni infantem ritu brevi baptizatum nondum esse in Ecclesiam receptum.

Propono igitur novam formulam pro artt. 51 et 53:

Art. 51 (*Ordo Baptismi parvulorum*). Ritus ad baptizandos parvulos condicioni reali infantis rationis nondum compotis aptetur; in ipso ritu melius in luce ponantur sive incorporatio baptizati in Ecclesiam, sive officia parentum et patrinorum quoad baptizati christianam educationem.

« Ordo supplendi omissa super infantem baptizatum » emendetur, ratione habita eorum quae superius statuuntur.

Art. 53 (*Ritus pro neoconversis*). Novus conficiatur ritus pro neoconversis iam valide baptizatis, in quo clarius significetur eorum receptio in Ecclesiam.

14

EXC.MUS P. D. IOSEPH CARRARO
Episcopus Veronensis

In legendo iterum atque iterum hoc III caput, quaestio quaedam animum meum pulsavit, quam ingenue et humiliter commissioni subiicio. En quaestio: cur in hoc capite, quod de sacramentis explicite tractat, nihil dicitur de « sacramento maximo » quod est eucharistica communio?

Memini quidem in praecedenti capite actum esse de Sacrosancto Eucharistiae Mysterio, at de communione eucharistica tantum dictum est in quantum stricte connexa cum celebratione Sacrificii Missae.

Praevidere licet quod de Eucharistia — ut est sacramentum — amplius loquatur in schemate de disciplina sacramentorum. At in hoc quoque liturgico schemate conveniens esset ut de Eucharistiae sacramento mentio explicita fieret:

1) quia Eucharistiae sacramentum suum ritum habet etiam extra Missam;

2) quia omissio mentionis de Communione eucharistica ansam posset praebere illis erroribus, de quibus tam lucide agit enc. *Mediator Dei* circa communionem extra Missam;

3) quia « bonum ex integra causa », et textus conciliaris de sacramentis qui per hanc omissionem deficeret, in posterum videretur saltem lacunosus.

15

EXC.MUS P. D. PETRUS CARRETTO
Episcopus tit. Zenobiensis, vic. ap. Rajaburiensis

Nomine episcoporum in regno Thailandiae haec pauca in administratione Baptismi, specie adultorum, humiliter demandamus scilicet:

1. Ut totus ritus Baptismi adultorum brevior reddatur.

2. Ut in eadem administratione Baptismi parvulorum et adultorum non amplius habeantur:

a) *Exhalationes*: nam quaedam similitudo cum artibus magicis in usu apud paganos apparet.

b) *Unctio in corde et inter scapulas*: cum mulieres baptizantur; a non christianis non tam verecunde diiudicatur.

c) Cum gaudio receptum est privilegium utendi lingua vernacula et omittendi unctionem salivae in tangendo aures et nares.

Praeter haec, optimum diiudicatur schema Sacramenti Baptismi.

16

EXC.MUS P. D. PAULUS CARTA
Archiepiscopus Turritanus

Valde laetus sum videns propositam in schemate de Sacramentis mutationem nominis quinti Sacramenti: quod quidem hactenus appellatum « extremae unctionis » suggeritur dicendum « unctio infirmorum ». Censeo non esse hic immorandum in rationibus theologicis ob quas talis mutatio inducenda videtur: solum meminisse sufficiat.

Primo. Beatum Apostolum Iacobum, in promulgando hoc sacramento loqui de amelioratione quadam (et alleviabit eum Dominus), ordinis physici ut videtur, quam ut effectum eidem adscribit praeter effectus proprios ordinis spiritualis et supernaturalis.

Secundo. Ecclesiam supponere in ritu huius Sacramenti administrandi infirmos, quibus applicatur, posse ordinariis in adiunctis sanitati restitui: nam tribus orationibus Ritualis Romani, semper recitandis post completum sacramentum administratum forma ordinaria, petitur restitutio sanitatis: non potest autem admitti Ecclesiam *ordinario ritu* petere miraculosam sanationem: sed id sequeretur si hoc sacramentum solum in urgentia mortis deberet praeberi.

Mea autem humili sententia, ob rationes praesertim pastorales, in linea quam schema eligit ulterius progrediendum esse censeo, ita ut sacramentum hoc dicatur vel simpliciter « sacramentum infirmorum » vel « levamen » aut « solacium » infirmorum, vel aliquid huiusmodi: nam si reticenda est vox *extrema,* sicut schema probat, pari ratione ex connexione verborum commutanda videtur etiam vox *unctio*: etenim usus fecit ut haec vox « unctio » in memoriam revocet appositum « extrema », a quo praecise est abstinendum. Ad rem adnotare liceat rationem sacramenti posse exprimi non solum sumendo nomen ex elementis eius constitutivis, vel materia vel forma, sed etiam nomen derivando ab effectu: exemplo sit secundum sacramentum, quod iuxta priorem rationem dicitur « chrismatio » sed etiam ex effectu dicitur « confirmatio ».

Ad haec proponenda quae modo dixi, me urget plurium annorum experientia: nam fui cappellanus militum in bello et in nosocomiis et usu didici etiam solam vocem *unctionem* inexplicabilem quamdam producere anxietatem; ita ut etiam medici, ceteroquin viri valde pii, me monerent de gravi damno incumbente aegrotis ex revelato periculo mortis — praesertim quando agebatur de « cardiopathicis » — quod inesset ritui sacramenti et denominationi eius. Haec incommoda arbitror non amplius esse timenda si cum muta-

tione nominis concurrat mutata tota catechesis de hoc sacramento: quae quidem magis elucidare debet eius momentum positivum tum ad animam tum ad corpus quod attinet, clare dicendo mentem D.ni N. Iesu Christi in eo instituendo et Matris Ecclesiae in administrando non esse ut per illud infirmi quasi victimae morti ineluctabili consignentur, sed ut gratia interius reficiantur et corpore convalescant. Sacerdos deberet circa naturam et effectus Sacramenti ita opportune et congrue instruere fideles ut ipsi sponte petant illud recipere.

17

Exc.mus P. D. FRANCISCUS COGONI

Episcopus Octeriensis

Pag. 182: V. De Ordine.

N. 61 (Ritus ordinationis recognoscendus), linn. 3 et 4 ubi dicitur: « Allocutiones episcopi, initio cuiusque ordinis fiat lingua fidelibus nota » ita immutandum censerem: « Allocutiones episcopi initio cuiusque ordinis fiant latina lingua; explicari autem possunt, si id episcopo ordinanti opportunum videatur, lingua fidelibus nota ».

18

Exc.mus P. D. EMMANUEL PETRUS DA CUNHA CINTRA

Episcopus Petropolitanus

In n. 61, ad pag. 182, lin. 4, ubi dicitur: « Allocutiones, initio cuiusque Ordinis, fiant lingua fidelibus nota », meo humili iudicio debet substitui hoc modo: « Fiant lingua latina ».

Omnes rationes enim in Concilio propositae, quae evincunt usum latinae linguae in liturgia ritus romani retinendum esse, praecipue hic valent.

Cum enim, ex una parte omnes ordinandi, utpote qui iuxta studiorum rationem Seminariorum, praesertim post « Veterum Sapientia » Constitutionem apprime latinum sermonem calleant et consequenter intelligant exhortationes Pontificis, et ex alia parte, fideles adstantes totum ritum Ordinationis in consuetis versionibus tunc populo christiano traditis sequantur, non videtur cur exhortationes istae in vulgari lingua proferri debeant.

19

Exc.mus P. D. ALOISIUS DA CUNHA MARELIM
Episcopus Caxiensis in Maragnano

Pag. 181, n. 55, lin. 6: supprimatur: « Et ideo, pro opportunitate, Confirmatio etiam intra Missam conferri potest ».

Ratio est:

1. Quia tempus Missae celebrationis nimis protraheretur, cum gravi fidelium incommodo, maxime dominicis et diebus festis, cum iam homilia habetur, et etiam ferialibus diebus, urgentibus laboribus et aliis fidelium occupationibus.

2. Quia hic ritus intra Missam non pertinet ad instaurationem liturgicam.

3. Quia extra Missam commodius instructio dari potest ante Confirmationis administrationem.

Pag. 182, n. 63, lin. 15: emendetur: « Ante Missae initium ». Ratio: 1) Quia hic ritus intra Missam non pertinet ad instaurationem liturgicam; 2) Quia tempus Missae celebrationis nimis protraheretur, cum gravi fidelium incommodo, maxime dominicis et diebus festis, cum iam homilia habetur, et etiam ferialibus diebus, urgentibus laboribus et aliis fidelium occupationibus; 3) quia, extra Missam, commodius instructio dari potest, ante matrimonii celebrationem; 4) Quia, si in dominicis et diebus festis celebretur, aut exhortatio ad sponsos aut homilia praeiudicaretur.

20

Exc.mus P. D. IOANNES DADONE
Archiepiscopus S. Severinae

De Liturgia, ad cap. III, n. 66, pag. 183: *Ordo exsequiarum.* Praemissis: Haec animadversio circa « ordinem exsequiarum », intitulari quoque « De sacri cantus decoro tuendo » posset.

Saepe saepius observatur actualem ritum exsequiarum adultorum valde indecorose fieri, praesertim in paroeciis et ecclesiis ruralibus et incultis, in quibus unicus sacerdos adest, nec semper cantus gregoriani exigentiis obsequens sive ob naturalem inidoneitatem sive neglegentiae causa. Quod adstantes, luctu et condolentia quidem tacti, sed practice confusi et taedio oppressi, aegre ferunt, et de huius ultroneae poenae subeundae opportunitate inter se queruntur. Ter quaterve aliquot fideles audivi affirmantes se praeferre ritus exsequiales, cum precibus et lectionibus de Sacra Scriptura recto tono prolatis, qui a fratribus separatis reformatis adhibentur. Vere huma-

num est quod fideles nostrae aetatis meliorem esse ritum exsequialem ordinatum et sine strepitu sentiant et optent. Praeterea, neminem fugit ritum exsequialem, propter commotionem circumstantiae et numerum adstantium exceptionaliter praesto esse ad cogitationes fidei et christianae spei fructuose promovendas, ad preces communitarias suggerendas, si lingua vernacula, omnibus vel plurimis nota, ritus clare et decorose fiat.

Propterea, humillime proponere audeo ut haec Sacrosancta Synodus approbet, et commissio ad S. Liturgiam restaurandam provideat, ut:

1. Lingua vernacula adhibeatur in ritibus exsequialibus.

2. Ritus exsequialis componatur: *a*) lectione vel lectionibus variis ex S. Scriptura de fide et spe in vitam aeternam; *b*) precibus communitariis ad suffragium impetrandum pro defuncto et pro omnibus defunctis; *c*) prece communitaria ad confortationem impetrandam pro fratribus qui defunctum plorant; *d*) cantu solius antiphonae et cantici « Benedictus » in deferendo cadavere ad coemeterium.

3. Si inopportuna videatur haec fere integra suppressio cantus sacri in ritibus exsequiarum, ordinentur attamen duo ritus, quorum unus sollemnis, cantibus exornatus; et alter simplex sine cantibus, qui lingua vernacula et cum actuosa participatione fidelium adhiberi possit in omnibus locis et circumstantiis in quibus conveniens et opportunus videatur.

21

Exc.mus P. D. ALBERTUS DEANE
Episcopus Civitatis Mariae

Dum studium ministerii pastoralis circa christianas familias hodierno die magis magisque fervescit, et undique per orbem catholicum associationes familiarum feliciter oriuntur, quae iuxta genuinam spiritualitatem christiani coniugii vivere valde cupiunt, quamplures vere laudabiles familiae a Concilio Oecumenico expostulant expectantque intemeratas orientationes et impulsus quae tanto gratius acceptabuntur quanto altior est Auctoritas impellens.

Propositum schema sic sonat: « Ritus celebrandi matrimonium, qui extat in Rituali Romano, funditus recognoscatur et ditior fiat, ita ut gratia Sacramenti clarius significetur ». Circa hoc schema duo vellem humiliter suggerere, nempe, primum de exactitudine theologica ipsius ritus essentialis adhibiti in celebratione matrimonii, alterum autem relate ad optabiles ampliationes rubricarum de re iuxta exigentias ministerii pastoralis hodierni.

Quantum ad primum, poscerem quod alicui commissioni theologorum delegetur examen ritus qualis prostat in Rituali Romano, ita ut clarius fiat an verba per sacerdotem pronuntianda: « Ego coniungo vos in matrimonium. In nomine Patris, etc. » sint doctrinaliter exacta necne. Etenim in

hoc ritu, secundum iudicium multorum, ipse consensus non sufficienter verbis significatur in illo « Volo » quod ab utroque coniuge respondetur ad interrogationem sacerdotis. Immo, quia in Rituali Romano habetur tantum interrogatio de consensu uniuscuiusque coniugis, deest clara significatio *mutui* consensus partium qui certo requiritur.

In Rituali qui usu venit in Statibus Foederatis Americae, huiusmodi manifestatio mutui consensus expresse patet.

Ego igitur suggererem quod, pronunciato a sponsis ipsorum mutuo consensu, sacerdos tunc addat: « *Ego testificor vestrum consensum nunc ante me mutuo vos praebuisse, et in nomine Ecclesiae declaro vos esse iugiter* (indissolubiliter) *unitos in Sancto Sacramento Matrimonii* ».

Quantum ad secundum, ubi de re pastorali agitur, proponerem quod in Rituali Romano ex novo editando post Concilium Oecumenicum, qui proinde magnae auctoritatis erit in toto mundo, fiat in rubricis explicita mentio de sequentibus rebus agendis occasione matrimonii, nempe:

De sermonibus, collationibus similibusve habendis ad eos simul qui matrimonium sunt inituri, tum per sacerdotes tum per laicos in re peritos, ut tandem intelligant et aestiment sacramenti Matrimonii dignitatem et sanctitatem; qualitates quibus exornari debet; nobilissimam a Deo missionem sponsis datam.

Pariter mentio fiat de parocho qui exhortet sponsos ut quamprimum suam domum SS. Cordi Iesu consecrari sinant, eo magis quod Ecclesia suadere videtur hanc piam praxim ex iam addita Indulgentia Plenaria familiis sic facientibus.

Item de parocho qui instituat exercitia spiritualia pro coniugibus qui intra ambitum suae paroeciae commorantur, ut aliquando, immo crebrius, refervescat gratia sacramentalis matrimonii cum magno ipsorum spirituali profectu.

Non dubito quin huiusmodi exhortationes et actus pastorales sint talis efficaciae salutaris quae apostolatum familiarum valde augescant, sicut iam adest videre quam consolantes fructus eadem praxis obtinuit in locis in quibus instaurata est.

22

EXC.MUS P. D. LEO DE KESEL

Episcopus tit. Synaitanus, aux. Gandavensis

Si textus in ritu Ordinationum adhibendus recognoscatur a viris expertis et peritis, reintroducatur usus ut in consecratione episcopali impositio manuum fiat ab omnibus episcopis praesentibus et non a tribus tantum.

23

Exc.mus P. D. HENRICUS DELGADO Y GÓMEZ
Archiepiscopus Pampilonensis

Occasione tractandi in cap. III schematis constitutionis *de sacra Liturgia* de sacramento Confirmationis et Poenitentiae, duo vellem proponere:

1. *De Confirmatione.* Firmo manente quod in Ecclesia stabilitur de ministro ordinario huius sacramenti, iis qui ius et officium habent conferendi Confirmationem, detur modo permanenti facultas delegandi eodem modo ac concessum est temporaliter, occasione huius Concilii Oecumenici in Decreto Sacrae Congregationis de Sacramentis diei 4 octobris 1962.

Ita providebitur episcopis, qui ratione infirmitatis, difficilis itineris, aetatis provectae, etc. non possunt convolare ad parochias tempore opportuno, ubi frequenter omnia sunt parata ad visitationem pastoralem recipiendam, in qua quidem fit administratio Confirmationis, et ratione alicuius impedimenti episcopi suspenditur et nimis protrahitur. Ordinarie episcopi residentiales non fruuntur auxiliari episcopo vel coadiutore; e contra de iure ordinario est ut a vicario generali adiuvetur in regimine dioecesis.

2. *De Poenitentia.* Premendo vestigia illius qui quaesivit pro episcopis facultatem absolvendi a peccatis rite dispositos ubique terrarum, etiam humiliter peto iisdem detur etiam facultas seligendi confessorem proprium et habilem, modo habeat debitas licentias ministeriales ad huius onus sacerdotale in sua propria dioecesi. Difficultas confitendi sua propria peccata in episcopo obviatur, praecipue in itinere extra limites suae propriae linguae versante, ubi accidere potest ut nemo sit apud quam confiteri possit facili cum intellectu. Norma aliquo modo stabilita in dioecesi romana pro peregrinis in Synodo dioecesana ultima (c. 67) et trahitur in ordine Divini Officii recitandi huius anni pag. 38.

Haec vota ab aliis episcopis etiam didici.

24

Exc.mus P. D. IOSEPH DESCUFFI
Archiepiscopus Smyrnensis

Pag. 179, linn. 26-27, n. 47: post haec verba: « Rituali Romani paranda », adiungatur: « Omnia quae non sunt stricte verba sacramentalia in lingua vulgari dici possunt ».

Pag. 180, n. 50: in fine adiungatur: « Deinceps in Missali Romano, in quibus statutis diebus, lectiones et orationes, quae Baptismum adultorum spectant supprimantur ».

Nn. 50-51. Notandum est ritus unctionum cum saliva sacerdotis cum

hygiene non esse consentaneos multos fideles putare. Tactus sine saliva sufficiant.

Pag. 181, n. 55: *Ritus confirmationis.* Mihi videtur levis alapa aut supprimi aut ab alio ritu substitui posse.

N. 60: *Iteratio Sacramenti.* Iteratio « Unctionis infirmorum » in diuturna infirmitate aliquando iterari potest.

Pag. 182: *De Matrimonio,* n. 62. Quum nulla formula imposita sit a Concilio Tridentino (sess. XXIV, cap. I, de Matrimonio) sacerdoti accipienti partium consensum, sed ei venia datur aliis verbis etiam posse uti ac: Ego vos coniungo in matrimonium... etc., mihi videtur magis consentaneum doctrinae catholicae, quae sponsos declarat esse ministros matrimonii et non sacerdotem assistentem, si ipse modo declarativo solo dicat: « Ego declaro vos in matrimonium coniunctos esse » etc.

Omnia haec cum sacramentalia verba non sint, et omnes orationes, exhortationes, lectiones etc. in lingua vernacula dici possunt.

Pag. 182: *De Sacramentalibus.* N. 64: Optandum est ut quando agitur de sacramentalibus, omnia in lingua vernacula exprimantur, ut participatio fidelium sit conscia, actuosa, sicut dictum est *multoties* sive hic, sive in capitulo de liturgia Missae et alibi, a Patribus Concilii.

25

Exc.mus P. D. CONRADUS DE VITO
Episcopus Lucknovensis

N. 47: *De ritualibus revisendis.* Ritualia linguis vernaculis reddenda sunt.

Conferentiae episcoporum uniuscuiusque regionis curare debent ut hoc fiat.

Expertis in linguis vulgaribus hic labor certe committetur.

Multae difficultates technicae in hoc labore praevidendae sunt. Praecipua inter illas est *translatio verborum quae sacramentalia sunt* (technica verba).

Uti clare apparet, pastores volunt ut in translationibus evidentia sensus ita appareat, ut ista quoque verba immediate intelligantur.

Tamen magnum scopulum evitandum est, nempe ne in translatione istorum verborum ad claritatem obtinendam, sensus ipsius verbi plene amittatur.

Liceat exempla dare: *Baptisma;* si per « sacrum lavacrum », vel « balneum » redditur, pagani putabunt baptisma illam caeremoniam esse quae in omnibus pene religionibus habetur, in India balneum sacrum in flumine Gange.

Sanctum Chrisma, si redditur per sanctum oleum et *Confirmatio* redditur per unctionem sacram, pagani dicent quod ipsi quoque permulta olea sacra et unctiones sacras habent.

Missa, si redditur tantum per verbum « sacrificium » et *Sanctam Com-*

munionem, per participationem in sacrificio, per manducationem partis victimae, pagani dicent quod et ipsi permulta habent sacrificia et participationes in sacrificiis per manducationem partis victimae.

Ideo vellem rogare Patres ut quando in decretibus Concilii de hac re agitur, i. e. in translationibus Missalis et Ritualis, semper velint quod ista regula addatur: « In translationibus formularum sacramentalium, verba ipsa sacramentalia seu technica, uti Baptisma, Chrisma, Confirmatio, Missa, Communio etc., uti sunt in lingua graeca et latina retineantur, et postea illis verbis addatur explanatio de suo speciali sensu; ita ut nostra dogmata et sacramenta ab infidelibus non confundantur cum credentiis et ritibus non christianis.

Hoc fit in omnibus linguis modernis, quando de novis verbis agitur; ita ut, verba quae sequuntur, v. g., in omnibus linguis inveniantur: microscopium, microphonium, telephonium, telescopium, automobilis etc.

Tamen experientia dicit quod *sic dicti experti,* ne videantur patriam et linguam patriam parum diligere, in omnibus fere translationibus faciendis verba technica et sacramentalia relinquunt, et verbis communibus utuntur, quae apta non sunt ad dogmata et sacramenta, immo ad fidem, exprimenda.

Multa dicta sunt de adaptatione ritus sacramentorum *moribus singulorum populorum,* quia ita fideles melius sacramenta intelligere possunt.

Sed, proh dolor!, experientia triginta annorum in missionibus contrarium mihi docet.

Si ritus sacramentorum ad similitudinem morum locorum redditur, potius erronea significatio indicatur, quam id quod revera sacramenta significant.

Infideles, quando nostros ritus observant, experimenta quaedam iam facta sunt, ita iudicant: « Nulla datur differentia inter res sacras nostrae religionis et res sacras religionis christianae; ideo inutile est pro nobis christianos fieri ».

Fideles vero nostri incapaces sunt demonstrandi quod nostra sacramenta aliquid divinum sunt, id quod in aliis religionibus non invenitur.

Ideo vehementer rogo Patres ut quando agitur de revisione Ritualis, haec verba addantur ad n. 47: « Revisio ita fiet ut nulla similitudo detur inter caeremonias et usus infidelium et ritus sacramentorum ».

26

Exc.mus P. D. ZACHARIAS DE VIZCARRA

Episcopus tit. Eressiensis

Imagines in publicis cinematographeis non raro exhibitae, et prelo vulgatae, etiam in piis doctrinae et devotionis libellis, ostendere solent actum baptismi capillatorum in positione capitis omnino prona, in qua, supra densum capillamentum, aqua baptismalis effunditur.

In his praeposteris repraesentationibus et figuris, a plurimis spectatoribus et lectoribus discitur erronea forma administrandi baptismum, cum periculo consectariorum extremae gravitatis.

Baptismus enim sic administratus, sine opportunis cautionibus, est saltem practice dubius; et, quia baptismus est porta ceterorum sacramentorum, et in eo fundatur capacitas ad validam eorum receptionem, sequitur esse quoque dubia reliqua sacramenta post illum administrata: dubios idcirco esse sacros ordines, dubium sacerdotium, dubium episcopatum, dubiam absolutionem sacramentalem, dubiam Missam, dubiam communionem.

Ideo existimo explicandum esse clarissime et inculcandum instantissime rectum modum baptizandi capillatos, et modum etiam aptioris positionis in ipso baptizando, ut aqua baptismalis, dum fit lavacrum regenerationis, possit facilius supra pellem baptizati fluere, decurrens per ipsius frontem et faciem.

27

Exc.mus P. D. IOSEPH BARTHOLOMAEUS EVANGELISTI
Archiepiscopus-episcopus Meerutensis

N. 48. *De Catechumenatu restaurando.* Circa hanc quaestionem fere nihil dictum est in congregationibus generalibus. Attamen, postquam cum aliis episcopis et sacerdotibus de hac re sermonem habui, sequentia notare velim:

1. Catechumenatus restaurare *pluribus gradibus distinctus,* non est practica res nisi pro illis qui habent abundantiam temporis cum parvo numero catechumenorum. Si haec methodus acceptetur, cum ultimum verbum locorum Ordinariis relinquatur, magna differentia habebitur inter unam dioecesim et aliam in eadem natione, non quidem sine admiratione fidelium. Quam ob rem simpliciorem solutionem huius problematis propono ut sequitur.

2. *Unus sit gradus in Catechumenatu.* Sed utique valde optanda est in Rituali Romano aliqua pulchra caeremonia pro illa occasione in qua adulti inscribuntur in regesto Catechumenorum. Unum caput S. Evangelii, vel Epistolarum, legi potest. Sermo sequatur una cum parvi Catechismi traditione et aliqua oratio in lingua vernacula... vel similia. Haec valde utilia forent. Si plus exigitur, generaliter nihil fiet. Nam generatim episcopi hanc rem relinquent sacerdotibus. Sacerdotes vero propensiores esse videntur non ad proprium laborem sine necessitate augendum, sed potius ad illum minuendum, vel saltem simplificandum; hoc speciatim nostris diebus fit, cum sacerdotes pauci sint et nimiis obruantur laboribus.

28

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis, episcopus Squillacensis

In Introductione: videtur quod confusio ingeratur inter sacramenta et sacramentalia: Sacramenta enim effectum producunt *ex opere operato*: operante Christo per Ecclesiae ministros; in sacramentalibus, effectus habetur *ex opere operantis Ecclesiae,* sive in sacramentalibus constitutivis, v. g. in consecrationibus, sive in benedictionibus; hinc valor sacramentalium.

N. 47. Ritualia particularia revisioni subdentur ut affines sint Rituali Romano.

N. 48. Catechumenatus instauretur, *ubi* possibile est: agiturne de catechumenato publico seu liturgico, an privato? de pluribus catechumenis an de singulis? (cf. nova ratio conferendi baptismum adultorum recenter in *A.A.S.* publicata).

N. 49. Fiant quidem, sed ad modum paraliturgiae, quae nullo modo partem habent in rem sacram, nisi analogice.

N. 50. In lucem ponatur in adultis *necessitas attritionis,* ne sacramentum informe recipiatur.

N. 51. Exorcismi, qui fiunt in animam pueri, imprimunt *etiam* in mentem fidelium adstantium, infantem realiter infici *vero* peccato originali, et sacramentum conferri ut regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt. Ergo exorcismi ne omittantur, licet quidam possint restringi.

N. 52. Fit confusio, ut videtur, inter baptismum *solemne* et baptismum *privatum.* Ergo dicatur: bene instruantur omnes ad conferendum baptismum in casu necessitatis, etc.

N. 53. Bene: dummodo brevis ritus contineat etiam formulam reiectionis errorum a neo-conversis faciendam.

N. 54. Provideatur modo aptiore aquae quae putrefit in vasculis!

N. 55. Non bene intelligitur in textu quo sensu debeat clarius elucescere connexio sacramenti confirmationis cum sacramento baptismi: immo timor est ne confusio oriatur inter utrumque sacramentum in mente fidelium. Videtur excludenda collatio confirmationis *intra Missam;* nil obstaret quominus immediate *ante* Missam conferatur.

III - *De Poenitentia.*

N. 56. Nil videtur immutandum. Videretur potius aliquid addendum in Rituali de absolutione *pluribus* simul impertienda in quibusdam occasionibus exceptionalibus: v. g. in bello; in incursionibus bellicis; in quibusdam publicis calamitatibus; et determinationes ponantur in Rituali, ne accidat ut unusquisque *suo marte* in re tanti momenti agat.

IV - *De Unctione infirmorum.*

N. 58. Nonne considerari posset hoc loco casus eorum qui malo fato

vel perdurante labore vel itinerantes curribus hodiernis velocissimis inopinato in periculum mortis incidunt? Quid vetaret quominus cappellani opificum vel sacerdotes itinerantes secum semper ferre possent parvulum vasculum cum Oleo infirmorum, ut in casu verum auxilium afferre possent his fratribus repentino modo in gravi periculo mortis adducti.

N. 59. De ritu: videtur communiter restringi posse unctiones ad duas tantum: videlicet in fronte et in manibus infirmi: ceterae unctiones fiant quidem iuxta possibilitatem, servata ratione infirmitatis et opportunitatis in genere.

V - *De Ordine.*

N. 61. Huiusmodi recognitio maxima sobrietate fiat: v. g. omitti poterit in diaconatu et presbyteratu appellatio ad populum, cum supponatur banna iam facta, etc. Allocutiones *ad populum* fieri poterunt lingua vulgari; quae vero ad ordinandum, relinquantur in textu uti sunt in lingua latina. Ultima pars ordinationis sacerdotalis fiat *post* orationes ultimas, seu orationes post antiphonam ad Postcomm., ne duplicata sint benedictio etc.

VI - *De Matrimonio.*

N. 63. Ante Missam celebretur, et ritus ita aptetur ut semper, sive sequatur Missa sive non, eo sacerdos uti possit. Oratio super sponsam fiat lingua vulgari.

29

EXC.MUS P. D. IOSEPH FENOCCHIO
Episcopus Apuanus

Sermo est de art. 55 in cap. III « De Sacramentis et Sacramentalibus ».

Liceat aliquid addere iis quae circa aetatem pro suscipiendo Sacramento Confirmationis iam dicta sunt.

Valde interest ut Sacrosanctum Concilium mentem suam clare aperiat circa aetatem aptam pro admittendis pueris huic Sacramento.

Nota est antiqua praxis iuxta quam Confirmatio ministrabatur infantibus statim post Baptismum. Scimus pariter sententias hodie in duas, praesertim, partes abire, quarum altera ponit collationem Sacramenti ante primam Communionem, altera autem ad provectiorem aetatem remittit, hinc et inde haud spernendis rationibus faventibus.

Nunc autem quaestio est in ordine pastorali quod maximi interest. Sub hac ergo ratione Sacramentum Confirmationis se praebet ut Sacramentum perfectionis christianae, uti catechismus S. Pii X docet, scilicet Sacramentum quo vita spiritualis hominis fit adulta, sumens adultorum iura et officia, inter quae praesertim munus testimonii propriae fidei eiusque defensionis, necnon munia apostolatus.

Confirmatus, vi huius Sacramenti, e statu infantiae exit ut rationem ali-

cuius virilitatis in exercenda et aliquomodo communicanda vita christiana induat, qua tandem fit membrum responsabile et vere activum vitae socialis Ecclesiae.

Sunt ergo qui opinentur hoc Sacramentum opportune remitti ad duodecim circiter annos, scilicet ad aetatem pubertatis.

Nonnullae utilitates pastorales ex hac praxi derivandae videntur:

1. Pueri meliore cognitione ac maturiore conscientia Sacramentum suscipient, et obligationibus inde provenientibus firmius adhaerebunt.

2. Renovatio promissionum Baptismatis quae peropportune hoc articulo proponitur, suum verum momentum in mente confirmatorum sumet, quod e contra pueri usum rationis vix attingentes, difficile discernere queunt.

3. Sacramentum hac aetate, scilicet ad duodecim circiter annos susceptum, melius et vere ostendet sollemnem ingressum pueri in maiorem aetatem spiritualem, et quidem ut responsabilis boni communitatis ecclesialis.

4. Accedit, saltem in multis regionibus, peculiaris et gravis ratio: hodie in usum venit apud plurimas familias ut pueri, receptis Sacramentis Eucharistiae et Confirmationis, scholas catecheticas definitive relinquant, ita ut religiosa eorum institutio maneat per totam vitam intra infantiles limites qui proprii sunt aetatis septem vel octo annorum. Si autem collatio Sacrae Confirmationis in provectiorem aetatem remittatur, perutile instrumentum praebebitur pastoribus per longius tempus institutione catechetica pueros imbuere. Fas saltem eis erit per aliquot menses confirmandos accipere velut ad secundam scholam, qua repetent quae pro prima Communione addiscerunt et ampliorem et profundiorem scientiam salutis acquirent.

Quidquid sit de his quae humili sententia dicta sunt, valde optandum est ut Sacrosanctum Concilium aliquid perspicue statuat circa aetatem huius Sacramenti suscipiendi, ad necessariam normam Sacrorum Antistitum et ad incertitudines et anxietates in re tanti momenti placandas.

II - Hic poni etiam potest quaestio nominis huius Sacramenti. Etenim, Confirmationis nomen, ut ex historica investigatione patet, usitatum est ad ritus designandos quibus antiquitus, persecutionum tempore, lapsi cum Ecclesia reconciliabantur. Nunc vero submisse quaerere audeo num aptius nomen videatur quo munus testimonii christiani (italice: testimonianza cristiana) connotetur, quod munus specifica obligatio est confirmatorum.

III - Ad art. 56. Toto corde adhaereo voto iam expresso de facultate episcopis concedenda ad absolvendum ubique terrarum.

Poterit forsan considerari opportunitas extendendi facultatem ad singulos sacerdotes pro sua natione. Notum est enim quam frequenter hodie sacerdotes fines suae dioecesis superent. Si ergo ius commune statuet ut qui a suo Ordinario facultatem habuit, possit in tota natione ministerium exercere solo rogatu cuiuslibet poenitentis vel rectoris ecclesiae, hoc fini pastorali utile videtur.

Quod aliquomodo iam fit in nonnullis Dioecesibus ubi locorum Ordinarii parochos et ecclesiarum rectores subdelegant ad facultatem concedendam audiendi sacramentales confessiones sacerdotibus a suo Ordinario adprobatis.

IV - Denique, quoad communicationem indulgentiarum, episcopis omnes facultates tribuantur quae nunc reservantur sive ad quasdam Religiones Regulares, sive ad sodales quarundam consociationum, et simplici signo crucis.

30

Exc.mus P. D. CAROLUS A. FERRERO DI CAVALLERLEONE
Archiepiscopus tit. Trapezuntinus

Ad n. 51. Suppressionem postulo, *in Ordine Baptismi,* illius actionis liturgicae iuxta quam baptizans aures et nares baptizandi propria saliva iniungit: permanere posset tantummodo gestus.

Ad n. 55. Postulo ut, propter debitam reverentiam Domino Iesu qui primum venit eucharisticus in animas quae primam Communionem suscipiunt — et certe eas invenire vult quam maxime divites gratia — postulo, dico, ut episcopi, vel alii legitime *Confirmationem* ministrantes, semper curare velint ut, quantum humane potest, Confirmatio ante S. Communionem administretur: saepe hoc non impeditur a vero impedimento vel ab aliqua seria difficultate, sed tantummodo a levitate deliberationis ex parte illorum qui institutioni caeremoniae praesunt.

Ad n. 63. « *Oratio super sponsam* » convenienter, certe, lingua vernacula potest recitari — si sponsorum sermones diversi non sint —, sed malo orationem illam « super sponsam » tantum remanere, iuxta antiquam et significantem Romanae Ecclesiae consuetudinem.

31

Exc.mus P. D. M. FRANCISCUS FORST
Episcopus Dodgepolitanus

Schema huius constitutionis, attentis exigentiis pastoralibus, mihi valde placet. Rationes in favorem adoptionis huius schematis et partium eius, e. g., de Communione sub utraque specie et de amplificatione usus concelebrationis, a multis Patribus Conciliaribus bene propositae sunt. De usu linguae vernaculae in sacramentalibus attamen vellem proponere quae sequuntur:

Pag. 182, VII, 64, linn. 23-27: « Prae oculis habito principio de conscia, actuosa et facili participatione fidelium et attentis hodiernis necessitatibus », et cum multi fructus sacramentalium non tantum ex opere operantis Ecclesiae sed etiam ex opere operantis subiecti recipiantur, usus linguae vernaculae in sacramentalibus conficiendis et administrandis concedatur et insuper, ad maiorem aedificationem populi Dei, foveatur. Proinde versiones omnium sacramentalium in linguis vernaculis a conferentiis episcoporum cito praeparentur et approbationi Sanctae Sedis submittantur.

32

Exc.mus P. D. DIDACUS M. GÓMEZ TAMAYO
Archiepiscopus Popayanensis

Quoad administrationem Baptismi et Confirmationis, quaedam meo iudicio utilia, liceat mihi exponere et postulare:

1. *Ordo Brevior Baptismi.* Optandum esset ut Ordo Baptismi brevior esset, non tantum in terris Missionum, sed etiam alibi ubi peculiares existunt rationes:

a) *In gratiam sacerdotum curam animarum* habentium. Plerumque enim accidit, saltem in Americae regionibus, ut occasione Visitationis pastoralis vel solemnitatum, multi infantes, 60, 80 vel 100, simul accedant baptizandi; et administratio sacramenti iuxta omnia praescripta in Rituali nimium defatigationis et temporis exigit ab iis qui iam aliunde onerati sunt labore paroeciali: in mea archidioecesi tantum, adsunt paroeciae 20 vel 30 milia fidelium habentes, ad quorum curam spiritualem duo solum habentur sacerdotes.

b) *In gratiam parvulorum.* Nimis durum videtur pro ipsis infantibus expectare unam vel duas horas in templo, et quidem saepe post longum iter et ex longe venientes. Valde optandum ergo esset ut in nova editione typica Ritualis, brevior praescribatur ritus, saltem ubi rationes descriptae existunt.

2. *Quoad administrationem Confirmationis.* Can. 788 sapienter enuntiat doctrinam Ecclesiae dicens: « Licet sacramenti confirmationis administratio convenienter in Ecclesia Latina differatur ad septimum circiter aetatis annum, nihilominus etiam antea conferri potest si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire ob iustas et graves causas videatur ». Quum vero agitur de sacramento quod « in primis saeculis una cum baptismo conferebatur », et « in Ecclesia graeca confirmari solent infantes statim post baptismum » (E. F. Regatillo, *Theologiae moralis Summa,* ed. B.A.C., Matriti, 1954, vol. III, pag. 84), et considerando gravissima incommoda pastoralia quae oriri possent si administratio differretur ad septimum annum (ex. gr. si confessiones quinque vel sex millia infantium audiendae essent, uti accidere potest, saltem in America), optandum esset ut tantum iusta causa requiratur pro administrando sacramento infantibus ante septennium.

Altera quaestio. S. Congregatio de Sacramentis decretum « Spiritus Sancti munera » dedit de administratione sacramenti Confirmationis a presbyteris, et ubi taxative indicantur ministri extraordinarii huius sacramenti, atque conditiones ad hoc requisitae.

Postulare velim: nonne esset extendenda haec facultas vicariis coopera-

toribus, qui potius quam ipsi parochi opportunitatem habent hoc sacramentum administrandi, dum cetera sacramenta administrant in mortis periculo constitutis?

33

Rev.mus P. D. PETRUS CAELESTINUS GUSI
Abbas generalis Congregationis Sublacensis O.S.B.

Ad n. 65: *Ritus vestitionis et professionis religiosae.* Nullo in ritu sic invaluit arbitrium ut in vestitionibus religiosis, praesertim feminarum. A sacra celebratione Missae disiunctae, functiones scenicae atque commotionis plenae evolvuntur, ridiculum non raro attingentes.

Difficile est omnia in unum redigere, attamen normae possunt praeberi generales, quibus sobrietatem ac dignitatem obtineri possunt. Sed quomodo haec effici possunt?

Vestitio, vel ingressus in tirocinium, simplicitate maxima fulgere debet. Vestitio religiosa interdum a mulieribus videtur extrema e mundo decessio et nuptiae supremae cum Deo. Divulgantur invitationes, advocantur patrini vel matrinae, nuptiales vestes conficiuntur, etc. cum tantum de initio probationis vel experimenti agatur, quod si non recte evadit, in non parvas difficultates incurritur, quominus planus et facilis exitus fiat.

Ritualis monasticus Congregationis Sublacensis noviter revisus, et ille Congregationis Beuronensis aliarumque Congregationum, hunc ordinem, plus minusve, praebent:

1) Candidati praesentationem ante Communitatem in Capitulo coadunatam. 2) De eius proposito interrogationem. 3) De lotione pedum iuxta ritum proprium Benedictinum. 4) Candidati vestitionem dum psalmus canitur. 5) Orationes finales silentio, et Abbatis collectam.

Professio religiosa, maxime votorum solemnium aut perpetuorum, maiorem apparatum ostendit, sed non ob rituum numerum aut varietatem sed potius ex momento celebrationis, intra Missam nempe emittitur, ut fit in consecratione Virginum, sicut fere omnes alii ritus consecrationis personarum. Nec in qualibet parte Missae, ut exempli gratia in Communione, sed in Offertorio, antequam oblata ad Altare afferantur. Tunc enim sensus personalis oblationis sui ipsius optime congrueret cum oblatione rerum consecrandarum, et analogia perfecta haberetur sacrificii sui ipsius in Sacrificium Christi mystice inserti.

Ita specimen novi ritualis monastici professionis solemnis: 1) Productio et interrogatio candidati coram Communitati in Capitulum aliquibus diebus ante professionem coadunatae. 2) In Offertorio Missae per Abbatem celebratae in pontificali ritu, Abbas, vetere exhortatione incipit: « Promittisne » etc. candidato respondente: « promitto ». 3) Professionis formula clara voce expressa. 4) Abbatis et Communitatis assensus, nutu capitis annuentium cum professus schedulam ostendit. 5) Canitur « Suscipe » Regula prae-

scriptum. 6) Abbatis indictio ad orationem, silentio habendam, sequitur oratio vetustissima mozarabica sec. VII « Clementissime Deus ». 7) Tunica choralis induitur. 8) In sinu Communitatis accipitur, amplexu fraterno significato. 9) Hostiae ad Altare oblatio.

Simplex professio, quae pro iure hodierno tantum primae probationis terminus est, in consessu monachorum sive in Capitulo sive in Sacello aliquo fit, simpliciore ritu, quamvis idem specimen observari debet.

34

Rev.mus P. D. CORNELIUS HEILIGERS

Superior generalis S.M.M.

Pag. 183, n. 65, linn. 1-5. Salva sobrietate et dignitate in ritibus vestitionis et professionis religiosae, opportunum videtur: *a*) nullum excludere ritum particularem legitime in usu apud Religionem. *b*) Etiam novas admittere varietates, dummodo vere peculiari spiritui et characteri Religionis respondeant.

Cum varietas praevideatur in ritibus et caeremoniis ratione gentium et locorum diversae indolis, non videtur curnam haec varietas, moderate dari non posset in ritibus vestitionis et professionis.

35

Exc.mus P. D. MAXIMUS HERMANIUK

Archiepiscopus Vinipegensis Ucrainorum

Dominus Maximus Hermaniuk *renuntiat* loqui in sessione generali circa cap. III schematis: *De sacra Liturgia.*

Sed in scriptis proponere voluerit sequentem emendationem n. 47 istius capitis, pag. 179: In nova editione « typica » Ritualium variorum rituum, nempe ritus latini et variorum rituum orientalium, paranda, clare indicentur partes, quae in Ritualibus particularibus, lingua vulgari dici possunt. Super huiusmodi autem Ritualium editione, Ritualia particularia, singularum regionum necessitatibus aptata (cf. art. 21 huius constitutionis) a Conferentiis episcopalibus quam primum parentur, et, actis a Sancta Sede recognitis (cf. can. 291), in respectivis regionibus adhibeantur...

Ratio: In constitutione illa statuenda sunt principia generalia pro omnibus ritibus Ecclesiae Catholicae, quia ibi agitur de decisionibus Concilii Oecumenici quod inquirit, iudicat et decernit pro tota Ecclesia. De cetero, bonum animarum postulat hodie quasdam aptationes etiam in Ritualibus variorum rituum orientalium. Ita ex. gr. in nostro ritu byzantino-ucraino,

recognosci deberent: ritus Baptismi, Extremae Unctionis, Matrimonii et Ordo Exsequiarum.

Aptationes hae variae variorum rituum orientalium possent fieri per collaborationem commissionis de sacra Liturgia et commissionis pro Ecclesiis Orientalibus.

Quoad n. 55, pag. 181, proponere vellem propositionem sequentem: In periculo mortis, omnis sacerdos uniuscuiusque ritus potest conferre, in absentia ministri proprii vel delegati sacramenti Confirmationis in ritu latino, hoc sacramentum fidelibus ritus latini, servandis praescriptis sui proprii ritus.

Ratio: Hoc exigit bonum animarum, praesertim hodiernis diebus, speciatim tempore belli.

Quoad n. 59, pag. 181, proponere vellem. In Extrema Unctione administranda graviter aegrotantibus in publicis hospitiis, unctio infirmi fieri potest una unctione super caput.

36

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS JAEGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Titulus mutetur in hanc formam: De ceteris sacramentis et de sacramentalibus. Ratio: iam actum est de Eucharistia, quae est sacramentum, immo summum sacramentum.

Pag. 179, linn. 4-7, post verbum « alunt » mutentur in hanc formam: Ideo sacramenta Ecclesiae « sacramenta fidei » vocantur. Fideles celebratione liturgica sacramentorum cultum debitum Deo reddentes gratias salutiferas obtinent, dum sacramentalium devote celebratione gratias impetrant. Ratio: sacramenta gratiam conferunt, sacramentalia impetrant.

De n. 60, cap. III, ubi dicitur: « Unctio sacra in diuturna infirmitate aliquando iterari potest »: verbum « aliquando » non placet, et rationes eius in nota 14, pag. 181, allatae non sunt stringentes. Nam praxis singularum ecclesiarum satis diversa per saecula apparebat, et solatium spirituale, de quo agitur in hac nota, aliis sacramentis, praesertim sanctissima Eucharistia, quaerendum est. Cavendum erit, ne rationes psychologicae praevaleant prae rationibus illis dogmaticis, quae in Decreto pro Armenis et adhuc clarius in Concilio Tridentino expositae sunt (Conc. Trid., sessio XIV, cap. 3; Denz. 910: cf. Denz. 700).

Retineatur ergo consuetudo Ecclesiae catholicae, et loco verbi « Aliquando » ponatur « si periculum mortis, quod cessaverat, denuo imminet » vel similiter.

Ex causis autem pastoralibus nomen « unctio infirmorum » praeferendum videtur in cura animarum prae aliis appellationibus, et tali modo placet propositum n. 57, eadem in pag. 181.

37

Exc.mus P. D. ALEXANDER KOVÁCS

Episcopus Sabariensis

Administratio unctionis infirmorum in pagis dissitis, sed etiam in nosocomiis modernis est labor fatigiosus sacerdotibus. Ideo humillime supplicare audeo Sacrosanctum Concilium velit petere Sanctum Patrem nostrum Ioannem Papam XXIII quod sacerdotibus qui sacramentum unctionis infirmorum administrant, vel plenariam vel magnam partialem indulgentiam concedere non dedignetur suetis conditionibus. Sanctus Pater noster dignatus est eximia magnanimitate indulgentiam plenariam concedere pro mane oblatis laboribus, item pro dolores animi e corporis offerentibus. Ideo rogare audemus quod sacerdotes salutem animarum fatigioso labore quaerentes pro administratione unctionis infirmorum ex divitiis Ecclesiae accipiant mercedes suas.

38

Exc.mus P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ

Episcopus Sideropolitanus

I. Ad n. 47: *de Ritualibus particularibus.* Ad verba « quae, in Ritualibus particularibus, lingua vulgari dici possunt » desiderarem, certe cum multis aliis, ut lingua vulgaris large adhiberi possit, et lingua latina, si ex gravibus causis hoc opportunum teneatur, ut rara exceptio et tantum in ministrandis Sacramentis remaneat. Causae sufficientes pro hoc desiderio allatae sunt.

II. Ad n. 53: *de Ordine supplendi omissa in Baptismo.* Propono, ut « Ordo supplendi omissa in Baptismo » in Rituali remaneat et iuxta eum novus Ritus pro recipientibus infantibus et neoconversis conficiatur et ponatur.

Non raro fit, ut infans in periculo mortis sub brevissima forma baptizetur. In his causis opportunum est, si infans postea in ecclesiam ad supplendas caeremonias portetur, qua occasione Baptismus rite probari et in libros baptismales inscribi possit. Praeterea etiam pastorales causae hunc modum supplendi omissa valde commendant.

Ritui pro recipientibus infantibus et neoconversis addantur etiam Rubricae convenientes pro iudicando et probando Baptismo acatholice recepto. Post tot locutiones cum fratribus separatis forte Baptismus ab iis administratus ut valide administratus et receptus praesumi possit.

III. Ad n. 55: *de Ritu Confirmationis.* Saluto intentam recognitionem Ritus huius Sacramenti. Sed pariter desiderarem, ut sicut administrationi

huius Sacramenti renovatio promissionum Baptismi antecedit, istud etiam cum aliqua promissione et forte etiam receptione in coetus Apostolatus laicalis sive Actionis Catholicae coniungatur. Ideo aetas maturior circiter 12-14 annorum pro hoc Sacramento a me commendatur.

IV. Ad n. 64: *de Recognitione Sacramentalium.* Quod nova Sacramentalia attinet, quae Ritualibus addi possint, hanc potestatem talia Sacramentalia inducendi etiam pro episcopis desiderarem et pariter proponerem.

39

Exc.mus P. D. IOSEPH ALÍ LEBRUN MORATINOS
Episcopus Valentinus in Venetiola

Ad constitutionem sub n. 52 positam (Ordo Brevior Baptismi), peropportunas has additiones faciendas ducitur: « Conficiatur Ordo brevior baptismi, qui a catechistis, et generatim, in periculo mortis, a fidelibus absente sacerdote vel diacono, adhiberi possit.

Item Ordo brevior baptismi conficiatur, qui, in magno et exceptionali baptizandorum concursu, et in locis penuria cleri laborantibus, a sacerdote, de Ordinarii iudicio, adhiberi liceat ».

Explicatur: Non raro nostris in regionibus ex saeculari consuetudine solemnioribus diebus et festis pueri baptizandi turmatim portantur (cogita 200) quod quidem periculum generat ut in Sacramenti administratione minister, nimia defatigatione, machinarum modo sese gerat ita ut iure timeatur ne aliquoties valor ipse sacramenti in discrimen vertatur.

40

Exc.mus P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainanensis

Visum est peropportunum pluribus episcopis de Sinis proponere Patribus quod in sacra ordinatione subdiaconatus traditio libri divini officii fiat.

Per sacram ordinationem subdiaconatus munus grave suscipit nomine Ecclesiae divinum officium uti sacrificium laudis persolvendi. Impositionis vero huius muneris nullum indicium in ritu sacrae ordinationis invenitur. Nam hoc munus decursu temporis ex praecepto Ecclesiae introductum fuit.

Sed peropportunum videtur quod hoc munus per traditionem libri divini officii in sacra ordinatione significetur eiusque significatio cum ordinatione sacra intime coniungatur. Haec traditio certe non pertinet ad essentiam ordinis subdiaconatus; sed potest indicare ac etiam constituere relationem internam muneris dicendi officium divinum cum subdiaconatu. Hoc munus

non est nec erit exercitio ordinis subdiaconatus, sed per voluntatem Ecclesiae est officium huius ordinis, quod per gratiam sacramentalem sustineatur ac roboretur.

41

Exc.mus P. D. VICTORIUS LONGO

Episcopus tit. Lorymensis, aux. Neapolitanus

Circa ritum celebrandi Matrimonii sacramentum, valde exopto ut omnes formulae, a benedictione anuli (quae nunc respicit solum anulum sponsae) usque ad benedictiones, quae locum habent in Missa, logice adaptatae in plurali vertantur, quia adsunt duo subiecta quae adstringuntur simul officiis et gaudent iuribus propriis unius eiusdemque Sacramenti. Desideratur aliquid in ritu, respiciens non generice sed specifice personam sponsi et eius obligationes.

42

Exc.mus P. D. VLADIMIRUS MALANCZUK

Episcopus tit. Epiphaniensis in Syria

Humiliter postulat a Sacrosancto Oecumenico Concilio Vaticano II sequentia relate ad schema constitutionis *de sacra Liturgia.*

Ad caput III: *De Sacramentis et Sacramentalibus.*

1. Ut praeceptum revisendi et abbreviandi Ritualia Sacramentalium et Sacramentorum, praesertim Baptismi et Extremae Unctionis, atque abbreviandi formam absolutionis sacramentalis in casibus necessitatis etiam ad ritum byzantinum (orientalem) benigne extendere velit. Numeri 47-67. *Rationes*: Quaedam formulae sunt antiquatae, parum adaptatae ad necessitates spirituales hodiernas; caeremoniae nimis longae.

2. Ut commissio liturgica orientalis pro revisione Librorum liturgicorum existens: *revisionem Libri Pontificalis* « Archieraticon » dicti, pro ritu byzantino quam citius absolvat. *Ratio*: Desideranda est uniformitas in caeremoniis Sacramentalium, Consecrationum, et S. Sacrificii Missae (S. Liturgiae) nostrorum episcoporum.

43

Exc.mus P. D. IOANNES McELENEY

Episcopus Kingstonensis

Art. 47 (pag. 179, linn. 26-31). Videas quae dicuntur supra sub art. 37 [*cf. p. 249*]. In titulo videtur praeferenda terminologia « *Ritus Romani* ».

Art. 47 bis (pag. 179, lin. 28). Post primam sententiam, addatur qualificatio quae fere hoc modo sonet: « Maxima libertas hac in re tribuenda est

auctoritati competenti territoriali, paucis omnino exceptis ut, v. g., ipsa forma Sacramenti Baptismatis vel Ordinis ».

Art. 48 (pag. 180, lin. 8). Loco « *de iudicio Ordinarii loci* » melius forte dicitur « *de iudicio competentis auctoritatis territorialis* ».

Art. 49 (pag. 180, lin. 11 ss.). Ea quae dicuntur hoc articulo non pertinent *exclusive* ad terras Missionum. Ideo melius ut inseratur verbum « *Praesertim* » initio sententiae aut deleantur verba « *in terris Missionum* ».

Art. 52 (pag. 180, lin. 23 ss.). Idem est dicendum de hoc articulo ac de articulo 49 supra, et propter eamdem rationem.

Art. 53 (pag. 180, linn. 27-31). Valde placet articulus. Caveatur tamen in ritu conficiendo ne ulla sit occasio confusionis pro fidelibus rudioribus hunc ritum inter et « rebaptismum » (ut hodie non raro fit confusio inter ordinem supplendi omissa et baptismum ipsum).

Et, generatim, etiam in aliis sacramentis, melius supprimenda est terminologia de « supplendis omissis ».

Art. 54 (pag. 181, linn. 1-3). Intra tempus paschale utique adhibeatur in baptismate solemni aqua benedicta Sabbato Sancto. Extra tempus paschale, autem, potius *commendatur* ut aqua baptismalis in ipso ritu, formula breviore et apta, benedicatur.

Art. 55 (pag. 181, lin. 6). Loco verborum « *pro opportunitate* » forte melius adhibeatur « *generatim* » vel « *ut regula generalis* » (Congrue enim omnino habetur administratio inter Missam, etiam eo quod Confirmatio, sicut et Ordo, est quaedam participatio sacerdotii Christi).

Porro, facultas administrandi hoc Sacramentum in periculo mortis amplificetur ita ut possit fieri a quolibet sacerdote.

Art. 60 (pag. 181, linn. 25-26). Melius est delenda ut nimis vaga, immo, minus dicit quam id quod communiter docetur in scholis.

Art. 61 (pag. 182, linn. 1-4). Secunda sententia est delenda, nam nimis restrictiva est (vide quae dicuntur supra ad art. 47).

Art. 63 (pag. 182, lin. 18). Non placet mentio explicita linguae vernaculae de aliqua oratione specifica. Ne nimis limitetur auctoritas competens territorialis hac in materia.

(Pag. 182, linn. 20-22). Sententia (quae incipit « *Si vero Sacramentum* ») videtur superflua (implicite in genere continetur in articulo 62). Attamen, si iudicatur illam sententiam esse retinendam, omnino est delenda phrasis « *sed in ecclesia* », nam non liquet ratio huius restrictionis.

Art. 64 (pag. 128, lin. 23 ss.). Saltem eiusdem momenti ac additio novorum Sacramentalium est suppressio eorum quae hodie non conveniunt.

Art. 65 (pag. 183, lin. 5). Loco sententiae « *Professio religiosa infra Missam fieri potest* » legatur potius « *Professio religiosa, ut regula generalis, infra Missam fieri debet* ».

Artt. 66 et 67: *De Exsequiis* (pag. 183, linn. 6-10). Fiat totus ritus lingua vernacula, saltem ex iudicio competentis auctoritatis territorialis.

44

EXC.MUS P. D. DRAGUTIN NEŽIĆ

Episcopus Parentinus et Polensis

Pag. 179, ad n. 47: Propono ut *ritualia* ubique terrarum, in linguam *vernaculam* translata, adhibere fas sit.

Pag. 180, ad nn. 48 et 50: Introducendo plures gradus catechumenatus in ritum *baptismi adultorum,* ritus baptismi adultorum adhuc longior quam hodiernus evadit. Quod autem pro mentalitate europaea hodierna nullo modo aptum esse censeo. Instructiones et contactus personales ante baptismum solidiores, ergo frequentiores etiam pro catechumenis Europae fiant (sed sine ullis unctionibus et insufflationibus), ritus autem baptizandi adultum adhuc brevior quam hodiernus, etiam homini adulto *exculto* correspondens, componatur.

In Missionibus, ritum longiorem, per partes et per plura temporis intervalla dispositum, repetitisque unctionibus et crucis impressionibus, si velint, sibi habeant.

Pag. 181, ad n. 55: *Confirmatio* saltem per duos annos post Primam Communionem differatur, praesertim in illis regionibus, ubi doctrina christiana in scholis non docetur. Formula renovationis baptismi ante susceptionem sacramenti confirmationis, meo humili iudicio, huius sacramenti effectibus prae oculis habentibus, non satis correspondet; nam baptismus primarie sacramentum est individualis relationis cum Deo, dum sacramentum confirmationis primarie ad apostolatum exercendum hominem baptizatum dirigit. Quae nota in memorata declaratione seu professione fidei sollemni, elucere quam maxime debeat. Reformetur etiam illa ultima pars ritus confirmationis, quia in ea adhuc Spiritus Sanctus invocatur, postquam iam oleo chrismatis uncti sunt, id est: postquam Spiritum Sanctum iam acceperunt.

Pag. 181, ad n. 59: Quando (quod ordinarie accidit) et Sancta Communio (Viaticum) et *Unctio infirmorum* et Benedictio Apostolica in articulo mortis, simul administrantur uno eodemque infirmo, tribus vicibus « Confiteor » iuxta praescripta Ritualis Romani recitare obligamur. Rogo ut pro tali casu unum « Confiteor » sufficere declaretur.

45

EXC.MUS P. D. LEO NIGRIS

Archiepiscopus tit. Philippensis

Ad n. 49. Caeremoniae Baptismi iam manifeste characterem initiationis habent, quin elementa addantur a populorum traditionibus derivata, quae elementa imminuerent potius quam augerent specificum sacrum characterem Sacramenti.

Ad n. 50. Opportunum videtur: 1) ut ordo Baptismi adultorum brevior fiat; 2) ut sacerdotes qui adultos baptizant etiam Sacramentum Confirmationis iisdem conferendi facultatem habeant; 3) ut Missa propria in Missali inseratur et celebrari possit quando adulti baptizati ad Sacram Mensam quoque accedere desiderant.

Ad nn. 59-60. Forsitan opportunius esset Unctionem Infirmorum conferre una tantum unctione in fronte, uti in casibus urgentioribus iam fit et hoc Sacramentum iterari possit eodem morbo perdurante.

Ad n. 63. Opportunissima videtur emendatio orationis supra sponsam ita ut supra utrumque coniugem recitari possit; forsitan bonum etiam esset in eadem oratione longam vitam adprecari generice, quin dicatur « usque in tertiam et quartam generationem ».

Ad n. 65. Melius esse censeo omittere verba « ita tamen ut ritus particulares non excludantur », alioquin omnes Congregationes Religiosae suum ritum conservabunt (inclusa vestium mutatione coram omnibus ante altare, uti in quadam Congregatione fit), uti iam factum est pro varietate vestium et capitis tegumentis usque ad ridiculum: Pius XII f. r. Sororibus simplificationem commendavit, Sorores autem fere omnes flocci commendationem fecerunt.

46

EXC.MUS P. D. ELIAS GREGORIUS OLAZAR MURUAGA
Episcopus tit. Prusensis, vic. ap. Yurimaguaensis

Pag. 181, in n. 55, dicitur: « *Eamque* (id est, Confirmationem) *praecedat renovatio promissionum Baptismi* ». Impositionem sapit et quidem generalem, sine restrictione. Tamen nullibi est prohibitum quin etiam infantibus Confirmationis Sacramentum conferatur et hoc in casu inutilis est talis renovatio.

Ideo credo hanc praescriptionem moderandam esse aliqua clausula, sic, verbi gratia « Confirmatio etiam intra Missam conferri possit; et, *si de adultis agitur,* eam praecedat renovatio promissionum Baptismi ».

De sacrae Communionis ministratione nihil invenio in schemate, sed fraternae considerationi vestrae submitto an illa formula usualis ne nimis longa evadat quando ad Mensam eucharisticam multitudinaria copia accedit.

In praxi, ni fallor, non sunt pauci qui pro duobus vel tribus fidelibus communicantibus semel integram formulam dicant.

Ne ergo nimis protrahatur Communionis distributio ob copiam ad altare accedentium, formulam breviorem suggerere auderem his vel similibus verbis contextam: « Corpus Domini sit tibi in vitam aeternam »; vel « Corpus Christi. Amen ».

Et quia de sacrae Communionis ministratione loquor, occasionem arripio vestro examini subiiciendi convenientiam concedendi Capiti Communitatis

Monialium vel Religiosarum facultatem suis subditis Sacram Communionem ministrandi, absente quolibet sacerdote qui hoc ipsis praestare possit.

Ut patet, facultas restringeretur ad regiones ubi maxima penuria sacerdotum premimur. Si Religiosarum pietati quotidiana Communione favemus, uti expedit, non semper licet populationes longinquas visitare vel hebdomadi Exercitiorum Spiritualium adesse cum omnibus aliis Missionariis. Alia ex parte, piis foeminis valde onerosum est diem sine sacra Communione agere.

Aliunde, haec concessio non esset tam insolita, cum — ni fallor — etiam aliis in locis ob diversas causas iam detur.

47

Exc.mus P. D. PETRUS PARENTE

Archiepiscopus tit. Ptolemaidensis in Thebaide

In prooemium. Ad periculosam confusionem praeveniendam, discriminatim loquendum est de sacramentis ac de sacramentalibus, quae toto caelo inter se differunt.

In n. 55 (*De Confirmatione*). Optandum est ut sacramentum hoc fortitudinis christianae non conferatur nisi pueris qui, sua conscientia plene adepta, capaces sint percipiendi momentum et finem eiusdem sacramenti. Compos aetas statuenda est, non autem decimum annum. Pueris inferioris aetatis solummodo in periculo mortis sacramentum Confirmationis esset conferendum.

Quod nunc in multis regionibus fit, ubi confirmatio una simul cum Prima Communione administratur puerulis aegre usum rationis attingentibus, res est deploranda quia fere tota vertitur in offensam sacramenti et in damnum animarum; etenim:

a) Pueruli, si Ss. Eucharistiae conceptum aliquomodo assequuntur per imaginem Christi Dei-Hominis et Hostiae, nihil intelligere valent de Spiritu Sancto ac de eius actione;

b) Inepte proponitur puerulo vix sui conscio Sacramentum Fortitudinis in fide profitenda ac munus militis Christi!

c) Confirmatio aptissime in animum inseritur, cum adolescens iam aestum pubertatis animadvertere incipit;

d) Receptis sacramentis Eucharistiae et Confirmationis primissima aetate, pueri ab Ecclesia eiusque cura abscedunt, ut redeant tempore matrimonii, quando pauperes notiones catecheticae, occasione Primae Communionis acceptae, iam oblivione attritae sunt.

48

REV.MUS P. D. IOANNES PROU

Superior generalis Congregationis Gallicae O.S.B.

Art. 56, linea 11, post verba « *recognoscantur, ut* » addatur « *naturam et* effectum sacramenti clarius exprimant ».

Art. 63, linea 18, post verba *recitari valeat,* loco verbi *dicatur,* legatur *dici potest.*

Ratio huius mutationis: Textus latinus debet semper manere, saltem ut « officialis ».

49

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS RASTOUIL

Episcopus Lemovicensis

Baptismum. Mihi videtur omnino necessarium ut in ritibus Baptismi exprimatur, cum effectu gratiae divinae, effectus characteris, in quantum character est quaedam derivatio Sacerdotii Iesu Christi, necnon fons permanens potestatis participandi cultum divinum.

Si character est potentia spiritualis, realis est etiam ius ac proinde officium.

Confirmatio. Idem mihi videtur omnino necessarium ut in ritibus confirmationis exprimatur clare et fortiter effectus characteris, in quantum character confirmationis imprimit et imputat potentiam seu potestatem « ad alios, verbis, ex officio », id est ad apostolatum.

Etenim quantum praedicatores uti possent de his fundamentis vitae christianae ad pietatem baptizatorum et ad zelum apostolicum confirmatorum!

50

EXC.MUS P. D. IOSEPH ALBERTUS ROSARIO

Episcopus Amravatensis

Par. 61, pag. 184. Caeremoniae S. Liturgiae certe sunt pulcherrimae, sed etiam persaepe sunt nimis protractae seu longae. Multo melius erit, et pro fidelibus et pro non-christianis qui in locis missionum saepe saepius adstant in Missis Pontificalibus, in Ordinatione presbyterorum, et in Consecratione episcoporum, si lectio nuntii Benedictionis Papalis in Missis Pontificalibus et Bullae electionis in consecratione episcoporum fiat tantum in lingua populi, quin primo fiat in lingua latina quam nemo, clericis exceptis, intelligit.

51

Exc.mus P. D. IOANNES RUPP
Episcopus Monoecensis

In artt. 55 et 63 cap. III commendantur collatio Confirmationis et celebratio matrimonii intra Missam.

Episcopus Monoecensis *propter rationes praesertim pastorales* enixe rogat ut deleantur hi articuli, ne tollatur privilegium sacri Ordinis qui hucusque, utpote « eucharisticus » solus intra Missam confertur.

Articuli hi, si admitterentur, dignitatem sacerdotii minuerent, statum laicalem nimis extollerent, haud sine detrimento animarum quae ad altiora vocantur.

52

Exc.mus P. D. CAROLUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

Ad nn. 57 necnon 60, pag. 181, linn. 12 et 25.

1. Interrogo eos, qui nomen « Extrema Unctio » in « Unctio infirmorum » mutare praetendunt, an non cogitent de cunctis catechismis in universo mundo, ubi hoc Sacramentum Extrema Unctio nominatur, id est unctio pro morte, non simpliciter pro infirmitate? Ergo magisterium ordinarium Ecclesiae erraverit? Catechismosque omnes immutabimus?

2. An non cogitent de explicatione dogmatica infallibili, quam Ecclesia iam dedit supra illud verbum in Epistola S. Iacobi Ap. « infirmatur », docens intelligendum esse de mortis periculo? nec simpliciter de infirmitate quadam? Sicut alia verba Sacrae Scripturae, quae aliter ex contextu intellegi possunt, — sumamus exempla: quorum *tecta sunt* peccata exprimere veram iustificationem; *transsubstantiatio,* quamquam in Scriptura semper de pane, in pane, panis est caro mea, locutio sit; *infusio* aquae super caput in baptismo, cum hoc non sit lavatio ulla, et signum externum baptismatis (lavationis) in infusione totius corporis contineri videretur; *imponebant eis manus et acceperunt Spiritum Sanctum* accipi debere de Sacramento Chrismatis, etsi ex verbis non clare appareat Sacramentum esse administratum; — sic etiam verbum « infirmatur » praecise et concise pro infirmitate ad mortem definitum est.

3. An non cogitent quoque de iubilo inimicorum catholicae religionis, qui laetissime irridebunt infallibilitatem Ecclesiae, quae per millenium et ultra se verba illa S. Iacobi infallibiliter interpretasse docuerit, nunc vero doctrinam suam mutare velit, etiam infallibiliter?

4. Idem de iteratione, nisi in novo periculo mortis. Post doctrinam millenariam Ecclesiae de non iterando hoc Sacramento, hodie contrarium do-

cere? Si aliquando evenit, quod Extrema Unctio iterata est, Ecclesia hoc tempestive ut abusum condemnavit et prohibuit. Nihil obest, certe, ut ante graves hodiernas operationes chirurgicas, quae periculum mortis sine dubio secumferunt, Extrema Unctio dari possit, utpote ad mortis articulum, sicut in gravi infirmitate vel etiam in provecta senectute exsistit hoc periculum et semper administrari potuit.

53

EXC.MUS P. D. ALEXANDER SCANDAR
Episcopus Lycopolitanus

Pag. 181, n. 55: Ritus confirmationis. Ce qui est demandé pour la Confirmation ne peut pas s'appliquer à notre rite alexandrin. Il est à savoir que l'administration de la Confirmation a lieu après le Baptême. Or, le Baptême s'administre à l'Eglise avant la Messe au Baptistère. L'enfant après le Baptême reçoit la Confirmation, et à la fin de la Messe reçoit la Communion sous l'espèce de vin. Ainsi les trois sacrements forment un tout avec la Ste Messe. Cette coutume doit être maintenue sauf évidemment le cas de nécessité.

54

EXC.MUS P. D. IOANNES B. SCAPINELLI DI LEGUIGNO
Archiepiscopus tit. Laodicensis ad Libanum

1. Potest dari casus quo sacerdos (episcopus) infirmatur. Ipse habet utique Ss. Sacramentum asservatum in ecclesia vel oratorio (ex iure vel rescripto). Sed ipsi sacerdoti valde difficile est celebrare S. Missam, e lectulo suo surgens; valet tantummodo, durante morbo, ministrare Ss. Eucharistiam consanguineis qui cum ipso vivunt aut paucis fidelibus e paroecia. Sibi autem nequaquam potest. Multos e SS. Congregationibus interrogavi, qui utique mihi responderunt rem nunquam fuisse consideratam aut de re se nunquam cogitasse.

Poterit, forsan, res utiliter tractari seu considerari ita ut sacerdos qui Missam celebrare non valet, saltem sibi possit Eucharistiam ministrare.

2. Lex providet non singulis casibus, certo certius; sed casus hic vere generalis dicendus! quia morbi via universae carnis sunt! Et in absentia sacerdotum qui infirmo sacerdoti (vel etiam episcopo) Ss. Eucharistiam ministrare possit, ipse sacerdos infirmus privabitur solatio quod ipsemet aliis, pro suo statu, valeat exhibere.

55

Rev.mus P. D. AUGUSTINUS SÉPINSKI
Minister generalis O.F.M.

Placet cap. III. Proponere liceat has animadversiones:

Ad pag. 179, linn. 14-15: dicatur: « a quo Sacramenta et Sacramentalia suam virtutem derivant ».

Ad pag. 180, lin. 9: corrigatur: « sacris quoque ritibus successivis temporibus celebrandis, sanctificari possit ».

Ad pag. 180, lin. 29: scribatur: « ad significandam receptionem in Ecclesiam infantis, qui ritu brevi fuerit baptizatus ».

Ad pag. 181, linn. 10-11: dicatur: « Ritus et formulae Paenitentiae, in quantum opus sit, ita recognoscantur... ».

Ad pag. 181, linn. 14-17: dicatur: est enim sacramentum consolationis graviter aegrotantium praesertim morientium, ac proinde tempus opportunum illud recipiendi est statim ac fidelis in gravem morbum inciderit vel infirma ac noxia corporis membra resecari debent ».

Ad pag. 181, linn. 25-26: proponerem « Unctio sacra in diuturna infirmitate aliquando, etsi raro, iterari potest ».

Ad pag. 182, linn. 13-14: dicatur: « firma tamen lege ut consensus contrahentium a sacerdote assistente requiratur et excipiatur ».

Ad pag. 183, lin. 4: proponerem: « ita tamen ut quidam ritus particulares admitti possint ».

Ad pag. 183, lin. 5: melius dicatur: « Professio religiosa *intra* Missam fieri potest ».

56

Rev.mus P. D. GABRIEL SORTAIS
Abbas generalis O.C.R.

Canon 56. Placet iuxta modum. Ita scilicet ut post verba « ... recognoscatur, ut ... », addatur « ut naturam et effectum sacramenti clarius exprimant ».

Canon 65. Placet iuxta modum. Ita scilicet ut, in ultima sententia, loco verborum « fieri potest », ponatur « fiat ».

57

Exc.mus P. D. DINUS TOMASSINI
Episcopus Isclanus

Subsignatus Dinus Tomassini, episcopus Isclanus, proponit ut in schemate constitutionis de sacra Liturgia, ad cap. III, quinto loco (De Ordine), art. 61 sic augeatur: « Ritus ordinationum a peritis, sive quoad caeremonias sive quoad textus recognoscatur. Allocutiones episcopi, initio cuiusque ordinis, et hortationes ad preces Deo sublevandas, fiant lingua fidelibus nota ».

58

Exc.mus P. D. HERMANNUS VOLK
Episcopus Moguntinus

De n. 60, cap. III, e schemate *de sacra Liturgia* tollendo.

Dolendum esset, si schema de S. Liturgia, quod ut totum mihi placere antea dixi, defectibus theologicis laboraret. Quamquam enim hoc schema liturgicam praxim ordinare vult, tamen fundamentis theologicis carere non potest neque caret. Theologica fundamenta tangit etiam tertii capitis numerus sexagesimus, quo petitur, ut sacramentum Unctionis Infirmorum in decursu eiusdem infirmitatis pluries posset recipi. Quod veritati huius sacramenti non correspondere videtur, quare postulo, ut hic numerus omnino tollatur.

1. *Argumenta sumuntur primo* ex respectu traditionis et doctrinae concilii Tridentini:

a) Traditio, quae in nota decima quarta ad hunc numerum allata dicitur pro iterabilitate huius sacramenti loqui, primo non est traditio doctrinalis, sed — uti in illa nota etiam dicitur — praxis; secundo non est praxis universalis neque clare exculta.

b) Traditio autem doctrinalis, temporibus prioribus non satis clara, usque ad Concilium Tridentinum tam clara evadit, ut hoc Concilium statuere posset: « Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint » (Denz. 910). Talis ordinatio Concilii Tridentini, quippe cui subesse videtur quaestio doctrinalis, non tantum disciplinaris, etsi non est infallibilis definitio, non debet innovatione in n. 60 nostri schematis proposita contemptui haberi.

2. *Secundum sumitur argumentum* ex theologica consideratione sacramentorum: Sacramentum, quo sacrificium Christi tamquam cultus Ecclesiae actu semper denuo iterato repraesentatur, est sacrificium Missae eiusque

perfecta participatio, quae fit sacramentali communione. Ad quod reliqua sacramenta eatenus ordinantur, quatenus vitam hominis secundum diversas eius status seu situationes, quae dicuntur, ad sacrificium Christi modo huic situationi correspondente participandum sanctificant. Quapropter illa sacramenta manente respectivo statu hominis non iterantur. Quae facile intelleguntur quoad sacramenta baptismatis, confirmationis, Ordinis et etiam matrimonii. Sacramenta autem sacrae Eucharistiae et paenitentiae, quae ad iterationem instituta sunt, aliam naturam et structuram habent quam sacramentum unctionis, quia sacramenta, quibus in signo unctio coniuncta est, dant plus minusve statum sacramentalem, sanctificant statum recipientis; quod omnes christiani sciunt, qui plura sacramenta tantum semel recipiunt. Similiter sacramento Unctionis infirmorum infirmitatis status sanctificatur tamquam participatio passionis et, si Deus vult, mortis Christi ut testimonium in medio Ecclesiae toleranda. Infirmitas inde simile quid fieri videtur ac character qui iterationem sacramenti durante eodem morbo non admittere videtur. Solatium spirituale, quo, ut nota 14 in schemate addita dicit, aegrotus, maxime in diuturna infirmitate, indiget, ex hoc quasi-charactere, qui est ipsa infirmitas sacramento sanctificata, data necessitate confertur et ex sacramentis, quae ad iterationem sunt instituta et disposita, ex eucharistia nempe et paenitentia.

Hae rationes postulare videntur, ut ab introducenda iterabilitate sacramenti Unctionis infirmorum abstineatur.

59

Exc.mus P. D. ALFREDUS VOZZI
Episcopus Cavensis et Sarnensis

Ad n. 57 in pag. 181: *De unctione infirmorum.* Christus nullum instituit sacramentum quod terrorem agitationemque in animis generaret. At sacramentum Extremae Unctionis trementes plerumque facit eos quibus administratur eorumque cognatos, cum sive nomen (Extrema Unctio) sive consuetudo illud administrandi fere semper morientibus effecerunt ut sacramentum hoc tamquam sigillum expeditionis (bollo di partenza) in alium mundum haberetur.

Hoc sane est omnino contra naturam sacramenti quod *ad solamen infirmorum* primo datum est et ad sanitatem impetrandam ut apparet ex verbis orationum quae omnia ad illa bona impetranda — nulla habita mentione de proxima morte — funduntur.

Proinde propono:

1. Sacramentum quod Extrema Unctio nuncupatur quodve Unctio infirmorum proponitur in schemate appellandum, melius et verius solamen infirmorum (conforto, sollievo degli inf.) appelletur. Hac appellatione maximam

adquireret efficaciam psychologicam sacramentum, quod nedum refugiendum, adpetibile optandumque fieret.

2. Ut administretur statim ac fideles in gravem inciderint morbum, cum expressa prohibitione illud administrandi illis qui iam confessionem facere nequeant quia conscientia destituti, nam ut scribit S. Thomas (*Suppl.* q. 32 a. 3) *plurimum valet devotio suscipientis,* in hoc sacramento.

3. Condemnanda ergo videtur, explicite et formaliter, sententia moralistarum quorundam qui docent sacramentum hoc etiam post aliquod tempus a morte (quoadusque latet vita) administrari posse. Nonne sententia huiusmodi est omnino contra naturam sacramenti? nonne huic sententiae adscribenda est praxis lacrimabilis inducendi presbyteros — proh dolor! — post mortem? nonne, iterum, huiusmodi sententia iustificat iniurias irrisionesque lutheranorum qui sacramentum e. u. « unctionem (italice: grassazione, ungimento) cadaverum » appellabant?

Ad n. 62 in pag. 182: *De Matrimonio.*

1. Qui ad recognitionem Ritus celebrandi matrimonium addicti erunt, prae oculis habeant velim casum matrimonii eorum qui aetate iam provecti sunt, v. g. sexaginta annos nati: videmur enim ridiculi cum super ipsos dicimus: « sit fecunda in sobole; ... et videant ambo filios filiorum suorum usque ad tertiam et quartam generationem etc. ».

2. Celebratio matrimonii numquam die dominico habenda esset. Rationes:

a) quando celebratur mane matrimonium, fideles coguntur expectare sponsos qui, generatim, numquam statuta hora templum ingrediuntur; et insuper fideles omnes — volentes nolentes — ad longiorem Missam detinentur, quod multi ex ipsis aegro patiuntur animo.

b) Si matrimonium celebrandum esset vespere daretur sacerdotibus fucata ratio praetermittendi cetera pastoralia munera die dominico adsignata v. g. instructio puerorum, catechesis ad populum etc.

Ceterum, generaliore usus sermone, velim Concilium statuat — v. g. explicitum dando mandatum Conferentiis episcopalibus nationalibus — uniformitatem quandam in administratione sacramentorum ita ut amplius non habeatur alicubi quod alio in loco negetur et vice versa, cum admiratione, protestationibus et quandoque scandalo fidelium.

Ad n. 66 in pag. 183: *De exsequiis.* Iuxta vigentem disciplinam (cf. *Rit. Rom.*) Ritus exsequiarum requirit ut Missa sit cantata, exceptione facta pro pauperibus, pro quibus admittitur Missa lecta.

At mutatae condiciones sociales necnon strictiora a quibus detinentur officia nostrae aetatis homines non semper sinunt integro adsistere ritui exsequiali cantatam Missam complectenti.

Propono igitur:

1. Ad simpliciorem formam reducatur integer ritus exsequiarum (v. g. demantur repetitiones quae occurrunt in « Libera me, Domine »).

2. Detur facultas celebrandi Missam lectam pro omnibus et non tantum pro pauperibus.

3. In exsequiis episcoporum non videtur cur debeant fieri quinque absolutiones. Audivi saepe quosdam dicentes: Pro episcopis quinque requiruntur absolutiones quia gravioribus gravantur oneribus!

Statuatur ergo unica absolutio et pro episcopis.

60

Exc.mus P. D. CYRILLUS IOANNES ZOHRABIAN
Episcopus tit. Acilisenus

1. Pag. 182, n. 62. Ritus celebrandi Matrimonium... mihi videtur posse utiliter inseri post verba ita ut *obligationes sponsorum* et gratia Sacramenti clarius significentur.

a) *Obligationes sponsorum*. In novissimo Rituali inseratur brevissima homilia in qua ante oculos sponsorum ponantur casus impedientes felicitatem vitae matrimonialis ut sunt, caecitas, clauditas, longus et incurabilis morbus... a quibus Deus vos avertat. Concludit: exigendo ab utroque iuramentum fidelitatis usque ad mortem.

b) *Gratia Sacramenti*. Efficacissime mihi videtur exprimere gratiam Sacramenti propositio exc.mi pontificis paucis diebus ante, scilicet Communio sub utraque specie, sumptio pretiosissimi Sanguinis de unico calice.

2. Ritus benedictionis aquae lustralis et salis, mihi videtur nimis longus.

3. Paramenta nigri coloris in sacrificio Missae pro Defunctis non correspondent sensui gaudii, spei et consolationis quae exprimunt verba Praefationis Defunctorum: « ... Tuis enim fidelibus... vita mutatur... et aeterna in caelis habitatio comparatur... ». Propositio violacei coloris exc.mi archiepiscopi mihi convenientius videtur.

61

CONFERENTIA EPISCOPORUM CHILIENSIS DITIONIS

Pag. 179, lin. 3: Post verbum « signa » addatur « etiam ». *Ratio*: Liturgicorum signorum unicum officium non est instructio, nam natura signi in re sacramentaria est quoque cum efficacia connexa.

N. 48, pag. 180, lin. 6: Tota paragraphus omittatur. *Ratio*: Decreto S. Rituum Congregationis diei 30 maii 1962, huic voto iam provisum est.

N. 50, pag. 180, lin. 16: Omittatur tota paragraphus, excepta oratione « Missali Romano Missa propria in collatione Baptismi inseratur ». *Ratio*: Eadem ac illa pro n. 48 allata.

N. 52, pag. 180, lin. 24: Ante verba « in terris Missionum », addatur

« praesertim ». *Ratio*: In multis regionibus Americae Latinae circumstantiae eaedem sunt ac in Missionibus, quin canonice vel geographice, vel etiam theologice agatur de Missionibus, quia causa unica est sacerdotum penuria.

N. 53, pag. 180, lin. 29: Post verbum « ad » inseratur « apertius et congruentius ». *Ratio*: Ne quis forsan verba schematis interpretetur ac si infans ante hunc ritum Christi Corpori non reputetur insertus.

N. 56, pag. 181, lin. 11: Inter hac in re recognoscenda, invenitur mentio « excommunicationis » in ordinaria formula absolutionis.

N. 59, pag. 181, lin. 21: Optanda videtur aliqua etiam formae Sacramenti recognitio qua apertius relatio Sanctae Unctionis ad corporis sanitatem vel medelam appareat.

N. 61, pag. 182, lin. 3: Loco verbi « fiant » ponatur « possunt fieri ». *Ratio*: Ut multoties dictum est, non oportet ut Concilium iudicium ferat de convenientia usus linguae vernaculae in concreto, sed potius ut hoc munus sit penes episcoporum Conferentias.

N. 65, pag. 183, lin. 5: loco verborum « fieri potest » ponatur « ordinarie fiat ». *Ratio*: Textu schematis non exprimitur sufficienter connexio Sanctam Missam inter et professionem religiosam. Emendatio proposita non impedit quominus particulares circumstantiae considerentur ita ut per modum exceptionis professio emitti possit extra Missam.

Denique, omnino optandum videtur ut commissio de qua in n. 16 (pag. 164, lin. 28) in aptationibus et recognitionibus peragendis, semper prae oculis « Schema Constitutionis » prout ex particulari commissione de sacra Liturgia praeparatoria protulit habeat, immo ut declarationes ibi contentas in praxim deducere satagat.

CONGREGATIO GENERALIS XV

9 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XV

9 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Praesidet hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Ioseph Frings, arch. Coloniensis.

Loqui postulaverunt pro cap. IV constitutionis *de sacra Liturgia* em.mi ac rev.mi Domini cardd. Emmanuel Gonçalves Cerejeira, Franciscus Spellman, Stephanus Wyszyński, Ioseph Lefebvre, Iulius Döpfner, Albertus Meyer, Rufinus Santos, Ioannes Landázuri, Antonius Bacci, Augustinus Bea, Anselmus Albareda; exc.mi Domini Villelmus Connare, ep. Greensburgensis in Statibus Foed. Amer. Sept.; Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico; Ioannes Iulianus Weber, ep. Argentinensis in Gallia; Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Iugoslavia; Iacobus Corboy, ep. Monzenensis; Franciscus Reh, ep. Carolopolitanus in Statibus Foed. Amer. Sept.; Antonius Aguirre, ep. S. Isidori in Argentina; Aemilius Guano, ep. Liburnensis in Italia; Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis in Sinis; Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania; Aloisius Da Cunha Marelim, ep. Caxiensis in Brasilia; Fidelis Garcia, ep. tit. Sululitanus in Hispania; Caesar Vielmo, vic. ap. Aisenensis in Chile; rev.mus D. Ioannes Prou, abbas Solesmensis, superior generalis Congregationis Galliae O.S.B.; exc.mi DD. Ioseph Reuss, ep. tit. Sinopenus in Germania; Renatus Ioseph Piérard, ep. Catalaunensis in Gallia; Linus Gonzaga, ep. Palensis in Insulis Philippinis; Raphael Garcia De Castro, arch. Granatensis in Hispania; Michael Gonzi, arch. Melitensis in Malta; Stephanus Leven, ep. aux. S. Antonii in Statibus Foed. Amer. Sept.; Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia; Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali; Ioseph Marling, ep. Civitatis Jeffersoniensis in Statibus Foed. Amer. Sept.; Ioseph Schneider, arch. Bambergensis in Germania; Anicetus Fernandez, superior generalis O. P.

Praeses: Hodie in dedicatione Basilicae Lateranensis, quae est radix et mater omnium ecclesiarum, prosequimur agere de divino officio celebrando in ecclesiis et privatim a clero. Loquatur...

1

EM.MUS P. D. EMMANUEL CARD. GONÇALVES CEREJEIRA
Patriarcha Lisbonensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Relate ad ea quae sacerdotes muneribus pastoralibus obstrictos tangunt, mihi fas sit praesertim loqui.

Maximum ac praecipuum munus illud divini Officii, « mirabile illud laudis canticum », prout in schemate pulcherrime legitur, « quod a sacerdote christianorum hominum nomine eorumque in beneficium adhibetur Deo... in hanc rem Ecclesiae instituto delegato ».

Ut sacerdos revera possit officio perfecte fungi, necesse est aequilibrium inter tres obligationes reperire, nempe: orationem propriam, divinum Officium, actionem pastoralem. Tria haec munera inter se connectuntur ac se invicem explentur. Sine oratione propria, divini Officii praealtus suipsius sensus non revelabitur, non degustabitur; animae respiratio vere non erit, atque, sine oratione propria et liturgica, actio pastoralis animo suo privabitur fietque activitas seu motus naturalis, mere humanus...[1]

Videtur mihi momentum orationis publicae et privatae in vita Ecclesiae maxime instare. Non tantum, ut iam dictum est, tempus ad orationem mentalem servari debet, sed etiam *ad lecturam spiritualem,*[2] ad devotionem propriam, nominatim ad devotionem eucharisticam ac marianam. Imprimis Officium divinum cum Eucharistiae celebratione praecipuum locum in vita sacerdotali retinere maxime interest. Revera vox Ecclesiae ad laudem Dei est. Nonne laus Dei praecipua actio missionis sacerdotalis?

Sacerdotibus contemplata dare incumbit. Hoc semper necessarium fuit, sed praesertim hisce temporibus materialismo imbutis. Contra huius temporis atheismum puto sententiam Domini Nostri Iesu Christi applicari posse: « Hoc genus daemoniorum non eiicitur nisi in oratione et ieiunio ». Primum ac magis quam actio pastoralis, tamquam *eius principium et*[3] animus, vita interior ac cum Deo unio valet...[4] Ut autem perfectius et fructuosius Officium divinum recitetur, valde interest illud hodiernis vitae conditionibus aptari, etiam quoad structuram.

Liceat mihi, tandem, aliquid circa divini Officii structuram, linguam, ac obligationem referre.

De structura praesenti seu cursu horarum, humiliter dico, Officium prout iacet puto vitae verae, concretae sacerdotis, pastoralibus muneri-

bus incumbentis, non bene accommodari. Veritas horarum raro accidi his conditionibus potest. Quaestio haec magni ponderis est. Quem iuris velim rogare in eam animadvertere, omnibus iam ab *eminentissimis* [5] Patribus dictis rite perpensis, ut melius divinum Officium actuali vitae pastorali accommodetur.

De lingua. Inter casus singulares, quamvis coetuum multorum ac regionum, et legem generalem oportet distinguere. Quoad casus singulares, *sufficiens esset ampla dispensatio perdurantibus circumstantiis.*[6] Tamquam lex generalis pro ritu latino Ecclesiae, lingua latina *a* [7] clericis in sacris servari debet. Nam aptior ipsa mihi videtur ad orandum nomine Ecclesiae. Verum est quod sacerdos Officium divinum non directe et praecipue pro seipso recitat, sed tamquam vox Ecclesiae in laudem Dei. Nec opportunum censeo linguam vernaculam commendare, cum Sancta Sedes legem tulit, qua lingua latina omnibus sacerdotibus non tantum facili intellectu sed etiam usu loqui praebebitur.

De obligatione. Firmo praescripto de obligatione totius Officii, proponere auderem ut praecise declarentur casus concreti in quibus sacerdotes, aliis muneribus ad laudem Dei incumbentes, a lege immunes sunt; reapse, per vices, munera pastoralia sunt nimis onerosa, utpote diebus Dominicis, primis sextis feriis uniuscuiusque mensis, aliisque similibus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Nonne « activitas », passim, a Summis Pontificibus, a tempore Leonis XIII damnata est? [2] deest. [3] principium et illius. [4] Quid efficacius quam oratio publica, in nomine Ecclesiae, scil. Officium divinum? [5] venerabilibus. [6] semper ad S. Sedem recursus adest. [7] pro.

2

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Venerabiles Fratres,

De cap. IV, *de divino Officio*: quod absolutio divini Officii in hodiernis adiunctis facilius et perfectius fieri possit, est finis omnino desiderandus. Vetantur autem « experimenta » omnibus, tum propter confusionem, tum propter impensa onerosa. Innovationes si quae fient, tales sint ut Officium conditioni hodiernae vitae clericalis, praesertim pastorum animarum, melius accommodetur. Caveatur ne innovationes potius « historicismo » et rebus obsoletis faveant quam veris necessitatibus clericorum.

Ante omnia cum in singulis mundi partibus adsint clerici breviarium *in latino* [1] persolventes qui vix intelligant quod pronuntiant, haec Sacrosancta Synodus feliciter decernere potest permittere omnibus a solo recitantibus arbitrium et optionem eligendi linguam latinam vel linguam vulgarem. Verba praesentis schematis « In Officio Divino lingua latina clericis servanda est » (pag. 188, n. 77, lin. 6) non sufficienter respiciunt necessitates hodiernas Ecclesiae.

Interna animi devotio, quae aegre habetur cum verba sine mente tantum recitantur, clericis necessaria est non solum ut rite adimpleant munus Deum publice *laudandi* [2] nomine totius Ecclesiae, in bonum totius Ecclesiae, sed etiam ut sobrie et pie vivant inter tot mundana pericula. Rationes alibi allatae contra usum linguae vulgaris propter confusionem et damnum fidelium hic non pertinent quia loquitur solummodo de clericis a solo recitantibus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] latine. [2] laudantis.

3

Em.mus P. D. STEPHANUS card. WYSZYŃSKI
Archiepiscopus Gnesnensis et Varsaviensis

Em.mi et rev.mi Patres,

Quaedam addere vellem discussioni circa Breviarium Romanum eiusque linguam.

Quae, recenter, Summus Pontifex Papa Ioannes XXIII emendanda iussit in recitando Officio Breviarii Romani, grato animo communiter accepta sunt a clericis et a laicis, qui non raro more clericorum huiusmodi preces effundunt.

Voces tamen circa ulteriores correctiones, mutationes, quin etiam restrictiones divini Officii, quamdam sollicitudinem excitaverunt, ne emendatio nimis quam oportet protrahatur.

Quod attinet Breviarium Romanum, sine dubio inveniri possunt loci, qui alieni sunt ab indole hominum nostri temporis. Verumtamen non sunt condemnandi; immo servandi videntur, monumenta veneranda cum sint antiquissimae traditionis. Nonne colimus opera artis vel monumenta vetera antiquitatis?

Imprimis notare velim Breviarium Romanum etiam in iis, qui extra Ecclesiam sunt, excitare admirationem. Fas mihi sit adducere opinionem cuiusdam praestantioris acatholici, fautoris confessionis protestan-

ticae, dicentis Breviarium Romanum per se constituere indicium divinae originis Ecclesiae, nisi praesto essent alia indicia et argumenta.

Breviarium Romanum, sepositis iis quae obsoleta a quibusdam habentur, copiam divitiarum continet decursu saeculorum congregatam, thesaurum orationum inexhaustum, quae animos ad Deum elevant.

Breviarium Romanum praebet oratoribus sacris argumenta semper vegeta, nitida, micantia.

Breviarium Romanum summa cum prudentia unionem fovet nostram cum Ecclesia, mysteria divina Domini Nostri Iesu Christi et B. M. V. considerante. Quae vero in Proprio Sanctorum recoluntur, optime probant effectum gratiae sanctificantis.

Breviarium Romanum optime suppeditare valet veritates fidei christianae in catechesi explanandas necnon valde contribuit arti educandi (vulgo « paedagogiae »), qua praecepta liberis educandis nove proponuntur, servato tamen ordine anni liturgici.

Breviarium Romanum denique — et hoc quam maxime notare vellem — constituit validissimum vinculum unionis Ecclesiae orantis; totius Corporis Mystici Christi: Supremi Pastoris, episcoporum, sacerdotum et fidelium.

Fons consolationis fuit pro omnibus persecutionem patientibus in carceribus, in campis vulgo « concentrationis ». Quae viri isti narrare sciunt de dulci oratione iuxta Breviarium Romanum peracta, sapiunt, saltem in parte, actum heroicum illius Sancti Martyris apostoli Moraviae, Bohemiae, et Hungariae, in vinculis constituti, qui impeditus paginas Breviarii manibus sanguine respersis vertere, fecit hoc ope linguae.

Vellem quasi praeterire obiectiones eorum qui dicunt se non habere tempus sufficiens pro recitatione Sancti Officii. Argumentum videtur mihi vile, et quam maxime iniuriosum, pro piis et bonis sacerdotibus.

Quam fortiter, quam pie, quam mire apostoli huiusmodi sollicitationem reiecerunt, animadvertentes orationem esse munus maximi momenti. Nec aliter sentiendum nobis, qui Ecclesiae Dei nostris diebus praesumus. Censemus opus esse potius orationis quam maxime assiduae, constantis, profundae.

Numquam deficient ii qui sese excusant inopia temporis ad orandum, sicuti non desunt qui praetereunt praecepta Decalogi. Attamen nemo est qui cogitet minuenda esse onera hisce transgressoribus. Sed neque deficient viri, summopere in vinea Domini laborantes per totam diem, qui numquam orationem divini Officii praetermiserunt.

Ne obliviscamur denique eos, qui recitationem Breviarii nimium onus habent, enervari quadam sollicitudine falsa, quae sapit animum

morbidum. Etiamsi Officium divinum recitatione unius « Ave Maria » constitueretur, pro illis huiusmodi oratio gravis et ponderosa esset.

Nobis tamen curandum de iis, quibus recitatio Officii divini consolationem spiritus et levamen praebet.

Pauca *de lingua latina,* quae servanda videtur in Breviario Romano...[1] Nolim repetere argumenta iam allata in hoc sacro consessu et quae a rationibus pastoralibus deducebantur. Nova haec mihi notanda videntur.

Multi sunt textus in Breviario Romano ex antiquissimis temporibus provenientes, uti orationes, quae nullimode verti possunt in linguam vernaculam absque periculo ne perdant sensum theologicum, concinne expressum, tot saeculis sancitum. Sufficit adducere multas versiones Missalis Romani in linguas modernas, quae abundant defectibus et vitiis.

Breviarium Romanum, si in linguam modernam vertatur, cessat movere animum alumnorum in seminariis ad discendam linguam latinam. Quod vero studium tantopere cordi est Summo Pontifici.

Omnes hae mutationes nimis animum et sensum deflecterent a Missali Romano, a Vulgata, a scriptis Patrum.

Sacerdotes, denique, ritus latini perderent usum linguae latinae, validissimum vinculum unitatis. Quae lingua nobis, in hoc Concilio coadunatis, quam maxime inservit.

Quibus consideratis, rogo vos, Patres Conciliares, nomine omnium, id est 64 episcoporum Poloniae:

— Ut abstineatis ab ulterioribus mutationibus proponendis in Breviario Romano, quod remaneat integrum... [*Plausus in aula*], quod remaneat integrum prout, recenti a Papa Ioanne XXIII reformatione peracta, confirmatum et recognitum fuit.

— Ut reverenter custodiatis linguam latinam Breviarii Romani, recitandi a clero ritus latini. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] et in S. Liturgia.

4

Em.mus P. D. VILLELMUS card. GODFREY
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

De Officio divino. Antequam loquamur de ulteriore abbreviatione et lingua breviarii, unum dicere vellem.

Nonne est tendentia apud aliquos ad exaggerandum onus laboris

super humeros sacerdotum fidelibus ministrantium in opera pastorali? Equidem, experientiam habui in paroecia sat magna per duos annos, et vidi per multos annos *postea* [1] paroecias in duabus magnis dioecesibus. Non audivi unquam, *unquam,* [2] sacerdotes dicentes tempus non sufficere ad Officium divinum recitandum.

Agnosco sane difficultatem posse exsistere in aliquibus regionibus; sed minus sapiens esset, ni fallor, regulas statuere universales pro omni clero hoc in Concilio Vaticano.

Quandoque dicitur periculum esse incidere in id quod vocatur « haeresis bonorum operum », nempe *exaltando* [3] activitatem pastoralem super orationem, quasi oratio fuisset res operae pastorali subordinata. Meo submisso iudicio, verum periculum est.

Divinum Officium iam fuit sat abbreviatum. Tempus possumus invenire pro variis negotiis minoris momenti. Nonne conservare debemus divinum Officium uti essentiale nutrimentum et sustentaculum nostri laboris, baculum pastorale tum iuventutis tum senectutis nostrae? Rogo Patres venerabiles ne facile relinquant pretiosas traditiones.

Similiter, velim aliquid dicere de usu linguae latinae a clero in recitatione Officii divini. Quod, nempe, si in aliquibus regionibus studium linguae latinae languescat et in minore aestimatione habeatur, remedium non est relinquere linguam Ecclesiae in Officio divino. E contra, renovemus resolutionem in scholis superioribus et in seminariis ut omni conatu iuvenes nostri scientiam habeant linguae Ecclesiae. Nonne est signum debilitatis abbandonare linguam latinam... [4]? Quaeramus potius remedium radicale, ut ita dicam, sanationem in radice. Exinde, post annos iuvenes nostri breviaria legent magno cum fructu, gustando suavitatem linguae Sanctae Matris Ecclesiae, necnon eius praecisionem stabilitatemque aestimando.

Adderem quod in nostra cathedrali Vestmonasteriensi totum Officium divinum quotidie recitatur et in solemniis cantatur, nec ministerium pastorale quocumque modo deficit, quia sacerdotes per turnum operam praestant.

Ergo, in Occidente magni aestimemus linguam latinam in Officio divino, nec quaeramus ulteriores abbreviationes, quae iam sat generosae concessae sunt. Si opus ferveat restaurationis amoris linguae paternarum traditionum et, liceat dicere ad mentem Summi Pontificis, veterum sapientiae, omnia bene fient et clerus noster, iam bene instructus in seminariis, redibit ad praxim iam a saeculis maximo in honore habitam.

Liceat iam rem satis miram narrare. His ultimis diebus in ephemeride anglica legi haec verba: « In altera Urbe capitali, ubi Concilium Ecclesiae, nostra maiore, discutitur de extensione linguae vernaculae

et de minore usu linguae latinae, hic in Ecclesia Anglicana disceptatur apud « Domum Laicorum » (uti dicitur), utrum desiderabile sit extendere usum latinae in caeremoniis ». Approbatio generalis, iuxta eamdem ephemeridem, data fuit pro iis locis ubi episcopi approbaverint. *Concludebat*[5] deinde orator: « Vix risum tenebunt cardinales in Concilio ».

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] exaltare. [4] in liturgia sacerdotali, quia aliqui dicunt se illam non intelligere. [5] Addebat.

5

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. LEFEBVRE
Archiepiscopus Bituricensis

Venerabiles Patres,

In hoc cap. 4, cuius studium incepimus, sat feliciter affirmatur obligatio pro clericis in Sacris constitutis, divinum Officium quotidie recitandi.

Quod ad nos attinet, optamus ut haec obligatio cum omni claritate et vigore denuo proclametur.

Ut autem sacerdotes talem obligationem libenter accipiant, et fideliter adimpleant, perutile mihi videtur...[1] ut in ipso textu schematis diligenter exponantur rationes profundae et essentiales, quae gravitatem huius praecepti illustrant.

Certum est, in pag. 185, a lin. 7 usque ad 20, finem principalem Officii divini iam indicatam esse. Optime exprimitur quomodo Christus Dominus, qui semper vivit in Ecclesia sua terrestri, opus suum laudis in honorem Dei per ministerium sacerdotum prosequitur.

Attamen, non desunt sacerdotes qui non sufficienter perspiciunt quantum eis proficiat recitatio divini Officii ad fructuosum eorum ministerium erga fideles et ad propriam sanctificationem. Propensi sunt etiam ad subtiliorem quandam distinctionem faciendam inter doctrinam et ipsum ministerium pastorale, dum utrumque numquam ab invicem separari potest. Similiter, non satis intelligunt quanti momenti est in eorum vita spirituali habitus orationis, speciatim orationis publicae Sanctae Ecclesiae, quae a nullo alio exercitio substitui potest.

Propterea, valde optarem ut in eadem pagina schematis clarissime exprimantur duo principia quae mihi videntur esse maximi momenti.

1. « Sine me nihil potestis facere », ait Christus Dominus; hoc

est sane principium quod nullam exceptionem admittit, cum de operibus supernaturalibus agitur etiam minimis. Quantum autem magis valet in ordine ad opera redemptionis, sanctificationis, et salutis animarum, quae a Christo perficiuntur per ministerium sacerdotum? Nunc autem, ad auxilium gratiae tam pro seipso quam pro aliis obtinendum, nulla oratio eam efficientiam habet quae comparari possit cum efficientia orationis publicae quae a sacerdote « ex officio » ad Deum dirigitur in unione cum Christo semper in Ecclesia viventi. Oratio illa valorem habet « ex opere operantis Ecclesiae »; pro sacerdote ipso, qui eam fervide perficit, tamquam fons mirabilis efficitur a quo innumerabiles gratiae scaturiunt ad fecundandum eius ministerium. Talis consideratio, ut mihi videtur, omnibus sacerdotibus ad cor ascendere deberet qui sese ad ministerium pastorale dedicant, et eius naturam accuratius intelligere cupiunt.

2. Insuper, Officium divinum sacerdotibus praebet textus Scripturae Sacrae et Sanctorum Patrum, in quibus eorum oratio et meditatio nutriuntur, et sic cum Domino intimius conversantur, ita ut in ipso et cum ipso et per ipsum proprium ministerium, hoc est opus salutis animarum, perfectius adimplere possint.

Diversae aptationes ab hoc Concilio Oecumenico textui breviarii afferentur, et sic eum sacerdotes nostri suavius et fructuosius et libentius recitare poterunt.

Cum autem omnes sacerdotes in luce fidei bene intellexerint quod Officium divinum, in quo quasi continetur et continuatur et diffunditur mysterium centrale Sanctae Missae, et simul cum ea principalis est fons eorum vitae spiritualis et alimentum eorum ministerii pastoralis, tunc ad breviarium cum amore recurrent, tunc levis apparebit urgens eiusdem obligatio, tunc facile cognoscent quod auctoritas Ecclesiae hanc obligationem imponentis nihil aliud est quam imago auctoritatis divinae, quae caritas est, et nihil imperat nisi ad maius bonum eorum, quos divitiis supernaturalibus locupletare et divina dignitate exornare intendit.

Votum ergo meum esset ut in primis paragraphis nostri schematis, aliquae phrases introducantur, quae sacerdotibus ad Officium divinum adstrictis in mentem revocent quod Officium illud, una cum Sancta Missa, fons est profundissimus in quo haurire possint alimentum eorum vitae spiritualis, efficientiam eorum apostolatus, ita ut per eorum ministerium salus animarum procuretur, ad maiorem Dei gloriam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] et etiam necessarium.

6

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DOEPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Venerabiles Patres,

... [1] Ad perficiendum caput praeiacens *cui in genere libentissime assentior,*[2] emendationes sequentes inserendas commendo.

Petitio I. Cursus horarum earumque obligatio adhuc pressius conditionibus vitae hodiernae aptetur...[3]

1. *Ad n. 68*: Revera desiderandum est, ut sacerdotes singulas partes Officii congrue distribuant diversis diei horis. Recte dictum est *altera die* [4] hoc sacerdotibus curae pastorali adstrictis solummodo intra certos limites possibile esse. Imprimis horae minores vix peragi poterunt hora competenti, qua illi saepe sunt extra domum nec librum ad manus habent. Unde valde iuvaret talis horarum minorum compositio, quali eaedem post aliquod exercitium facile memoriae committantur. Quare propono, ut in pag. 186, linn. 11-12, post verba « tempore competenti » inseratur « memoriter ».

2. *Ad eundem numerum*: Valde optandum quoque est, ut unica tantum hora habeatur tamquam oratio matutinalis...[5] Nam iteratio deprecationis matutinalis a monachis Palaestinensibus saeculi IV et V introducta est, quia post Laudes iterum dormire solebant. Valde vero desideratur, ut Laudum indoles matutinalis denuo observetur, quare hora Prima cum Laudibus uniatur, ne per duplicationem utraque damnum patiatur. Unde commendo, ut in eadem pagina, post lin. 12, addatur novum incisum, quod ita sonat:

« *e*) Prima horam matutinalem iterans cum Laudibus uniatur ».

3. *Ad n. 76*: Cum valde inconveniens et spiritualitati orantium contrarium videatur, si hora matutinalis vespere vel hora vespertinalis mane recitetur, propono, ut secundum principium in ipso n. 76 enuntiatum eidem numero addatur nova paragraphus, scilicet: « Obligatio pro Laudibus meridie cessat, pro Vesperis et Completorio meridie incipit ».

Petitio II...[6] Concedatur sacerdotibus linguae latinae parum capacibus facultas recitandi Breviarium in lingua vernacula secundum normam in priore schemate praevisam. Tenor petitionis ergo est haec: restituatur n. 77 in forma priore, qui sic sonabat in propositione commissionis praeparatoriae: « Ubi tamen cognitio linguae latinae valde insufficiens est, neque adest spes legitima rem funditus mutatum iri, Conferentiarum episcopalium erit in singulis regionibus normas statuere circa usum alterius linguae, ad normam art. 24 huius constitutionis ».

Non est cur loquar per longum de motivis et obiectionibus solvendis talis petitionis. Optime fecerunt em.mi cardd. Frings et Léger. Sed hoc tantum dicere liceat. Omnes nos viribus omnibus laboramus, et laborabimus intentionem Suae Sanctitatis in constitutione *Veterum Sapientia* manifestatam in praxim deducere. Confidenter speramus, talia conamina sic strenua non sine effectu fore, et pro studio et pro Missa celebranda necnon pro principio in initio n. 77 posito adimplendo: « In Officio Divino lingua latina a clericis servanda est ».

Cui principio ex corde consentior. Sed non possumus oculos claudere intuitu rei veritatis: in multis regionibus etiam in futuro magnus numerus iuvenum ex scholis publicis veniet, qui linguae latinae non sufficienter sunt capaces, ut se offerant Ecclesiae pro sacerdotio recipiendo. Quomodo eis, praeter obligationes iam dictas, hanc obligationem imponere possumus orandi cotidie in lingua non sufficienter nota, et quidem sub gravi? An fortasse refutare possumus eorundem vocationem, quia non perfecte sciunt linguam latinam? Minime licet numerum sacerdotum iam insufficientem denuo minuere, non exaggero, dimidio. Remanebit ergo problema pastorale cum omni sua urgentia et, convictus sum, urgebit magis in temporibus venturis.

De exsecutione vero normae statuendae haec addere liceat. ...[7] Paragraphus restituenda provocat ad n. 24 schematis, et quidem formae eius prioris, i. e. ponit rem relinqui Conferentiis episcoporum, actis a Sancta Sede recognitis. Ordinatio haec sane evolutio est iuris vigentis, *sed* [8] quasi praecursores sunt decreta quaedam recentiora Sanctae Sedis. Ita Conferentiae episcopales iam obtinuerunt in certis quibusdam casibus facultatem decidendi in re liturgica, cogita exempli gratia de mutandis quibusdam caeremoniis vel transferendis in linguam vernaculam textibus in ritu baptismatis adultorum *et similia.*[9]

Nihil mirum, si Concilium nunc procedit in eadem via. Ita *complebit* [10] laborem iam in Concilio Vaticano I inceptum. In illo Concilio per definitionem Primatus Romani Pontificis confirmata est unitas universae Ecclesiae in Capite suo visibili. Quae unitas nobis omnibus uti donum pretiosissimum habetur, *et grati etiam sumus cooperatoribus et organis Sanctae Sedis.*[11]

Nunc autem stabilienda est viva varietas huius unitatis, *fundata super efficacem, diversimodam functionem collegii episcoporum.*[12] Ulterior enucleatio doctrinalis et...[13] disciplinaris muneris episcopalis certe ad primaria officia huius Concilii pertinet. In quaestione vero praesenti aliquam portionem *in tota nostra constitutione de Liturgia* [14] et quidem non parvi momenti huius officii absolvimus...[15]

Certe in disceptatione aliorum schematum adhuc pluries fuse de hoc

obiecto loquendum erit. Sed rogo vos ...[16] ne propter aliqua dubia modo nondum soluta (sed postea resolvenda), *rem ipsam eliminemus.*[17] Omnino evitare debemus, ne in proposito tanti momenti infecta re discedamus...[18]

...[19] Quae in nostro casu ad rem praecise definiendam requiruntur, uti mihi videtur, iam sufficienter clara sunt et quidem fere sequentia:

1. Agitur de Conferentiis episcoporum, i. e. de conventu omnium episcoporum residentialium, aliorum Ordinariorum locorum alicuius territorii vel nationis...[20]

2. Agitur de his Conferentiis non in quantum sunt conventus mutuae consultationis pastoralis, ...[21] sed in quantum conveniunt ad explendum hoc munus in nostra constitutione praecise circumscriptum.

3. Conferentiae episcoporum decernunt rem vi auctoritatis eis contributae ab hoc Concilio Oecumenico, i. e. a conventu episcoporum omnium cum successore S. Petri unitorum, summa potestate in universam Ecclesiam gaudente (cf. can. 228 § 1).

4. Talia decreta vim non habebunt nisi prius a Sancta Sede recognita fuerint...[22]

Ex quibus patet: nullo modo afficiuntur in essentia et operatione Conferentiae episcopales cuiusque generis, quae hucusque in usu sunt.

Sed praeter has, vel *saepe* [23] una cum eis, aliquoties omnes et soli Ordinarii alicuius determinati territorii edunt decreta de obiecto determinato cum vi obligativa pro toto territorio, exempli gratia, in casu nostro...;[24] analogiam quandam habemus e. gr. in nostra Conferentia Bavarica. Ordinarie convenimus consultationis pastoralis causa. Sed quovis quarto anno, occasione talis conventus utentes, munus quoddam a iure Concordatario nobis impositum explemus: praemissis quibusdam solemnitatibus tunc elenchum nominum ad munus episcopale praestandorum conficimus.

... [25] Ex supradictis patet, per nostram constitutionem nullo modo introduci novam instantiam inter Sanctam Sedem et episcopos singulos. Agitur de solis quibusdam certis casibus praecise definiendis, qui ex natura rei competere censentur episcopis alicuius regionis vel nationis coadunatis, intacto insuper remanente singulis iure appellandi ad Sanctam Sedem.

In fine obsecro vos, Venerabiles Patres, ne parvi aestimetis quaestionem propositam *de lingua.*[26] Neque respiciatis solummodo conditiones territorii proprii, ubi problemata commemorata fortasse non urgent. Sed mementote eorum, qui in tentatione sunt et in periculo...[27]

Solutio proposita non minuit unitatem Ecclesiae, sed vigorosam reddit pro membris.[28] Dixi. [*Plausus*].

In textu scripto tradito: [1] Cap. IV schematis de S. Liturgia valde gratum est. Lucide delineat momentum theologicum et pastorale Officii Divini. Normae optimae statuuntur. Omnes fideles, sive clerici sive laici sive religiosi, in divina laude cuique statui proprio participare iubentur. Ad perficiendum vero. [2] deest. [3] Quod ad argumentum meum spectat, multa iam optime dixit em.mus D. card. Léger, quae libenter in memoriam revoco. Imprimis tamen haec consideranda proponere velim: [4] deest. [5] charactere matutinali praedita et congrue statim post consurrectionem vel saltem ante Missam dicenda. [6] *Concedatur sacerdotibus linguae latinae parum capacibus facultas recitandi Breviarium in lingua vernacula secundum normam in priore schemate praevisam.* Tenor petitionis: restituatur n. 77 in forma priore. Ad complendum opus instaurationis Divini Officii tam feliciter inchoatum peto, ut restituatur in n. 77 post phrasim sub littera *a*) positam (scil.: « Iuxta saecularem traditionem Occidentalis Ecclesiae, in Officio Divino lingua latina clericis est servanda » - pag. 188, linn. 4-6) paragraphus a commissione centrali deleta, quae sic sonabat: « Ubi tamen cognitio linguae latinae valde insufficiens est neque adest spes legitima rem funditus mutatum iri, Conferentiarum episcopalium erit in singulis regionibus normas statuere circa usum alterius linguae, ad normam art. 24 huius constitutionis ». Cunctanti pede, sed conscientia pastoris vehementer urgente, hanc petitionem proponere audeo. *Motiva pro petitione.* In dicto n. 77 constitutionis liturgicae tractatur de problemate maximi momenti et difficultatis. Nam cognitio linguae latinae in dies minuitur. In diversis enim regionibus etiam extra terras Missionum vix ullae existunt scholae ecclesiasticae nec institui possunt, in quibus lingua latina sufficienter tradi potest. Iuvenes visitant scholas publicas et non capaces fiunt linguae latinae vel tam insufficienter, ut postea Officium latinum cum fructu vero persolvere nequeant. Sed etiam in territoriis, in quibus sicut in Statibus Unitis Americae Septemtrionalis exstructum est mirabile systema scholarum ecclesiasticarum, post strenua multorum decenniorum tentamina discipuli non potuerunt perduci ad plenum et sufficientem effectum. Ultra dubium ullum apparet ex votis multorum episcoporum eiusdem regionis. Ne putent venerabiles Patres negligi linguam latinam ab iis, qui in responsabilitate sunt. Non solum auctoritates ecclesiasticae, sed etiam multi, qui culturae occidentalis vere solliciti sunt, certant pro lingua latina servanda. E. gr. anno 1959 Rectores omnium Universitatum Europaearum in urbe Dijon votum fervidum tulerunt pro gymnasio, uti aiunt, humanistico cum studio linguarum graecae et latinae. Fuit in vanum, quia gubernia nihil valent contra civilisationem hodiernam deplorabiliter abnuentem linguas antiquas classicas. Etiam in Ecclesia iterum atque iterum tentatum est, cursum vertere retro. Non paucae sunt scholae ecclesiasticae, quae post destructiones belli iterum florescunt et curam linguarum classicarum a maioribus traditam continuant. Simili modo omnibus viribus laborabunt omnes episcopi, ut intentionem Suae Sanctitatis in Constitutione *Veterum Sapientia* manifestatam in praxim deducant. Confidenter speramus, talia conamina sic strenua non sine effectu fore, et pro studio et pro Missa celebranda necnon pro principio in initio n. 77 posito adimplendo: « In Officio Divino lingua latina a clericis servanda est ». Cui principio ex corde consentior. Sed nihilominus graves difficultates non deerunt. Legimus v. g. in periodico americano catholico « Worship » (vol. 35, pag. 254) de experimento promovendi linguam latinam in seminario catholico per 25 annos protracto: « Quantumvis magistri linguae latinae heroice conati sunt meliorem reddere in-

structionem ipsorum magistrorum et methodos docendi, cognitio linguae latinae continuatim evolutione horribili declinat ». Non possumus oculos claudere intuitu rei veritatis: in multis regionibus etiam in futuro magnus numerus iuvenum ex scholis publicis veniet, qui linguae latinae non sufficienter sunt capaces, ut se offerant Ecclesiae pro sacerdotio recipiendo. Quomodo eis obligationem imponere possumus orandi cotidie in lingua non sufficienter nota, et quidem sub gravi? An fortasse refutare possumus eorundem vocationem, quia non perfecte sciunt linguam latinam? Minime licet numerum sacerdotum iam insufficientem denuo minuere dimidio. Remanebit ergo problema pastorale cum omni sua urgentia: Quid de iis, qui obligantur ad Divinum Officium recitandum in lingua, cuius non sufficienter capaces sunt? Praeterea, quod maximi momenti est, textus isti pro sacerdotibus in cura animarum nostris temporibus passim fere unicum sunt nutrimentum spirituale. Sacerdotes plurimi a matutina usque ad noctem fere incessanter occupati sunt in scholis, nosocomiis, visitationibus infirmorum et coetuum actionis catholicae. Fatigati sero revertuntur in domos suas et vix eis remanent vires persolvendi, quae sibi supersunt de Officio Divino. Haud raro impossibile est ipsis legere S. Scripturam nec alios libellos spirituales. Quodsi sufficienter cognoscerent linguam latinam, iucundum ibi invenirent pabulum cordibus suis. Sic autem cor eorum aridum fit, immo quodammodo corrumpitur, si obligantur cotidie orare in lingua non satis nota. Aut resignatione quadam oboediunt legi, aut contra legem recitant breviarium in lingua vulgari, prae angustia cordis putantes, legem positivam non obligare sub tanto incommodo. Quod si verum esset et Ecclesia non admitteret linguam vulgarem, auctoritas damnum pessimum subiret. Insuper ipsi fideles damnum patiuntur. Sacerdos linguae latinae non sufficienter compos vix in suas convertet illas inexhauribiles divitias, quae in lectionibus et hymnis, maxime autem in psalmis reconditae sunt. Solus qui tota mente et toto animo penetratur a spiritu ex sacris textibus profluente potens erit illa dona pretiosa cum fidelibus sibi commissis large atque effluenter communicare in praedicatione, catechesi, directione spirituali.

Obiectiones crisi subiiciendae.

I. Difficultatem fortasse aliquis movebit: Unitas linguae, nonne pro recitatione communi tanti aestimanda est, ut nullo modo liceat eam relinqui? Ad hoc quidem omnino affirmative respondendum est. Ubicumque clerici in choro vel in communi recitaverint Officium, in lingua latina hoc faciant, maxime si sunt diversarum linguarum vernacularum. Secus principium nostrum generale evacuaretur. Pro illis autem, qui difficultate linguae laborant, imprimi fortasse poterit liber Breviarii, cuius paginae in duas columnas dividuntur, quarum altera exhibet textum latinum altera eundem textum in lingua patria. In recitatione vero privata concedatur lingua vernacula, si rationes graves supra expositae urgent. Itaque exoptata Constitutionis mutatione sufficienter salvari videtur lingua latina, signum tam pretiosum unitatis et traditionis Ecclesiae Occidentalis. Ceteroquin semper animadvertendum est, his quaestionibus non tangi unitatem essentialem internam Ecclesiae, quia secus neque cum fratribus catholicis rituum orientalium unitas salvaretur.

II. Iterum obiici potest etiam in lingua patria inadvertentiam nequaquam evitari. Revera, humana fragilitas intermiscetur semper in orationibus nostris. Sed de hoc non agitur. Quaeritur potius, num Ecclesia obligare velit sacerdotes suos ad orandum in lingua aliena, quae advertentiam fere excludit.

III. Opponitur linguam latinam pretiosissimum esse elementum culturae occidentalis. Ex toto corde consentior. Videmus Ecclesiam indefatigabilem esse advocatam huius linguae in mundo hodierno. Sed non expedit tueri culturam, ubi damnum capit salus animarum. « Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? » (*Mt.* 16, 26).

[7] Quoad exsecutionem. [8] plura adhuc de ea declaranda sunt. Liceat hic quaedam puncta principaliora animadvertere. Evolutionis indicatae. [9] de transferendis diebus rogationum; de alterandis coloribus paramentorum in aliquibus regionibus (cf. Codicem Rubricarum et Ordinem Baptismi adultorum). [10] complet. [11] deest. [12] Potestas sacra a Christo in Ecclesia pro salute hominum condita non in solo S. Petri officio recondita est, sed simul etiam in toto Collegio episcoporum cum S. Petri successore unitorum. Unde officium episcopale pondus suum proprium habet. [13] praesertim. [14] deest. [15] Nulla ergo est diffidentia vel suspicio versus S. Sedem eiusque organa in nostra petitione, sed inservire potius putamus ipsi universae Ecclesiae bono, cum plenius statuamus munus episcopale, quod simul cum primatu a Christo Domino tanquam unum quid vitale et validum, in Spiritu Sancto indissolubiliter compaginatum, conditum esse credimus. [16] Venerabiles Patres. [17] iam ipsam rem eliminetis. [18] Totum schema liturgicum magnum damnum caperet, si hoc argumentum, scil. munus et facultas competens Conferentiae episcopalis in quibusdam bene determinatis casibus, in hac periodo Concilii insolutum remaneret. Exempla priorum Conciliorum nos monent, ne solutionem problematum urgentium pro tempore incerto differamus. [19] Certissime tempori opportuno relinqui potest, quaenam aliae facultates Conferentiae episcoporum tribuendae sint. Sed. [20] i. e. nationis vel regionis. [21] pastoralis causa convocati. [22] ad analogiam can. 29 C.I.C. [23] deest. [24] de concedenda facultate sacerdotibus linguae latinae non sufficienter capacibus recitandi Breviarium in lingua latina. Quae decreta sub secreto tenenda erunt et vim non habent, nisi prius a S. Sede recognita fuerint. [25] Praeterea. [26] deest. [27] existunt salutis. [28] deest.

7

EM.MUS P. D. ALBERTUS CARD. MEYER
Archiepiscopus Chicagiensis

Venerabiles Fratres,

Brevitatis causa praetermitto ea quae ab aliis iam dicta sunt et quae scripta secretario tradam. Velim tamen aliquid animadvertere [1] quoad n. 77, ubi agitur de lingua adhibenda in *recitando Breviario Divino, saltem per modum scholion ad ea quae iam ab aliis dicta fuerunt.*[2]

Propter summam reverentiam erga illam venerabilem « saecularem traditionem », de qua loquitur in lin. 5 huius numeri, fateor me aliquatenus ancipitem haerere aliquid in contrarium edicere. Nihilominus, *sicut alii em.mi Patres iam innuebant,*[3] quia persuasus sum agi de re maximi momenti pro vita spirituali sacerdotum plurimorum, propono sequentem animadversionem.

Vehementer optarem ut Patres Concilii saltem opportunitatem haberent suffragium ferendi super quaestione de usu permissivo linguae vernaculae in recitatione privata Divini Officii. *Ut iam dictum est ab em.mo Doepfner,*[4] haec propositio iam aliquo modo in schemate praeparatorio habebatur. Quamvis modus praecisus quo tunc proponebatur non mihi placeret, nihilominus puto propositionem debere aliquo modo in nostro schemate contineri.

Propono, igitur, ut Patres Concilii habeant saltem opportunitatem suffragium ferendi utrum necne aliqua modificatio pro usu linguae vernaculae huius n. 77 proponi deberet. Qualem formam haec modificatio sumere debeat, probabiliter melius elucebit ex iis quae Patres hac de re dicent.

Forsitan sic proponi potest: « Iuxta saecularem traditionem Occidentalis Ecclesiae, in Officio Divino lingua latina clericis servanda est. Attamen, maioris pietatis causa, in privata recitatione licet adhibere versionem probatam in lingua vernacula ».

Et dico « maioris pietatis causa », et non ex defectu cognitionis linguae latinae. Nam puto quod etiam multi, ex iis qui linguam latinam optime callent, talem permissionem cum gaudio acciperent, salvo meliore iudicio.

Insuper, talis permissio, mea opinione, nullo modo dependere debet a quacumque actione alicuius Conferentiae episcopalis; sed, si concedatur, concedi deberet ab hoc Sacrosancto Concilio, vel ab ipsa Sancta Sede, directe omnibus sacerdotibus, conditionibus, sub quibus ea uti liceret, bene determinatis.

Dico hoc[5] item salvo meliore iudicio. Et dixi.

In textu scripto tradito: [1] Quoad nn. 68 et 76 huius capitis, ubi agitur de cursu horarum et de tempore recitandi officium divinum:

His numeris, ut mihi videtur, indicatur nimia insistentia de absolutione variarum partium Divini Officii certis diei horis. Quamvis hoc tamquam ideale, ut ita dicam, in novo codice rubricarum proponatur (n. 142), nihilominus fatendum est quod hoc ideale a plerisque sacerdotibus, ministerio activo deditis, saepe saepius, data etiam eorum optima intentione, vix attingi potest.

Ne igitur sine necessitate angustientur conscientiae, melius mihi videtur ut concilium abstineat a n. 76 approbando. Quaestio haec utique intime cohaeret cum tota quaestione de reformatione Divini Officii. Principium optimum pro hac reformatione enuntiatur verbis n. 68, ubi dicitur: « ratione tamen habita diversarum conditionum vitae hodiernae ». Hoc autem principium negligi videtur si Divinum Officium ita reformetur cum nimia insistentia cursus horarum et temporis recitandi varias Divini Officii horas.

[2] recitatione Divini Officii. [3] deest. [4] deest. [5] deest.

8

Em.mus P. D. RUFINUS card. SANTOS
Archiepiscopus Manilensis

Veneratissimi Patres,

Aspectus pastoralis totius constitutionis conspicuus patet. At desiderari videtur ut, dum schema actuosam illam et christianam vitam fidelium fovendam sollerter alit, eadem cum sollicitudine etiam de ipsius ministris seu sacerdotis ministrantis bono spirituali magis apte provideat. Caput hoc quartum respicit unum ex principalioribus oneribus quae particulari modo clericos in ministerio paroeciali gravant, parochos, et missionarios: Officium, dico, Divinum, ad Dei laudem dicendum et ipsius sacerdotis sanctificationem.

Honor quidem sacerdoti, sed et onus.

Quod onus in pag. 185, linn. 22 ad 24 introductionis, constitutio ipsa laudabiliter alleviare intendit; et sumo verba: habitis « difficillimis temporum adiunctis » ut « Divinum Officium facilius et perfectius peragatur ». Sed, ut ab experientia constat, illos, ingenti quidem numero, qui animarum curam habent, hodiernis temporibus labores in dies adhuc crescentes vitae paroecialis gravare multoties et multimodo ut Divinum Officium prout iacet et proponitur nunc, si totum ipsi pastores animarum recitare tenentur, omnibus sine exceptione diebus, nullo pacto ipsis facilius fieret.

Igitur ad pag. 187, n. 73, ad *b*), liceat mihi humillime proponere ut distinctio fiat inter clericos animarum curam habentes et illos tale ministerium non habentes, ita ut, firmo quoad cetera praescripto in n. 73, ad accommodandum illos pastores curam animarum habentes, hoc Sacrosanctum Concilium velit decernere, ita: « Officium Divinum, ritu quidem semi-festivo et duplicis classis, diebus dominicis et festivis, constare tantum debere Matutino unius nocturni: sive novem psalmorum vel, quod adhuc magis optandum sit, trium tantum psalmorum ».

Rationes sunt hae. Sic servaretur adhuc cursus traditionalis Officii Divini. Fatendum est multos Domini operarios sanctificatos fuisse per recitationem istius formae traditionalis orationis. Sumo inter multa, exemplum Sancti Ioannis Baptistae Vianney et aliorum militiae sanctorum Missionariorum in sat rerum difficillimis conditionibus.

Secundo, postulatum meum ut parochis et aliis curam animarum habentibus onus Officii Divini facilius reddatur, nullatenus intendit ut illa forma *par excellence* orationis sacerdotalis, quoad eius structuram

liturgicam, reducatur. Verum, quo magis sacerdotis actuosa vita esset, eo magis interiorem vitam spiritus ipse nutrire indiget. Quod certo certius oratione obtinetur primo et quidem efficaciter.

Tandem, praecise propter multa pericula ad obviandas difficultates quandoquidem insidiosas, quae praesertim nostra aetate obiiciunt sacerdotum sanctitati, utpote nonnumquam ex ipsa pastorali actuositate occasionem accipiunt, censeo humillime non esse auferendum quid ab efficacitate mediorum sanctificationis, valde sunt fundamentalia vitae spirituali quasi exsiccando ipsum fontem aquae vivae et cibi spiritualis.

Sufficiat ut Breviarium revera nomini consonet. Dixi.

Textus scripto traditus:

Quia inter ea quae sibi proponit constitutio schematis praeprimis est « vitam christianam inter fideles in dies augere », adspectus pastoralis a cap. 1 per totum schema ad cap. 8 conspicuus est. At videtur quasi illud illam actuosam et christianam vitam fidelium tantum respiciat, et nihil de ipso administro vel sacerdote ministrante agat.

Sacerdos enim pars principalis est, ut actuosa fidelium participatio habeatur; sine ministro non erit Missa, Sacramenta non perficerentur nec praeberentur ...

Nunc vero, cap. 4 respicit unum ex oneribus quae gravant Sacerdotem ministrum, sive parochum sive missionarium: Officium dico Divinum, ad Dei laudem dicendum et ipsius quoque sacerdotis sanctificationem. Honor quidem sacerdoti, sed et onus. Quod onus constitutio ex una parte intendit alleviare, providendo ut « facilius et perfectius peragatur »; sed pro illis qui praesertim ingenti labore vitae paroecialis hodiernis temporibus gravantur nullo modo facilius fit si et ipsi omnibus sine exceptione diebus dicere tenentur Officium totum (cf. n. 73, *b,* pag. 187).

Sume casum: *a*) vastissimae iurisdictionis ecclesiasticae, in cuius territorio degunt 1.500.000 incolae, quorum 90% fideles, solummodo autem 189 sacerdotes qui curam habeant eorum; ex quo sequitur ut *b*) paroeciae sint 30.000, 40.000, immo et 60.000 fidelium, propter ipsam penuriam sacerdotum; *c*) bona spiritualis administratio paroeciae impossibilis fere deveniat.

Auderem igitur proponere ut pro iis qui animarum cura occupantur diebus dominicis et festis de praecepto Officium Divinum sit quidem ritu semi-festivo, II classis, sed constet solo Matutino unius nocturni, sive novem psalmorum, vel, quod magis desiderandum est, trium tantum psalmorum.

Ideoque, firmo quoad cetera praescripta n. 73 (pag. 187), peto ut ab hoc Sacrosancto Concilio decernatur pericopa in hoc sensu, ut infra: « Officium Divinum, ritu quidem semi-festivo et II classis, diebus dominicis et festis de praecepto, constare tantum debere Matutino unius nocturni: sive novem psalmorum — vel, quod magis optandum sit, trium tantum psalmorum ».

9

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. LANDÁZURI RICKETTS
Archiepiscopus Limanus

Venerabiles Patres,

Innovationes in hoc capite quarto propositae quoad Officium Divinum, procul dubio eo tendunt ut sacerdotes, aliaque membra Sponsae Christi, facilius et perfectius precationem publicam Ecclesiae peragere valeant. Liceat tamen mihi sequentia breviter animadvertere.

1. N. 73, linn. 3 et 4, statuitur principium ut quid minimum orationis praescribatur, ratione habita infirmitatis humanae et hodiernorum difficilium temporum adiunctorum. Sed non videtur quomodo cum hac intentione componi possit n. 72 sub *b*), iuxta quem cotidie novae preces pro variis mundi et Ecclesiae necessitatibus vesperis inserendae essent. Quae preces, certe, Officium non abbreviabunt. Ex altera parte, affirmare liceat totum hoc sacrificium laudis Deo pro necessitatibus *etiam* [1] mundi et Ecclesiae offerri, atque saepius in hymnis, et praesertim in oratione, pro necessitatibus his explicitam fieri precationem. Unde non videtur insertio talium precum nec necessaria nec conveniens, sed potius contraria principio in n. 73 statuto.

2. Quoad ipsum n. 73 graviora notanda sunt. Sub littera *a*), lin. 10, agitur de « capitulis residentialibus ». Haec autem nomenclatura videtur et confusa et discrepans, eo quod in Codice Iuris Canonici vigente non inveniatur. Canon enim 391 § 1, loquitur solummodo de capitulis cathedralibus et collegialibus. Quod si illa per verba « capitula residentialia » intelliguntur, eisque solummodo obligatio recitandi vel canendi Laudes *aut* Vesperas relinquitur, non apparet amplius una ex principalibus rationibus eorum existendi cum, iuxta verba eiusdem canonis, capitulum sit « ideo institutum ut solemniorem cultum Deo in Ecclesia exhibeat »; quod vix fieri asseri potest per celebrandas solas Laudes aut Vesperas.

Insuper, in eodem n. 73, si illis capitulis est obligatio recitandi solas Laudes aut Vesperas, quid autem de Missa conventuali? Haec enim in can. 413 Iuris Canonici dicitur pars Divini Officii, et a liturgistis semper centrum totius Divini Officii habetur, saltem pro illis coetibus choro obligatis. *Quamobrem* [2] si capitulis cathedralibus et collegialibus aufertur Missa conventualis et quasi totum Officium Divinum, saltem ex lege generali, praescripta huius n. 73 difficulter cum ipsa eorum natura componi possunt.

Ex altera parte, hodierna temporum adiuncta requirunt ut sacerdotes, etiam canonici, praesertim in regionibus ubi deest copia sacerdotum, operibus apostolatus se devoveant, ob quae chorali recitationi interesse nonnumquam impediuntur; unde opportunum videtur illis aliquam diminutionem cotidianae obligationis choralis concedere, uti de facto iam nunc, petentibus episcopis et capitulis, saepe a Sancta Sede conceditur.

Praeterea, cum in praesens habeatur facultas Missas Vespertinas celebrandi, res faciliores evadunt si mane vel vespere, ante vel post Missam conventualem, attentis locorum adiunctis, aliqua saltem pars Divini Officii persolvatur.

Quapropter, salvo meliore iudicio, n. 73, in lin. 6 sub *b*), verbis « communitates choro obligatae » adiungatur: « praeter Missam conventualem », et deinde « tenentur Officium Divinum cotidie in choro celebrare et quidem, etc. ».

Linea autem 10 eiusdem numeri ita *melius* [3] mutetur: « Saltem partem Officii, iudicio Ordinarii loci, capitula cathedralia aut collegialia ».

3. Liceat tandem aliquid notare ad n. 68 *d*): « Horae minores ita instituantur ut tempore competenti recitari possint ad sanctificandum laborem cotidianum ». Plaudendum est huic proposito. *Attamen, super hoc argumento,*[4] liceat mihi meam expimere mentem ipsis verbis quibus auctores schematis in quadam adiecta declaratione ad commissionem centralem praeparatoriam illud illustrarunt:

« Pro horis minoribus non videntur acceptandae solutiones "extremae ", quae sunt: eas totaliter abolere, aut eas sicut nunc servare. Totaliter enim eas abolere esset contra saecularem traditionem liturgicam; cum eas asservare sicut nunc sunt, esset aut neglectus circumstantiarum vitae clericalis hodiernae, si nempe obligatoriae manerent, aut solutio simulata, si nempe earum obligatio tolleretur: nam esset tunc practica earum abolitio. Solutio quae desideratur, intendere debet harum horarum aptationem quae earum absolutionem in praxi possibilem, immo desiderabilem reddat homini qui vitam orationis aestimare debet ». Quod est in votis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Quapropter. [3] deest. [4] At.

10

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. BACCI

Venerandi Patres Conciliares,

De reformanda compositione Breviarii. Liceat mihi proponere reformationem Breviarii non quoad rubricas, sed quoad ipsam eius compositionem. Hanc reformationem, vel novam compositionem, iam nonnulli Patres in Concilio Vaticano I petierunt, sed fere nihil adhuc factum est.

Quattuor utique reformationes peractae sunt postremis hisce quinquaginta annis, sed omnes potissimum corpus rubricarum respiciunt, non autem compositionem Breviarii.

Haec reformatio, mea sententia, haec praecipua capita complecti potest.

1. *Vetus et Novum Testamentum.* In hodierna compositione Breviarii quattuor quintae partes ex Vetere Testamento desumptae sunt; una tantum quinta pars ex Novo Testamento. Puto autem maiorem partem ex Novo Testamento desumendam esse, detractis, non Libris Sapientialibus, sed praecipue magna ex parte libris historicis Veteris Testamenti, qui plerumque parum ad pietatem fovendam conferunt.

2. *Psalmi.* Sunt non pauci psalmi, qui peculiarem conditionem respiciunt populi hebraici, *atque adeo parum conferunt ad pietatem nostram*; [1] atque etiam *qui respiciunt* [2] legem talionis, quae illo tempore vigebat. Duo tantum exempla affero: Ps. 136, in quo legitur: « Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram ». Ps. 108, in quo legitur: « Fiant filii eius orphani, et uxor eius vidua... fiant nati eius in interitum; in generatione una deleatur nomen eius... et peccatum matris eius non deleatur »; et alia huiusmodi.

Psalmi, qui vel imprecatorii sunt vel peculiarem conditionem respiciunt populi hebraici, sunt fere tertia pars psalterii. Mea sententia opportunum est hos omnes Psalmos, qui ceteroquin sunt Sacra Scriptura divinitus inspirata, et illorum temporum peculiaribus conditionibus consentanea, expungantur e Breviario, quod est *potissimum* [3] sacrae orationis *et sacrae meditationis* [4] liber. Recordemur enim quod dixit Divinus Redemptor: « Dictum est antiquis... Ego autem dico vobis ». Lex Evangelii est perfectio Veteris Testamenti et in praesens iam non viget lex talionis, sed lex caritatis et misericordiae.

3. *Versio psalmorum.* Nova versio psalmorum a Pio XII motu proprio edita, quoad criticam spectat textuum restitutionem eiusque rectam

intelligentiam, omnium iudicio valde laudabilis est. Attamen eius lingua a non paucis videtur *hiulca* [5] atque interdum... [6] nimis a Vulgatae dictionibus discedens. Quod quidem difficultatem facit, praesertim in recitatione chorali et in cantu, quia non conservat numerum et clausulas Vulgatae.

Sapienti consilio Pius XII, praedicto motu proprio, asseveravit: « Si libuerit, hac versione utantur sacerdotes, etc. ». Fuit igitur ad experimentum data. Mihi aptior videtur versio quae hanc rationem sequatur: nempe, ubicumque necessarium est, textum Vulgatae, utpote erratum corrigere... [7] Ubi vero omnino necessarium non est, conservetur. Itemque lingua non a classica latinitate, sed a christiana Patrum latinitate desumatur. Hanc rationem secuti sunt, exempli gratia, Monachi Benedictini in nova versione, superiore anno pro manuscripto edita; de qua tamen versione alii etiam viri docti iudicent opportunum esse videtur.

4. *Lectiones historicae.* Laudabili nisu non paucae narrationes fabulares expunctae sunt in lectionibus contractis novi Breviarii. Videtur tamen aliquid adhuc superesse, quae historiae fidei non omnino respondent.

5. *Lectiones Sanctorum Patrum.* Non semper bene et utiliter selectae sunt. Interdum habentur in locis Sanctorum Patrum subtilitates rhetoricae et cavillationes, quae hodie non probantur. Opportunum igitur videtur ex thesauro Sanctorum Patrum novam sapientioremque locorum selectionem depromere.

Cum autem haec omnia a Concilio Oecumenico ob temporis defectum fieri non possit, vota facio ut quaeratur a Summo Pontifice ut consilium seu commissionem nominet doctorum virorum qui hoc perficere valeant.

Ad quaestionem vero quod attinet de recitando Breviario lingua nationali, etiam a sacerdotibus, breviter meam sententiam aperio, quae omnino consentanea est schemati sub n. 77. Sacerdotes debent ex officio linguam latinam cognoscere, *debent ex officio,* [8] eam saltem quae liturgica est, plana nempe ac facilis. Si etiam linguam liturgicam planam et facilem non intellegunt, grave episcoporum officium est curare ut eam addiscant, obtemperantes *tandem aliquando* [9] legibus et hortamentis ab Apostolica Sede datis.

Haec habui, venerandi Patres, quae meditationi ac prudentiae vestrae proponerem.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] aspera, hiulca, nimis litteralis. [6] etiam. [7] corrigatur. [8] deest. [9] deest.

11

Em.mus P. D. AUGUSTINUS card. BEA

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Hic, *in nostro schemate,*[1] etiam magis quam alibi, videtur insistendum ne Concilium intret in particularia, sed tradat principia et *summas* tantum normas directivas. Ad talia particularia pertinet, verbi gratia, quod in n. 70 praecipitur ut hymni in pristinam formam reducantur (*hoc utique valde desiderandum est, sed num Concilium de hac re agere debet?*) [2]; in n. 71, ut vitae Sanctorum ad fidem historicam reddantur, atque etiam, quod in n. 69 *de revisione* [3] psalterii piani praescribitur. Haec revisio iam ante tres fere annos a Summo Pontifice praescripta est, et pro ea *clarae* [4] normae directivae datae sunt. Textus editus a R. P. Weber (*de quo heri fuit sermo*), *O.S.B.,*[5] membro commissionis tunc institutae, est aliquis primus fructus huius laboris. Non videtur igitur necessarium ut haec res particularis, *a Summo Pontifice iam ordinata,*[6] a Concilio praescribatur *et de ea hic discutiatur, cum res iam decisa est.*[7] Concilii potius videtur esse ut proponat principia et summas normas directivas, *et quidem* [8] quae sint universalis et perennis indolis.

Hoc eo magis necessarium esse videtur quod Concilium nostrum est Concilium Oecumenicum, non tantum Synodus Ecclesiarum quae sequuntur ritum latinum romanum. Dico romanum; nam, ne in latina quidem Ecclesia, uniformitas in Officio divino dicendo habetur. Nam praeter Breviarium Romanum habentur, ut pauca tantum *nominem,*[9] varia Breviaria monastica, ...[10] Breviarium ritus ambrosiani. *Accedunt deinde variae formae quae in Ecclesiis Orientalibus habentur,*[11] quae a clericis singulorum rituum observandae sunt, ut in ipso Motu Proprio *Cleri Sanctitate,* canone 76, dictum est, iuxta praescripta iuris particularis.

Schema autem nostrum, excepta introductione, *fere exclusive agit* [12] de Breviario Romano. Proponenda essent *ergo,*[13] meo humili iudicio, *principia et normae* [14] directivae quae pro omni *forma* [15] Officii divini, *tam in Occidente quam in Oriente,*[16] valeant, scilicet, de eius natura ut oratione nomine totius Ecclesiae a sacerdotibus et religiosis persolvenda, de eius praestantia, utilitate *et necessitate* [17] pro tota Ecclesia, et *praesertim pro vita sacerdotali et apostolica.*[18] *Deinde* [19] de aliquali *eius* [20] distributione per singulas partes diei ad sanctificandum totum diem; de obligatione persolvendi divinum Officium sive in choro sive extra chorum, de relatione inter orationem privatam et recitationem Officii divini, *de qua fere nihil in nostro schemate habetur, quamvis, ut*

optime notavit antea em.mus card. Lefebvre, est hodie summi momenti;[21] denique, de populi participatione.

Quae *omnia*[22] partim in introductione, pag. 185, habentur, *partim inter particularia aliquoties tanguntur. Sed utile esset omnes has normas generales colligere, exponere complete, et profundius tractare, non tantum schematice.*[23] Reliqua ...[24] autem remittantur ad auctoritates competentes singulorum rituum *ad quos pertinent.*[25]

Quod in particulari Officium divinum in Ritu latino romano reformandum attinet, in memoriam revocare liceat totum fere laborem iam factum esse *primum*[26] a commissione speciali a Pio XII beatae memoriae instituta. Illa ipsa commissione proponente et Summo Pontifice approbante, Sacra Congregatio Rituum Litteris 17 maii, anno 1956 datis, totum episcopatum de revisione Breviarii consultavit. Resultatum illius consultationis sunt 341 responsa a Metropolitis, etiam nomine episcoporum suffraganeorum, data, de quibus responsis ipsa illa commissio accurate retulit et discussit in « *Memoriali* » 136 paginarum, anno 1957. Haec autem responsa ostenderunt — *et clare ostenderunt*[27] — inter episcopos *quidem*[28] esse magnum consensum de necessitate revisionis, sed etiam maximum dissensum de singulis rebus particularibus. Idem eruitur *etiam*[29] e summario votorum « de divino Officio » quod in appendice II *Actorum et Documentorum* (...[30] 46 paginis) exhibetur.

His documentis innixi, *ni fallor,*[31] dicere possumus: commissio a Pio XII instituta omnia quae *ab episcopis*[32] proposita sunt ante oculos habuit, eamque secuta commissio praeparatoria *Concilii*[33] schema elaboravit; *postea*[34] commissio centralis totam rem examinavit, subcommissio de emendationibus schema actuale confecit.

Post hos *ingentes*[35] labores praeparatorios, vix quidquam dici posse videtur *particulare,*[36] quod nondum dictum et examinatum fuerit. Sine temeritate igitur dici potest in congregatione generali, etiam si disceptationes per hebdomadas protraherentur, nullum maiorem consensum de his variis rebus particularibus in schemate propositis obtineri posse.

Patres conciliares qui cum normis ...[37] propositis in schemate non concordant, ea tantum repetere poterunt quae iam a tribus commissionibus considerata neque *tamen*[38] admissa sunt. Desiderandum igitur videatur ne haec particularia *de Breviario Romano a*[39] congregatione generali tractentur, sed determinatio eorum remittatur ad commissionem *liturgicam*[40] postconciliarem, quam primum instituendam, quae omnibus diligenter et serio perpensis, schema denuo elaboratum Summo Pontifici proponat definitive decidendum.

Nam ubi tot variae sententiae sunt, *ut de facto sunt,*[41] decisio tandem aliquando a summa auctoritate facienda est. Quod si placuerit,

schema illud antequam Summo Pontifici proponatur, etiam conferentiis episcopalibus mitti posset ut illud examinent. Hoc modo procedendi in congregatione *nostra*[42] multae discussiones parum utiles evitabuntur, et tempus reservabitur tot aliis quaestionibus multo gravioribus *et multo difficilioribus*[43] disceptandis. [*Plausus*].

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] revisio. [4] etiam. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] enumerem. [10] porro. [11] In Ecclesiis autem orientalibus variae formae habentur. [12] agit tantum. [13] deest. [14] norma et. [15] persolutione. [16] deest. [17] deest. [18] pro sacerdotibus. [19] deest. [20] eiusdem. [21] deest. [22] deest. [23] sed accuratius, clarius et profundius exponi poterunt. [24] omnia. [25] deest. [26] deest. [27] deest. [28] deest. [29] deest. [30] pp. 290-336 (ergo [31] deest. [32] deest. [33] deest. [34] ac postquam. [35] deest. [36] deest. [37] particularibus. [38] deest. [39] in. [40] deest. [41] deest. [42] generali. [43] deest.

12

EM.MUS P. D. ANSELMUS CARD. ALBAREDA

Patres venerabiles,

In cap. IV, pag. 186, nn. 69 ad 71, est quaestio de Psalterii recognitione, de hymnorum restitutione in pristinam formam, de selectione textuum *Sacrarum Litterarum* necnon Sanctorum Patrum lectionibus « de tempore », de purgatione historiae lectionum Sanctorum. Uno verbo: Deferri iubetur ad retractationem accuratam et diligentem omnia elementa ex quibus Officium divinum constat. Quod, quamquam arduum sit, non tamen ita difficile, ut eius effectio animos frangere possit, cum magna laboris pars sit iam effecta.

N. 69, parte 2, *de Psalterio.* Admodum optabilis est consecutio unius dumtaxat textus in Liturgia latina, textus nempe respondens linguae latinae christianae, ut decet traditionem liturgicam, cursu numeroso praeditus, psalmodiae fluenti accommodatus. Ad tales eventus adipiscendos sunt nobis opera optima. Omnibus patent prosperi successus obtenti studio atque scientia professorum Pontificii Instituti Biblici, necnon tenaci elucubratione monachorum Abbatiae S. Hieronymi in Urbe, atque etiam recensione facta « iuxta votum synodi generalis abbatum O.S.B. ». Quae tentamina suprema certe non sunt, sed aditum praebent ut ad exitum commode perveniamus.

N. 70, *de Hymnis.* Ambrosius ille, hymnologiae sacrae latinae pater, hymnos panxit dulcedine imbutos, fervidos, viriles, unctione christiana inditos, quibus vehementer fideles Mediolanenses, teste Augustino, commovebantur. Ambrosius item aliorum hymnorum suasor fuit, ita suis

similium, ut iam S. Benedicto nomen « Ambrosianum » pro hymno liturgico et idem valeret.

Ei hymni, qui ab antiquitate concentui psalmorum in Officio divino comitabantur, suam pristinam speciem litterariam servarunt usque ad primum tertium saeculi XVII; tunc vero infelix correctio litteraria eorum gratiam et saporem primum deturbavit.

Facillimum autem erit hymnos Breviarii in suam formam pristinam restituere. Necessarium non est hos textus ex imis bibliothecis depromi. Canonici huius Sacrosanctae Basilicae, monachi *Benedictini, Cistercienses, Carthusiani, Fratres Praedicatores, Carmelitae Calceati* indeficienter in suis Breviariis servant, et hodie offerre possunt primo suo *florido* [1] statu.

N. 71, litteris *a*) et *b*). Vi huius paragraphi plane adsentio.

Littera *c*): *De Passionibus Sanctorum.* Hic primae partes Martyrologio Romano sunt tribuendae, quia index publicus Sanctorum est, quos Ecclesia rite veneratur. Cum hoc libro reliqui libri liturgici ad hunc cultum pertinentes, kalendariumque continentes, Missale puta et Breviarium, intime coniunguntur. Potissimum itaque accurate Martyrologium Romanum edatur. Materies revera praevia est copiosa. Praeter conspicuam multitudinem de Sanctorum vitis librorum, rite iuxta criticam methodum editorum, exstant opera notabilia, ut « Martyrologia historica Medii Aevi » (Dom. H. Quentin) et maxime opus egregium Bollandistarum.

Horum igitur operum perfectio et hodierna conditio permittunt kalendarium liturgicum funditus redigere, supposititios sanctos et elementa fictitia praetermittendo, quin ita lectiones secundi nocturni disquisitiones criticae fiant, immo, institutioni et exemplo spiritali maxime, ut non dicam unice, consulendo.

Nec conqueratur de suppressione fabularum, quamvis poeticae sint, quia lectionibus exemplarioribus suppleri prospere possunt. Ecce vobis exemplum notum: in Officio S. Clementis I Papae, antiphonae, lectio et responsoria excerpta sunt notae fabulae, quae quidem maiore eventu suffici possunt lectis fragmentis ex mira *eius* [2] epistula ad Corinthios, primo papali documento post S. Petrum.

Recognitio ergo omnium elementorum, e quibus Breviarium constat, neque ita insuperabilis est, neque tempus ita productum sibi postulat, ut natu maiores nostrum — et pauci quidem non sumus — in spem venire possimus hoc opus valde speratum videndi ad exitum prosperum perductum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

13

Exc.mus P. D. VILLELMUS CONNARE
Episcopus Greensburgensis

Venerabiles Patres,

In pag. 185, finis schematis statuitur ut « Divinum Officium a sacerdotibus aliisque Ecclesiae membris... facilius et perfectius peragatur ».

Hac de causa velim aliquid dicere nomine multorum sacerdotum tum ex mea dioecesi, tum ex aliis dioecesibus ubique terrarum. Hi pii ac studiosi consocii et amici mei petunt ut privilegio privatim recitandi Officium Divinum in lingua vernacula gaudere possint, cui desiderio libenter consentio, et mecum 90 per centum episcoporum ex Statibus Foederatis in America, uti per animadversiones cardd. Spellman et Meyer indicatur.

Desideratur ergo, ut obligatio in schemate enuntiata exprimatur potius per modum electionis, ita ut permittatur sacerdotibus privatim Breviarium recitantibus electio eum recitandi aut in lingua latina aut in lingua vernacula.

Quamvis recitatio Breviarii in lingua latina — lingua traditionali Ecclesiae Occidentalis — certe laudari et commendari debeat, tamen in recitatione privata, facta ab eis choro non adstrictis, electio linguae vernaculae sacerdotibus individuis apte tribui potest.

Sane talis editio vernacula Breviarii, a peritis singularum regionum, ducente commissione ab episcopis regionis statuta, conficeretur, nec in usum sine approbatione Sanctae Sedis deduceretur.

Ratio huius propositionis duplex est:

1. Tale privilegium magno emolumento esset vitae spirituali horum sacerdotum, quibus sacrae divitiae Breviarii nunc latent sub velo linguae latinae. Nec valet dicere hos sacerdotes, post lectionem Breviarii lingua latina factam, lectionem lingua vernacula iterari posse. In his laboriosis diebus tale spatium temporis tam sedulis sacerdotibus, tum in America, tum alibi in orbe terrarum deest.

Hoc in Concilio audiatur vox horum piorum sacerdotum per vocem episcoporum eorum. Haec vox hoc privilegium petit, ut « Divinum Officium facilius et perfectius peragatur ».

2. Tale privilegium magno emolumento esset vitae pastorali horum sacerdotum, de qua re Summus Pontifex, Ioannes XXIII, in instaurando hoc Concilio, praecise peragebat. Obligatio pastoralis praeprimis postulat ut sacerdos foveat in christifidelibus constans incrementum

scientiae et amoris Christi, ita ut una cum Christo Deo semper magis fideliter inserviant. Certo certius, ad talem obligationem melius adimplendam, multum iuvat si sacerdos sacras divitias e Breviario exhaurit in eadem lingua qua eas populo tradit.

Lectiones Scripturarum, necnon Patrum venerabilium, vitae Sanctorum, hymni et orationes — haec omnia magnum fructum ferrent in homiliis, concionibus, instructionibus catecheticis — in toto ministerio Verbi Dei ad populum — tantummodo si non solum leguntur sed etiam intelliguntur.

Celeriter conceditur ut omnes sacerdotes linguam latinam cognoscere debeant. De facto autem, multi sacerdotes ubique terrarum hanc linguam venerabilem nec legere nec loqui possunt, vel solummodo difficiliter. Pro his sacerdotibus, ergo, privata recitatio Breviarii sui mere mechanica et vix intelligibilis fit.

Quapropter propono ut obligatio in schemate enuntiata exprimatur potius per modum electionis, ita ut permittatur sacerdotibus privatim Breviarium recitantibus electio eum recitandi aut in lingua latina aut in lingua vernacula. Dixi.

14

Exc.mus P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO
Episcopus Cuernavacensis

Venerabiles Patres,

Magno cum gaudio quaedam perpulchre dicta de sensu pastorali erga nostros sacerdotes in hac aula feria IV *et hodie auditi sumus,*[1] quibus propositio de revisendo funditus *vel partim*[2] Officium divinum nitebatur.

Sed mihi videtur, ut melius hic finis attingatur, doctrinam ipsam quae subiacet huic prooemio revisendam esse, ideoque ipsum prooemium funditus reformandum esse. *Prooemium, pag. 185.*[3]

1. A Concilio Oecumenico secundum usum antiquum non citantur verbatim auctoritates, ne Encyclicae quidem, sed tantum Sacra Scriptura et Patres.

2. Textus, lin. 8 citatus, ex epistola ad Hebraeos « pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum » (5, 1), hic in sensu alieno ab ipso loco adhibetur, quia non Ecclesia sic constituitur, sed Christus Sacerdos.

3. Ipsum principium in prooemio expositum non est solidum. Si statuitur Ecclesiam suum officium laudandi Deum et interpellandi, per

celebrationem tantum Eucharistiae et per Officium divinum absolvere, hoc modo concipiendi negligitur illa oratio Ecclesiae, quae fit sine intermissione per totum orbem a populo christiano, tum communiter, scilicet per pia exercitia, secundum usum particularium Ecclesiarum, de quibus in n. 9 huius schematis actum est, tum privatim a singulis.

Oratio quae fit ab Ecclesia, sive a fidelibus, sive a clericis, certe aliquibus legibus ordinanda est. In lege autem nunc vigente, periculum magnum inest, immo maximum damnum patimur, pietatem nempe personalem sacerdotum per molem precum dicendarum legalium opprimi.

Historia evolutionis Officii inde a libera et spontanea oratione fidelium et sacerdotum, usque ad ideam substitutionis, quae fuit etiam expressio illius « do ut facias » patroni et beneficiati, rem praeclare illustrat. Structurae et superstructurae paulatim pietatem personalem obruebant sine pietate, immo cum quadam crudelitate, unde orta sunt conamina reformationis non pauca, *sicut illud sanctissimi viri Pii X.*[4]

Sed ex lege nunc vigente disharmonia *haec apertissime*[5] apparet. Ex una parte iacet Officium divinum, quo sub comminatione peccati mortalis tantum tempus sacerdotum cum minimo fructu spirituali occupatur. Ex altera parte, canone 125 *b*) *eisdem sacerdotibus*[6] imponitur alterum quoddam officium ad fovendam pietatem personalem, quo exigitur ut iidem « quotidie oratione mentali per aliquod tempus incumbant, sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem mariano rosario colant, conscientiam suam discutiant ». Si admittitur illa delegatio Ecclesiae, cur oratio quae dicitur personalis in oppositione ad illam legalem non posset illa delegatione ditari?

Principium vero practicum solutionis, dum doctrina substitutionis in trutinam redigitur, innuit feria IV em.mus card. Léger et commendatur cum in Completorio insertum est conscientiae examen. Hae duae obligationes in unam coordinandae et coniungendae sunt, *prout natura rei postulat.*[7] Iamiam Laudes et Vesperae in laudem Dei ex officio, suo tempore, dicendae *essent.*[8]

Horae minores, in forma etiam apte reformata, libertati et pietati sacerdotali relinquantur.

Loco horae matutinae, quae vocatur, ponatur « officium lectionum », sicut commissio praeparatoria optime proposuerat, lectio scilicet divina, non taxative quoad quantitatem determinatam, quam sacerdotes per certam horae partem, sive legendo sive meditando, absolvant. Hae vero lectiones ita eligantur ut animas eorum vere nutriant.

Hae lectiones statuantur vel circumscribantur sive ab Apostolica Sede pro universa Ecclesia, sive a coetibus episcoporum pro eorum quo-

que ambitu. Quod quidem per elenchos librorum spiritualium fieri poterit, qui elenchi suo tempore recognoscendi et augendi essent.

Hoc modo vera reformatio sive renovatio, non mera imminutio vel mutatio Officii divini haberetur.

Sed unum deest. Libertas saltem relinquatur Officii divini recitandi in lingua vernacula, vel melius dicamus, in lingua materna, qua meliores sensus animi nostri spontanee exprimuntur. Ideo ego proposueram novum textum art. 16, scilicet, libri recognoscantur « ea quidem ratione ut una cum textu latino versionem vernaculam contineant ». Semel pro semper cogitemus orationem nos non debere parvipendere ad exercitium scholare *ut* [9] lingua latina exerceamur.

Tunc oratio sacerdotum in itineribus, domi, in domo Dei, id est ubique, iterum oratio Plebis sanctae facillime fieret, sicut erat in principio, sed, proh dolor!, non semper.

Venerabiles Patres, quaedam sunt principia quae attente, immo et diuturne consideranda essent. « Festina lente », iam auditum est in hac aula. Nunc vero videmur festinanter festinare. Exempli gratia, cum de unctione infirmorum agebatur, non sine *quadam* [10] levitate, sine recursu ad actualem reflexionem theologicam, loquebatur de sanatione quasi clinica tamquam de effectu Sacramenti.

Venerabiles Patres, recentissime Summus Pontifex dixit Concilium convocatum esse non ad curam musei cuiusdam. Firmiter teneamus traditionem Patrum nostrorum, non vero quascumque traditiones ad quas discernendas iudices constituti sumus *a Christo, Domino nostro.*

Praeterea, non agitur de comparandis sacerdotibus bonis cum tepidis, vel malis, sed de altioribus principiis; sicut nuperrime recoluit card. Bea, ne ad minuta etiam descendamus. [11] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] audivimus. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] quaedam aperte. [6] eis. [7] deest. [8] sunt. [9] quo in. [10] deest. [11] deest.

15

Exc.mus P. D. IOANNES IULIANUS WEBER
Archiepiscopus-episcopus Argentinensis

Em.mi Patres et venerabiles Fratres,

Alloquor vos ut episcopus qui, ut vos omnes, curam habet de sanctitate et successu apostolico sui cleri, qui saepe exercitia spiritualia sacerdotibus praedicavit, et qui per viginti quinque annos seminario

maiori praefuit. Alloquor cum consensu magnae partis episcoporum Galliae.

Omnes scimus et experti sumus, sine oratione, quae gratiam Dei impetrat, sacerdotem non posse suis obligationibus fidelem esse, Dei scilicet servitio et animarum. Quapropter Ius Canonicum (can. 125) clericis praecipit quaedam exercitia spiritualia, praesertim orationem mentalem, vitae interiori aeque ac apostolatui necessaria. Sed his omnibus dignitate praestat Officium divinum. Etenim oratio est in nomine Ecclesiae Deo oblata, pro Ecclesia, et etiam pro Dei gloria...[1] Immensum pro clero commodum affert. Gratias et lumen sacrificii Eucharistici portat per omnes horas diei, sicut suis radiis sol totum illustrat orbem. Fidem et pietatem, aeque ac zelum apostolicum fovet, per psalmos, hymnos, lectiones et orationes. Fideliter persolutum, minimum orationis in vita quotidiana sacerdotum firmat.

Atqui dolendum est, pro diversis motivis, etiam aliquando minimis, quosdam presbyteros Officium divinum totaliter seu per partes omittere. Alii, ex defectu temporis aut intelligentiae textus, illud valde velociter aut quasi mechanice persolvunt, quod verae pietati obstat. His factis medelam invenire debemus, et ex hac parte etiam reformatio librorum divini Officii necessaria est, et quidem profundior ac illis quae nostris temporibus, non sine magna utilitate et opportunitate, adortae sunt. Nam forma hodierna Officii, non perfecta, pro certis sacerdotibus offendiculum est.

Quin singula enarrem quae in praesenti schemate *enumerantur aut iam per oratores enumerata sunt,*[2] sequentes propositiones afferam:

1. Rememoret enixe Sacrum Concilium...[3] omnibus clericis gravem et sanctam obligationem Officium fideliter, digne, attente, ac devote Deo offerendi...,[4] posthabitis, evidenter, regulis theologiae moralis quoad dispensationes a lege positiva in casu impossibilitatis aut magnae nimis difficultatis...[5]

2. Haec appellatio auditum et successum tantummodo obtinebit, si libri divini Officii recognoscuntur, ita ut Officium fiat brevius (ad formam forsan hebdomadae paschalis), fiat pro pietate fructuosius, historiae conformius, et magis adaptatum nostro labori apostolico.

3. Typis mandentur ubique editiones bilingues Breviarii Romani, textum latinum et textum in lingua usuali, rite recognitum, continentes, ita ut sacerdotes sese referre queant ad suam linguam in lectionibus difficilioribus; immo permissum eis sit, ex indulto sui episcopi aut ordinarii religiosi, in casu speciali, Officium privatim in sua lingua perficere...[6] Quaestio enim linguae secundaria est, necessitas orationis, *et orationis*[7] bene intellectae, primaria.

4. Tandem revisio Officii (tam pro textu quam pro forma adoptanda) quamprimum et definitive, et non per gradus — quod simul editoribus ac sacerdotibus valde inopportunum est — perficiatur, in fidelitate cum traditione simul ac cum *hodierna exigentia* [8] per commissionem *quae sub n. 16 praevidetur,* [9] ex expertis et pastoribus compositam, aut (forsan melius) per commissionem de qua locutus est em.mus card. Bea. Res valde urget. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] celebranda. [2] sub nn. 68-72 enumerantur. [3] in n. 73 *b* sub forma diserta. [4] secundum can. 135 I.C. [5] Art. 72 *b* sic enuntietur: « Clerici ... considerent ut gravem et sanctam obligationem Divinum Officium fideliter, digne, attente et devote quotidie persolvere ». [6] quod addendum est n. 77 sub littera *a*. Addatur art. 77 *a*: « ... nisi episcopus aut ordinarius religiosus alicui permiserit Officium privatim in lingua usuali persolvere ». Haec additio contradictionem quae sub littera *c* invenitur, tolleret. [7] deest. [8] hodiernis exigentiis. [9] sub n. 16 praevisam.

16

Exc.mus P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Em.mi Principes, Fratres carissimi,

Observationes meas breves de instauratione, de obligatione et lingua Officii divini sententiae vestrae humillime submittere audeo. Mecum essentialiter consentiunt fere omnes episcopi Iugoslaviae...[1]

3. Legendo art. 69, impressio habetur Officium divinum brevius fore quam hodie secundum mentem schematis. Secundum vero proposita quorundam clarissimorum oratorum in hoc Concilio, abbreviatio hodierni Officii divini adhuc maior evaderet. Rationes huius abbreviationis adductae sunt, et quidem vero cum fundamento in re, uti dicunt philosophi. Nam sacerdotes hodie in cura animarum positi revera ingentibus laboribus obruuntur; multi sacerdotes aegrotant, et non semel morte praematura corripiuntur ob nimium laborem *pastoralem* [2] vel ob extraordinarias passiones quas vita sacerdotalis, praesertim in nostris regionibus, secumfert. Isti labores *et sacrificia* [3] in dies crescunt.

Ex altera parte, verum est consecrationem vitae hominis his in terris et consecrationem diei horarumque eius, posse diversis formis et modis perfici. In vita contemplativa, consecratio ista fit praesertim per orationem; in vita vero activa, praesertim per actionem. Et quia nos sacerdotes dioecesani atque regulares, qui cura animarum occupantur, vitam

potius activam gerimus, vitas nostras praesertim per actionem pastoralem consecramus. Haec est gloria nostra et honor noster, Fratres carissimi, sed, proh dolor! etiam periculum nostrum. Propterea Summi Pontifices, a S. Pio X ad hodiernum Summum Pontificem gloriose regnantem, magis nos incitant ad orationem quam ad actionem. *Nos profecto* [4] omnes, qui imprimis sumus pastores sacerdotum nostrorum, ex experientia bene scimus illos sacerdotes esse magnos apostolos, quos cognoscimus etiam magnos homines esse orationis.

Propterea, pro modulo meo omnes has rationes considerans, ut Officium divinum adhuc magis abbrevietur consentire non possum,[5] quia hodie iam satis abbreviatum *esse videtur,*[6] nisi forte ut horae minores ad unum psalmum, unaquaque nempe hora, reducantur, ut possint tempore competenti recitari, sicut, e. g., hodie recitamus « Angelus Domini » interrumpendo nostras actiones, *si possibile hoc esse dico.*[7]

Si autem Concilium vellet abbreviare quoque Matutinum et Completorium, *nos, fere omnes episcopi Iugoslaviae, putamus hoc quoque esse possibile* (*i. e.,*[8] Matutinum ad tres psalmos cum illo psalmo introductorio et hymno, et Completorium ad unum psalmum *abbreviare*). *Sed* [9] talis abbreviatio — candide loquor — mihi periculosa esse videretur pro vita spirituali nostrorum sacerdotum, nisi saltem aliquam, ut ita dicam, compensationem faceremus. Talem compensationem, maxime opportunam, video in oratione mentali quotidiana, saltem per unum quadrantem vel per dimidiam horam protractam.

Et ideo propono ut in hoc articulo, ut in hoc schemate, etiam sermo instituatur de orationibus sic dictis privatis seu personalibus, praesertim de meditatione quotidiana.[10] Haud ignoro hodie quoque sacerdotes obligari Iure Canonico ad orationem mentalem quotidianam, sed haec obligatio mihi aliquatenus tenua esse videtur. Propterea velim ut haec obligatio, si possibile est, a Concilio in hoc ipso capite magis inculcetur, immo ut serio praescribatur, et quasi sub gravi — *si possibile est « quasi »* — *imponatur,*[11] ne videamur nos Patres Conciliares paululum quasi indulgere spiritui huius mundi, qui, ut docuerat iam Sanctus Pius X, haeresi actionis affectus est. Fateor quoque me timere ne multi boni sacerdotes admirentur videndo Concilium abbreviare, et quidem secundum meum modestum iudicium, nimis, orationes nostras sacerdotales quotidianas, si divinum Officium abbreviatum, oratione mentali vere praescripta non suppleamus.

Humillime quoque et enixe rogo Sacrum Concilium ut examen conscientiae omnibus Completorium ex officio orantibus praescribat, quia sine examine conscientiae non video quomodo possibile sit vitam spiritualem serio ducere. Sine vero vita spirituali interna, apostolatus no-

ster magnos forte successus externos habebit, sed paucos fructus supernaturales.

Item omnes sacri ritus, etiam si a Concilio summa cum laude instaurati fuerint, cito obsolebunt et in « inanes ritus » (uti dicitur in *Mediator Dei* a Pio XII) convertentur *cito*;[12] si isti ritus per meditationem quotidianam in cordibus nostris non perficiantur.

Ad art. 73. Quoad obligationem recitandi quotidie Officium divinum ex toto corde *assentimus*[13] art. 73 huius schematis. Nam lex et obligatio ex lege oriens vehementer adiuvat infirmatem nostram. Si relinquamus quasdam partes, et quidem notabiles, uti est Matutinum, horas minores, et Completorium, sine obligatione, profecto a pluribus nobis saepe istae partes omittentur et a multis fere semper; et ita ab hodierno nostro Officio divino revera tantummodo vestigia remanebunt, nempe Laudes et Vesperae.

Ex toto corde ad art. 77 assentio, articulum secundum quem omnes clerici totum Officium lingua latina orare *debent*.[14] Nam lingua latina est nostra lingua sacerdotalis et ecclesiastica. Sed sapientissimum duco propositum art. 77 sub littera *c*), quod dicit: « Quivis Officio Divino adstrictus, si Officium Divinum una cum fidelibus laicis, vel cum eis qui sub *a*) et *b*) nominantur, lingua vernacula celebrat, suae obligationi satisfacit, dummodo textus versionis sit legitime approbatus ».

Quia in mea dioecesi et quibusdam aliis in Iugoslavia dioecesibus, diebus dominicis et festis fideles una cum sacerdote in ecclesiis, ab antiquissimis temporibus Vesperas, et in maioribus festis etiam Matutinum et Laudes, in lingua vernacula celebrant. Nunc autem sacerdotes in diebus pluribus debent duas Missas dicere ante meridiem, et duas Vesperas (aut etiam duo Matutina et Laudes) in duabus paroeciis, in lingua vernacula, et dein easdem orationes in lingua latina; quod nimis esse videtur.

Ideo vehementer commendo hoc propositum schematis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Observationes meas in cap. IV vestrae attentioni humiliter propono. 1. In Prooemio ex mea sententia maior praecisio theologica desideratur, ut possibilitates quorundam errorum evitentur. Imprimis videtur quod prae oculis non bene tenetur conceptus Ecclesiae adaequatus, i. e. quod Ecclesia constat Capite et membris inseparabiliter unitis cum Capite. Cum ergo dicitur linn. 7-8 « Ecclesia autem, sacerdotio mirabili in suo capite insignita et divinam ipsius missionem in terris pergens... » mihi videtur plus aequo dividi Ecclesia a Christo, quasi Ecclesia possit concipi sine Christo, et quasi posset pergere divinam missionem Christi in terris sine Christo. Item mihi videtur verba S. Scripturae linn. 8-9 citata minime referri ab auctore epistolae ad Hebraeos ad totam Ecclesiam, sicut in citato textu referuntur, sed ad solos Pontifices Ecclesiae.

Ulterius, si ad Corpus Christi Mysticum pertinet et caput et membra quae inseparabiliter capiti uniuntur, clarius explicandum est, mihi videtur, quomodo Ecclesia sit constituta, ut Deum sine intermissione laudaret et pro singulis interpellaret, sicut linn. 9-10 dicitur. Propono ergo, maxima cum reverentia erga textum nobis propositum in prooemio, ut propositioni quae in lin. 7 incipit « Ecclesia autem » et in lin. 10 terminat « pro singulis interpellet » substituatur sequens: « Christus autem divinam missionem suam laudandi Deum et interpellandi pro omnibus hominibus, maxime autem fidelibus, in terris continuat per mystica sua membra, i. e. per sacerdotium hierarchicum et commune omnium fidelium ». 2. In eodem proemio minus clara mihi videntur verba in linn. 15 et 18, scil. ubi dicitur « gravitas obligationis » et « summus honor » recitandi Divinum Officium sequi eo « *quia* unusquisque orando ante tronum Dei stat nomine Ecclesiae ». Sed obligatio gravis recitandi divinum officium in Ecclesia occidentali sequi videtur unice ex eo quia talem obligationem hierarchia imponit sacerdotibus Ecclesiae occidentalis, non vero sacerdotibus Ecclesiae orientalis. Proinde emendatio facienda est in sensu indicato. [2] deest. [3] pastorales. [4] Ego quoque, sicut profecto nos. [5] Propterea non obstantibus rationibus contrariis, quae suum pondus habent, consentire non possum, pro modulo meo omnia considerans, ut Officium Divinum adhuc magis abbrevietur. [6] est. [7] deest. [8] reducendo e. g. [9] tunc. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] assentio. [14] debeant. In hac thesi mecum consentiunt fere omnes episcopi Iugoslaviae.

[*Reliqua, quae sequuntur in textu orali, in textu scripto tradito desunt*].

17

Exc.mus P. D. IACOBUS CORBOY
Episcopus Monzenensis

Patres venerabiles,

Cum constitutio *de sacra Liturgia* rectissime providere intendat ut qui « in Officio divino orando nomine Matris Ecclesiae ante thronum Dei stant... facilius et perfectius » hoc nobilissimum munus peragere queant, maiori simplicitati ac perspicacitati divini Officii, praeter ea quae iam in hoc schemate continentur, ex aliis quoque capitibus magis adhuc consulendum esse censeo.

Iamvero divinum Officium, quod in praesenti sua forma numerosis ac saepe numero variandis rubricis pollet, ad multo maiorem simplicitatem opportune reduceretur, si universaliter introducerentur illae formae quae hodie iam in Officiis Paschalibus vigent, hoc est, si Matutinum semper unum nocturnum haberet et multiplices antiphonae, absolutiones, et benedictiones omitterentur, nisi forsan agatur de Officio in choro celebrando.

Ad n. 69. Omittendos esse, censeo, illos psalmos qui nonnisi a peritis et exegetis cum quadam facilitate recte intelligi possunt.

Ad n. 70. Hymni quoque, qui vix non semper difficiles intellectu sunt, aut penitus omittantur, aut non nisi rarissime recitentur...[1]

Ad n. 71. Reducatur etiam numerus lectionum ex libris Veteris Testamenti desumptarum, et in specie, illarum quae modo valde diffuso de rebus historicis agunt; in quarum locum substituantur frequentiores lectiones ex libris Novi Testamenti hauriendae. Qua in materia simplicitati ac unitati divini Officii non parum consuleretur, si lectura alicuius libri sacri integra quadam periodo temporis protraheretur, et non, sicuti nunc fit, ob festa supervenientia non solum iterum iterumque interrumperetur, sed etiam misere detruncaretur.

Etiam textus patristici notabiliter reducantur, cum haud facile sit textus breves, qui revera ad Officium faciunt, ita ex eorumdem concreto contextu excerpere, ut expositiones Patrum authenticae, non arbitrarie vel immo violenter, manipulentur.

Ad n. 72. Approbo ea quae dicuntur de orationibus matutinalibus et vespertinalibus et de precibus cotidie pro necessitate mundi et Ecclesiae recitandis. At, cum per introductionem harum orationum et precum, divinum Officium, iam in praesenti sua forma sat longum, notabiliter extendatur, providendum esse censeo ut aliae quaedam partes divini Officii abbrevientur. Placet etiam propositum recitandae orationis Dominicae in fine horarum minorum; e contra, haud placet quod confessio fidei seu « Credo » penitus ex Officio divino omittatur.

Ad n. 73. Ambigua ideoque stylistice emendanda videtur esse formula, secundum quam: « omnes clerici ... tenentur ad recitationem *totius* Officii, etiam a solo factam, *si totum aut partem* in choro non absolvunt ».

Ad n. 76. Ea porro quae de tempore recitandi Officium divinum dicuntur, in se recta quidem sunt. Cum autem hodie multi sacerdotes ita laboribus apostolicis obruti sint, ut haec tempora observare revera non possint, censeo formulam in schemate adhibitam ita modificandam esse ut apprime omnibus perspectum sit hic agi unice et exclusive de simplici quadam commendatione, ac nequaquam insinuari recitationem Officii aliis quam veris horis factam in se quodammodo minus perfectam vel minus fructiferam esse.

Et tandem ad n. 77. Quod tandem ad Officium Defunctorum attinet, proponere velim, ut illud captui fidelium melius adaptetur ac in lingua vernacula ab omnibus praesentibus recitetur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] aut saltem ad formam latinam utut simplicem reducantur.

Praeses card. FRINGS:

Venerabiles Patres, habeo aliquid dicere. His diebus, arch. Carinci complevit centesimum vitae annum [*plausus in aula*]; hodie volumus ei gratulationem mittere communem nomine omnium Patrum conciliarium. Qui huic propositioni favet, rogatur ut sese levet. [*Omnes surgunt*].

18

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS F. REH
Episcopus Carolopolitanus

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Quamquam rationes de obligatione Officii restringenda necnon de eo lingua vulgari persolvendo iam expositae sint, aliqua difficultas saltem pro meipso adhuc remanet de forma hodierna Breviarii.

Argumentum propono ergo, argumentum ni fallor nondum propositum,[1] de Breviarii forma ad usum clericorum melius accommodanda, qui de facto horas canonicas fere semper a solo recitare cogantur. In schemate proposito huiusmodi forma non tantum non admittitur, sed positive reiicitur, uti vidimus in nota 5, calce pag. 188 inventa.

In nomine tantum proprio de facto loquens, audeo tamen cogitare me etiam in nomine aliorum hoc argumentum proponere quia, uti legimus in nota ipsa 5, plures favebant cuidam Breviarii formae ad recitationem a solo accommodatae.

Argumentum contrarium in eadem nota expositum, nempe quod — *en ipsa verba notae*[2] — « Ecclesia numquam admisit formam Breviarii, quae recitationem communitariam excludat », mihi non magni, immo parvi momenti videtur. Nonne possemus etiam obiicere Ecclesiam numquam admisisse alias aptationes quae nunc hic alibique in hoc ipso schemate nobis propositae sint?

Iudicio Patrum propono formam choralem vel communitariam recitationis horarum canonicarum non esse proprie de earum natura seu essentia, *non esse de natura seu essentia orationis publicae,*[3] quae potius in recitatione a persona ab Ecclesia deputata consistat. Omnino conceditur Ecclesiam orantem melius repraesentari recitatione communitaria, pulchrius immo *splendescere*[4] cantu chorali. Repraesentatio Ecclesiae melior, autem, minime excludit repraesentationem veram et efficacem recitationis a solo factae, veram et efficacem quidem absque necessitate cuiusdam chori vel communitatis omnino absentis, sed hodierna Breviarii forma fictae.

Factum iam a saeculis historicum, certe hodiernum est quod perplures sacerdotes labori pastorali addicti Breviarium fere semper a solo recitare ex circumstantiis coguntur. Quot in mundo sunt sacerdotes, parochi, qui salvis diebus exercitiorum spiritualium annualium, in paroeciis soli degunt! Cui eorum bono est, *cui eorum bono est* [5] manibus habere Breviarium semper apertum fratribus sacerdotibus ad recitationem communitariam, quod revera per fere totum annum a solo necessarie recitant?

E contra, recitatio a solo fere quotidiana Breviarii cuius indoles magna ex parte choralis sit quamdam fictionem minime optatam tot sacerdotibus sine ratione proportionata imponere videtur. *Velint Patres permittere ut quamdam scenam non omnino insuetam depingam.*[6] Sacerdos, *horas canonicas, secundum formam Breviarii hodiernam persolvens,*[7] coram Sanctissimo genibus flexis in nomine Ecclesiae pie orans, invitatorium, *psalmos, sed non tantum psalmos, sed psalmos cum antiphonis,*[8] versus cum responsoriis, responsoria brevia versusque recitans, sese *absolvit, aliquomodo sibimetipsique respondet,*[9] seipsumque immo benedicens, miras saltationes ab uno ad alterum chorum perficit, loco hebdomadarii non neglecto..., opus sat difficile parocho labore pastorali iam fatigato.

Ideoque, progressus Liturgiae legitimus postulat ut Ecclesia formam Breviarii a solo recitanti magis accommodatam admittat.

Humiliter ergo propono, in nomine perplurium sacerdotum, ut cap. 73, pag. 187, sub littera *b*), lin. 19, post verbum « persolvere » adiungatur altera periodus sequentibus vel similibus verbis concinnata: En verba: « Norma ex natura communitaria quae cap. 26 huius constitutionis statuatur, haud relicta, eisdem clericis a solo recitantibus conceditur facultas horas canonicas recitandi secundum Breviarii formam ad eorum usum magis accommodandam ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Argumentum humiliter propono. [2] deest. [3] deest. [4] splendere. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] antiphonas et psalmos. [9] absolvens.

19

Exc.mus P. D. ANTONIUS M. AGUIRRE
Episcopus S. Isidori in Argentina

Hanc praesentem propositionem etiam subsignant plures episcopi Argentini, Uraquarienses et Paraquarienses.

Adhaeremus ex toto corde propositionibus magna cum auctoritate expositis ab em.mis cardd. Frings *et* Léger *et aliis Patribus qui in eodem sensu locuti sunt. Non legam, sed tradam scripta secretariae generali.*

Sed audeo manifestare difficultates circa Breviarium manere, si remanet ipsa actualis structura Officii. In reformando Officio divino, attendenda quidem est traditio, sed non obliviscenda est caritas erga sacerdotes, qui generatim non minus, sed melius volunt orare.[1]

An possumus ergo *impassibiles videre*[2] Patres Concilii, vel quasi *insensibiles*[3] manere contra spem plurium sacerdotum, non certe tepidorum, sed etiam zelo animarum maxime permotorum, ac generose operi nostro apostolico collaborantium? ...[4]

Proponimus ergo quod fiat novum Officium, distinctum ab illo monachali, pro clericis vita activa degentibus, quod servet compositionem, sed non completam structuram actualem horarum canonicarum.

Hoc Officium non deberet constare nisi *oratione matutina* pro initio diei, *oratione vespertina* pro termino diei, et etiam *lectione divina* cum aliquo tempore meditationi destinato pro quovis diei momento.

Hoc quidem non significat Officium cleri non debere formam habere choralem: insuper, valde fovenda est recitatio communis Officii ubi plures sacerdotes inveniantur; sed structura choralis non debet confundi cum structura monastica, quae certo *venerabilissima*[5] est, sed nunc inadaptata clericis activis.

Et *tandem*[6] quia reformatio haec non ante 3 vel 4 annos edenda erit, proponimus etiam hanc Sacrosanctam Synodum facultatem concedere episcopis dispensandi, pro suo iudicio, sacerdotibus vitae paroeciali adstrictis, obligationem horas minores et pro dominicis et festis etiam matutinum recitandi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] In hoc capite loquitur de necessitate Officii Divini adaptandi « fragilitati humanae ac difficillimis temporum adiunctis » necnon « hodiernae vitae necessitatibus cleri ». Hoc quidem laudabile consideramus, quia verum est respondetque etiam desideriis multorum sacerdotum, de quorum difficultate in Officio Divino recitando, multi episcopi testes sumus. Sed nobis non videtur reformationem in hoc capite propositam sufficienter respondere huic nobilissimae

intentioni. *Difficultas semper remanebit, dum remaneat ipsa actualis structura Officii,* quae generatim nequit componi cum occupationibus clericorum vitae activae addictorum.

Recitatio Officii saecularis aptari debet hodierno rythmo vitae, quod valde distat ab illo rythmo vitae antiquorum temporum.

Oratio sacerdotis gravis obligatio est in Ecclesia et propter Ecclesiam, sc. populum Dei. Magna est sacerdotibus gloria instrumentum esse, quo mediante, filii Dei laudes Patri sui Caelesti canunt. Omnes ad recitationem Divini Officii subiecti plene gaudere deberent hac obligatione. An videtur vobis, venerabiles Patres, semper ac generaliter hoc accidat? Certissime: Non!... Et difficultas non provenit a sacerdotibus tantum. Magna pars in ipso Officio adest.

Urgens est reformationem facere ita *ut Officium non sit deinceps fastidiosum onus diei* — ut saepissime occurrit etiam pro bonis sacerdotibus — sed verum fons gaudii et pacis in decursu diei. Hoc est in exspectatione multorum sacerdotum et erit signum evidens intentionis Concilii « disciplinae ecclesiasticae adaptandi nostrae aetatis methodis atque necessitatibus », sine ullo quidem pietatis detrimento.

[2] insensibiles videri. [3] impassibiles. [4] Verum est reformationem structurae ad nihilum deservire si spiritus cum quo Officium recitari debet non reformatur. Sed verum etiam est hanc renovationem spiritus valde posse faveri cum illa reformatione structurae. Necesse est sacerdotes homines esse in primis orationi dicatos, sine nimia exigentia quae ipsam orationem quasi odiosam reddunt. In reformando Divino Officio, attendenda quidem est traditio, sed non obliviscenda est caritas erga sacerdotes qui, generatim, non minus sed melius volunt orare. [5] venerabilis. [6] deest.

[*Subsignati etiam*] Alberto Devoto, ep. Goyanensis; Carlos H. Ponce de León, ep. tit. Rodosto; Enrique Rau, Mar del Plata; Antonio Rossi, VT. de Dices; Anibal Maricevich, ob. coad. de Villarica; Manuel Tato, ep. S. Iacobi de Estero; Roberto Caceres, ob. de Melo; Manuel Marengo, ob. de Azul; Vicente Zazpe, ep. Rafaela.

Praeses: Exc.mus secretarius generalis leget telegramma ad exc.mum Carinci.

Secretarius generalis: « Sua Eccellenza, Mons. Alfonso Carinci, Palazzo San Callisto, Roma. Patres Sacri Concilii, in congregatione generali collecti, tibi centum annos hodie auspicato explenti, depromunt vota gratulationesque, atque Deum precantur ut te adhuc diu sospitem servet, gratiis et donis caelestibus cumulate ditet ».

[*Plausus*].

20

Exc.mus P. D. FRIDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Em.mi Praesides, venerabiles Patres ac Fratres carissimi,

Ad pag. 186, n. 69 et 71. De renovatione Officii divini quod attinet ad psalmos et lectiones recitanda.

Propositio: Proponitur ut in opere revisionis Officii divini multi psalmi et lectiones Veteris Testamenti substituantur psalmis, canticis et lectionibus ex novo Testamento desumptis. 1. Propositionis obiectum; 2. Rationes pro innovatione proposita.

1. *Propositionis obiectum.* Divinum Officium prout nunc recitatur, maxima ex parte constat e psalterio Davidico et lectionibus Antiqui Testamenti.

Quoad psalmos attinet, optatur ut saltem dimidia pars psalmorum substituatur canticis et psalmis Novi Testamenti, servatis canticis diversis et psalmis principalibus Veteris Testamenti.

Loco psalmorum supprimendorum, recitari valebunt tum hymni iam existentes, verbi gratia hymnus S. Thomae in festo Corporis Christi, etc., tum novi psalmi qui ad imitationem psalmorum Veteris Testamenti componendi erunt, in quibus Deo omnipotenti et Verbo Incarnato Iesu Christo laudes canantur, Ecclesiae gesta et historia memorentur, petitiones pro omnibus hominibus fiant, exempli gratia:

Die dominica cultus Sanctissimae Trinitati debitus refulgeat in psalmis et lectionibus; professio fidei symboli Athanasiani recitanda, etc.

Feria V doctrina cultus Sanctissimae Eucharistiae.

Die sabbati laudanda Beatissima Virgo Maria, memoranda eius mysteria, etc.

Ad lectiones Antiqui Testamenti quod attinet, magna ex parte erunt substituendae lectionibus Novi Testamenti, Evangeliorum scilicet, Epistolarum canonicarum et Apocalypsis. Praeterea oportet ut orationes saepe dirigantur ad Deum ut Patrem nostrum, iuxta praeceptum Domini Nostri Iesu Christi, « Pater noster, qui es in caelis... ».

2. *Rationes pro innovatione proposita.*

Prima. Antiquum Testamentum ordinatur ad Novum, ad Dominum Iesum Christum, humanae gentis salvatorem.

Secunda. In recitatione psalmorum et lectionum prout nunc Officium recitatur, laudes tribuuntur Deo praesertim ut creatori et benefactori, quod vere dignum est. Item commemorantur beneficia a Deo facta po-

pulo suo electo Israël, atque huius populi historia narratur. Hoc etiam bonum est.

Sed nonne debentur laudes longe maiores Deo ut humani generis redemptori? Numquid non Deo Patri omnipotenti maxima gloria tribuitur per Iesum Christum eius unigenitum Filium? An non ipsi Verbo Incarnato necesse est directe gratias agere, cultum exhibere, supplicationes praesentare?

Tertia ratio. Sacerdotes per recitationem canticorum, psalmorum et lectionum Novi Testamenti, quotidie excitabuntur ad maiorem sanctitatem, ad maiorem cognitionem, dilectionem, imitationem Domini Nostri Iesu Christi, quod etiam in bonum populi fidelis redundabit.

Praedicta, si attente perpendantur et meditentur, renovationem propositam in divino Officio recitando postulare videntur, ad maiorem gloriam divinam, sacerdotum et populi christiani bonum consequendum.

Quoad tempus in Officii divini recitatione impendendum, haec est mea humilis sententia: tempus nec longius nec brevius fiat quam nunc est.

Ad pag. 188, n. 77: Lingua adhibenda in recitatione Officii divini.

« *a*) In Officio divino lingua latina clericis servanda est ». Absque ulla haesitatione huic praecepto adhaereo propter multiplices ac validas rationes exsistentes et iam nunc hic a Patribus dictas. Propositio enim mea ad paragraphum 2 refertur.

Paragraphus 2: « *b*) Monialibus, necnon sodalibus, sive viris non clericis sive mulieribus, Institutorum statuum perfectionis, in Officio divino, tam in choro aut in communi quam a solo celebrando, a proprio Ordinario, annuente Sancta Sede, concedi potest ut lingua vulgari utantur ».

Proponitur mutatio sic facienda: « Sancta Synodus benigne concedit ut Moniales, sodales, sive viri non clerici sive mulieres, cuiusvis Congregationis et Instituti statuum perfectionis, in Officio divino recitando vulgari lingua utantur; dummodo vernaculae divini Officii versiones ab episcopis fuerint Sanctae Sedi propositae et ab ea approbatae, iuxta n. 24 ».

Rationes mutationis.

Prima. In oratione vocali mens orantis convenit sequatur, saltem aliquo modo, ideas quas verba exprimunt. Hoc principium uno vel alio modo a Sanctis Patribus et auctoribus asceticae christianae docetur.

Secunda. Divinas inspirationes mentis et voluntatis motiones spirituales saepe saepius per intelligentiam verborum aut sententiarum quae ore proferuntur, Spiritus Sanctus animis orantibus communicat.

Tertia. Linguae vernaculae usus in recitatione Officii divini multum

iuvabit ad internam mentis attentionem, devotionem, gustum. Item, tempus in recitando divino Officio impensum brevius et suavius sentietur.

Quarta. Pius XII, Encyclica *Mediator Dei* (*A.A.S.* 39, 1947, 574), divini Officii recitationem commendans, ait: « Excelsae dignitati eiusmodi Ecclesiae precationis intenta animi nostri pietas respondeat oportet. Ac quandoquidem orantis vox ea repetit carmina, quae Spiritus Sancti afflatu conscripta sunt, quaeque perfectissimam Dei amplitudinem declarant atque efferunt, necesse quoque est ut hanc vocem internus nostri spiritus motus ita comitetur, ut eosdem sensus illos efficiamus nostros, quibus ad caelum erigamur, quibus Sanctam adoremus Trinitatem, et quibus laudes et grates eidem tribuamus debitas, iuxta illum S. Benedicti (*Regula Monachorum,* c. 19): " Sic stemus ad psallendum ut mens nostra concordet voci nostrae ". Non igitur de recitatione tantum agitur, vel de cantu, qui, quamvis ex musicae artis sacrorumque rituum normis sit perfectissimus, aures tamen solummodo attingat, sed potissimum de ascensu mentis animique nostri ad Deum, ut eidem nosmetipsos, omnesque actiones nostras, Iesu Christo coniuncti, penitus addicamus ».

Quinta...[1]

Praeses: Satis! Fiat repositio Sancti Evangelii.

In textu scripto tradito: [1] Quinta. Officium divinum est locutio ad Deum; laus Dei; gratiarum actio; petitio decentium a Deo; supplicatio, etc. Iamvero, quisnam est homo, qui alium hominem laudet, gratias agat, petitiones manifestet, locutionibus quas ipse non intelligit? Unde recitatio Officii divini lingua ignota aliquid quasi antinaturale esse videtur. Nam, laudo Deum meum, et laudes quas ipsi tribuo ignoro. Petitiones expono et nescio quid peto. Gratias ago pro beneficiis quae non cognosco. Conclusio. Praedictae rationes exigere videntur ut Hierarchia Ecclesiae omnibus sive viris sive mulieribus, qui linguam latinam ignorent, concedat usum linguae vernaculae in Officii divini recitatione, prout supra est enuntiatum.

Secretarius generalis: Proxima congregatio generalis erit crastina, die sabbato, hora nona.

CONGREGATIO GENERALIS XVI

10 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XVI
10 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Praeest hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus.

Loqui petierunt circa cap. IV constitutionis *de sacra Liturgia* exc.mi Domini: Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania; Fidelis Garcia, ep. tit. Sululitanus in Hispania; Caesar Vielmo, vic. ap. Aysenensis in Chile; rev.mus Dominus Ioannes Prou, abbas Solesmensis, sup. generalis Congregationis Gallicae O.S.B.; exc.mi Domini: Ioseph Reuss, ep. tit. Sinopenus in Germania; Renatus Ioseph Piérard, ep. Catalaunensis in Gallia; Raphael Garcia de Castro, arch. Granatensis in Hispania; Michaël Gonzi, arch. Melitensis in Malta; Stephanus Leven, ep. aux. S. Antonii in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia; Ioseph Marling, ep. Civitatis Jeffersoniensis in Statibus Unitis Americae Septemtrionalis; Aemilius Guano, ep. Liburnensis in Italia; Anicetus Fernandez, sup. generalis O.P.; Aloisius Carli, ep. Signinus in Italia; Bernardus Yago, arch. Abidjanensis in Africa Occidentali; Ioseph Souto, ep. Palentinus in Hispania; Guillelmus Van Hees, sup. generalis Ordinis Sanctae Crucis; Emmanuel Larraín, ep. Talcensis in Chile; Victorius M. Costantini, ep. Suessanus in Italia; Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia; Michaël Doumith, ep. Sarbensis Maronitarum; Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis in Sinis; Ioannes Emmanuel González Arbeláez, arch. tit. Oxyrynchitanus; Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia; Ianuarius Prata, ep. aux. Pacensis in Bolivia; Leo Olano, ep. tit. Laginensis; Marianus Oscoz, sup. generalis Camaldulensium; Ioseph Kiwanuka, arch. Rubagaënsis in Uganda; Aemilius De Smedt, ep. Brugensis in Belgio; Emmanuel Llopis, ep. Cauriensis in Hispania; Iulianus Adrover, sup. generalis Clericorum Regularium.

Praeses card. RUFFINI:

Clarissimos Observatores alloqui non solemus, qui in nostro Concilio observatores tantum sunt, sed plurimam salutem eis tota cogitatione cotidie dicere intendimus.

Praeceptum de plausu in disceptationibus conciliaribus penitus vitando plures exc.mi Patres, maxime qui partem extremam huius sacrae aulae occupant, fortasse non audierunt. Proinde, elatiore et clariore voce nunc repeto: Omnes abstineant, perdurantibus disceptationibus, vel disceptationibus absolutis, a plausu manifestando. Rationes quibus id praeceptum innititur multae sunt. Una sufficiat: si plausus permitterentur, permittendae quoque essent explosiones eorum qui dictis non assentiuntur. Quod quidem deplorandas factiones crearet. Insuper obsecro, ut in disceptationibus ipsis, omnibus Patribus, nemini excepto, summa pariter reverentia exhibeatur. Atque diligenter cavendum est, ne obtrectetur quocumque modo iis qui in Sacra Curia Romana variis officiis funguntur. Ipsi enim nihil umquam decernunt suo iudicio vel sua voluntate, sed semper admirabili fidelitate mandatis Summi Pontificis obsequentes in cunctis negotiis quae gerunt ab em.mis et exc.mis Dominis Vicarii Iesu Christi adiutoribus quasi manu ducuntur.

Nunc incipimus disceptationes. Plus quam 50 petierunt facultatem loquendi. Hodie contenti erimus si loquentur saltem 30.

1

Exc.mus P. D. IACOBUS FLORES MARTIN
Episcopus Barbastrensis

Em.mi Principes, venerabiles Fratres,

Postquam verba plurium em.morum cardd. audivimus, speciatim venerabilis card. Wyszyński, iam fere nihil mihi restat dicendum, nisi insistere in necessitate Officii divini. Vellem ut adderetur [1] post lin. 21, pag. 185, haec: « Summi haec precatio habenda est ». Nihil enim praestantius divina laude, nihil magis Deo gloriosum, nihil magis necessarium et utile in vita pastorali, praeter celebrationem Eucharistiae, quae omnibus liturgicis precibus antecellit. Nihil enim in re pastorali, sicut et in aliis *rebus spiritualibus,*[2] sine Iesu facere possumus. *Ipse enim dixit*: *Oportet semper orare et numquam deficere.*[3] Oratio est labor pastoralis. Ideo Apostoli aiebant: « Non est *aequum* [4] nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis; nos vero orationi et verbo Dei instantes erimus ». *Et quidem labor pastoralis universalis et socialis requirit socialem Ecclesiae orationem. Et sacrum Officium divinum quoddam incomparabilis pulchritudinis poema efficit, ut ait Romanus Pontifex, cuius ope dignas celebrat Dei laudes hominum familia a Christo Iesu redempta. Est catholicum Ecclesiae afflatum.*[5]

Dolendum sane esset et lacrimis lugendum si nos episcopi, aut sacerdotes nostri, in minore existimatione et valore orationem haberemus et nostram « totam vitam » — *sunt etiam verba Romani Pontificis* [6] — « crebra precatione tamquam suavi rore perfundere non curaremus », ut in sua humanissima littera *pastorali.*[7]

Exercitum constituimus *260.000 sacerdotum, 130.000* [8] religiosorum, milia millium et biscentum mille sororum, *cuiusvis gentis, cuiusvis ritus, cuiusvis linguae,*[9] qui omnes preces officiales Ecclesiae in unione cum Christo *pro omnibus populis* [10] ad Deum admovemus. Si precatio nostra tamquam clamor sanguinis Iesu, melius clamantis quam Abel, ad cor Dei pertingeret, *quanta mala vitaremus!* [11]

S. Ioannes a Cruce monet nos: maius bonum pro Ecclesia et animabus facturos oratione quam actione; et ipse Summus Pontifex noster edixit die 27 mensis februarii plus tribuendum esse actioni interiori quam exteriori, est enim inefficax omne opus quod non procedit ex gratia Dei, quae per orationem obtinetur. Quando Petrus servabatur in carcere, oratio fiebat *sine intermissione* [12] ab Ecclesia ad Deum pro eo et liberatus est ...[13] *Quot in plagis mundi hodie Petrus et Ecclesia in carcere est et in tormentis! Ergo* [14] Officium divinum digne, attente ac devote recitatum tamquam verus, necessarius et obligatorius labor apostolicus habendus est ...[15]

Attamen multum laborandum est, et fatigari debemus ex itinere, oves quaerentes perditas, et ...[16] super humeros nostros portare debemus. *Sed* [17] sine oratione et sine unione cum Christo labor noster est inanis ...: [18] per totam noctem laborantes nihil cepimus ...[19]

Ad n. 68, pag. 185, *credo addendum:* [20] Cum vero laus Dei et interpellatio pro totius mundi necessitatibus, finis primarius Officii divini, in hoc tendat secundo loco, ut simul sanctificatio diei naturalis sit, cursus horarum ita instauretur, ut « Horis » veritas reddatur.

Attamen cum adamussim in vita pastorali difficile servetur ordo, maneat obligatio suprema dicendi per diem totum Officium.

Hora Matutina indolem nocturnae laudis retineat, horae Laudum precationis matutinae, horae minores sanctificationis laboris per diem; Vesperae sint vespertina oratio, et Completorium ultima diei precatio.

Ita vero ordinentur, ut Matutinum sit unius nocturni cum tribus psalmis, sed cum abundantiore lectione S. Scripturarum, Sanctorum Patrum et de homilia vel de vitis Sanctorum et Martyrum memoriis. Haec omnia seligantur et recognoscantur ita ut vere sint nutrimentum animae sacerdotalis, *sicut ceteroquin iam est in multis Officiis.*[21] In Laudibus addantur preces matutinales, quae ex Prima desumi poterunt, *et sic Primam supprimere possemus.*[22]

Omnino retinendum n. 73 *b*), ut clerici omnes in maioribus constituti totum Officium recitare teneantur singulis diebus. Timeo ne horae quadrantem vel dimidiam horam ab oratione velimus auferre, dum per horas tempus perditur ...[23] in televisione, in ludis, in conversationibus vanis et inutilibus. Si finis Concilii est, ut saepissime edixit Summus Pontifex, Ecclesiae renovatio *et eius spiritualis splendor*,[24] timeo ne Officium *nimis minuendo*[25] non renovationem sed Ecclesiae *sacerdotum tepiditatem foveamus*.[26] Certe excusationem admittere debemus pro diebus magni laboris pastoralis, sed retinenda ex se obligatio totius Officii. *Theologia moralis excusationes perpendit et explicat.*[27]

In fine autem adderem, n. 78:[28] Cum Officium divinum sit proprie Ecclesia orans, maximum opus quo Ecclesia Christi sponsa Deum laudat, et ex hac unione cum Ecclesia et cum Christo haec precatio exaudiatur pro sua reverentia, cum sit Ecclesiae officialis oratio et clamor in favorem totius mundi necessitatum, magna ...[29] omnium nostrum responsabilitas in hoc opere perficiendo; cum ab hac oratione tanta bona pendeant, tot mala vitari debeant, Sacrosanctum Concilium omnes in Ecclesia orantes monet et obsecrat ut tam digne, attente, ac devote Officium recitare curent, sive interna sive externa devotione, quantum divina maiestas requirit et Ecclesiae et animarum necessitas exigit ...[30]

Ut autem hoc opus melius et perfectius fiat, servetur Instructio Sacrae Congregationis de Seminariis, die 2 februarii a. 1945, qua statuitur ut Sacri Ephebaei alumni apte instruantur et de spiritu et sensu Breviarii, de eius structura, de horarum et de hymnorum stylo et significatione, de psalmorum excellentia et pia meditatione, de adminiculis quibus asceticus usus et mysticus Breviarii iuvari potest ...[31] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] addendum videtur. [2] deest. [3] Ideo ipse Iesus ait: Sine intermissione orate; oportet semper orare et nunquam deficere, quia « qui manet in me et ego in eo hic fert fructum multum ». [4] bonum. [5] deest. [6] deest. [7] paschali nos adhortatur Beatissimus Pontifex. [8] 267.000 sacerdotum, 131.000. [9] deest. [10] et nomine Ecclesiae et populorum. [11] hoc fieret iuxta dictum Beati Ioannis ab Avila ut nostra precatione, melius quam precatione Moysis et Eliae bella cessarent, finem haberent peccata et scandala, mala omnia privata et publica, ut animae converterentur et populi. S. Maria Vianney orabat et lacrimas fundebat et populus Ars ad dominum conversus est. [12] deest. [13] ab angelo. [14] deest. [15] Ne cadamus in haeresim actionis. [16] super humeros nostros ad Boni Pastoris ovile reducendas et. [17] et forte insomnes noctes transigentes, attamen. [18] quia sine eo nihil potestis facere: et quando non est Iesus, confiteri debemus: [19] quia in oratione deficimus. [20] dicatur. [21] deest. [22] oratione e. g. Domine Deus omnipotens qui ad principium huius diei nos pervenire fecisti etc. [23] utinam nunquam animae. [24] deest. [25] auferendo. [26] ruinam producamus. [27] deest. [28] Pro n. 78, pag. 188,

adderem aliqua: [29] proinde. [30] Immo declarat hanc gravissimam moralem obligationem non impleri si hoc Dei Opus, scienter ac volenter, negligenter faciant. [31] Necesse est, venerabiles Patres, ut Ecclesiam Dei omnino in Christo aedificemus et renovemus, spiritu et vita Christi.

2

EXC.MUS P. D. FIDELIS GARCIA MARTINEZ
Episcopus tit. Sululitanus

Venerabiles Patres conciliares,

Ad cap. 4 schematis constitutionis *de sacra Liturgia,* pag. 186, n. 71, sub litt. *a*), sequentem eiusdem textus redactionem *seu emendationem* [1] Sacrosancto Concilio reverenter propono: « Lectiones Sacrae Scripturae, tam in Officio Divino, quam in Missa, praecipue, immo quam maxime, ex Novo Testamento sumantur ».

Ratio. Audivimus heri ab uno ex em.mis Patribus maximam partem nostri Officii Divini ex Vetere Testamento desumptam esse. Iam vero libri Veteris Testamenti, tum historici, tum ipsi prophetici, immo etiam aliqui Psalmi, prout in penultima *congregatione generali* alter em.mus Pater opportune notare fecit, sive aliquoties ob eorum veri sensus difficilem intelligentiam, sive generatim « ob veteris oeconomiae indolem incompletam, praesertim ad mores quod spectat », ut recte animadvertitur in cap. III schematis dogmatici de fontibus revelationis, pag. 16, linn. 10-12, ad populi nostri christiani, immo ipsorum clericorum, spiritualem aedificationem minus conferre videntur; unde ex ipsis illa tantummodo sumenda forent quae, vel dogma fundamentale attingant, ut creationem mundi, existentiam et attributa unius veri Dei, etc., aut ad futurum spectatumque humani generis Redemptorem relationem habeant, vel quaedam selecta exempla contineant fidentiae in Deum, patientiae, puritatis, caritatis in proximum, aliusve specialis virtutis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

3

EXC.MUS P. D. CAESAR VIELMO

Episcopus tit. Ariassensis, vic. ap. Aysenensis

Venerabiles Sacri Concilii Patres et carissimi in Christo Fratres,

His omnibus quae egregie a pluribus aliis Patribus iam dicta sunt, non nisi haec principia et normas de Breviarii Romani structura Sacro huic Concilio humillime enuntiare cuperem. Quae vero ad ipsorum principiorum minutiorem applicationem spectant, in scriptis exc.mo Domino secretario generali tradam.[1]

Breviarium romanum, ut omnium desideriis et conditionibus prospiciatur, triplicis formae esse deberet: *monasticum,* scilicet, pro monachis et monialibus; *commune,* nempe, pro clero saeculari et omnibus aliis religiosis; *pastorale,* videlicet pro sacerdotibus saecularibus et regularibus, *dum* pastorali ministerio arctius implicantur. Hae tres Breviarii romani formae quoad nonnulla elementa discrepant seu sunt dissimiles, sed quoad multa elementa convenire debent, seu sunt similes.

Peculiaritates trium singularum Breviarii formarum sunt: Breviarium romanum monasticum servare deberet divisionem in octo partes, nempe Matutinum, Laudes, Primam et alias tres horas minores, Vesperas, Completorium. Hoc Officium deberet a monachis et monialibus integre recitari in choro vel extra chorum.

Breviarium romanum commune, secumferens additiones et mutationes quae singulis religiosis institutis propriae sunt, habere deberet divisionem in octo, aut saltem in septem partes, nempe Matutinum cum tribus Nocturnis in festis primae et secundae classis et uno tantum trium psalmorum nocturno in ceteris omnibus diebus, Laudes, tres saltem horas minores (dempta scilicet fortasse hora quae vocatur Prima), Vesperas, Completorium. Hoc Officium deberet a clero saeculari et regulari, in choro vel extra, secundum proprias leges, integre recitari.

Breviarium romanum pastorale, quo (habitualiter quidem de venia proprii episcopi vel proprii superioris maioris religiosi, per modum verum actus iuxta probatas theologiae moralis regulas) uti possunt sacerdotes omnes, saeculares et regulares, *dum* pastorali ministerio arctius implicantur.

Breviarium istud pastorale posset duobus modis a supradicto Breviario communi distingui, quatenus vel per aptas rubricas, vel per parentheses, vel per characterum typographicorum differentiam vel per

omissionem at relegationem ad peculiarem libellum separatum sed adiectum, indicaret horas aut horarum partes, quae a pastoribus in recitatione omitti possunt, *de venia semper proprii Ordinarii vel superioris maioris regularis.*[2] Ideoque, Breviarium istud pastorale esse posset brevius ob possibilitatem et facultatem abbreviandi singulas horas, *secus posset esse* [3] brevius ob limitationem obligationis ad quasdam tantum horas, quatenus praedicti sacerdotes obligarentur tantummodo ad recitationem integri Matutini, Laudum, Vesperarum.

Breviarium autem in sua triplici forma, scilicet sive monastica sive communi sive pastorali, multo perfectius quam nunc esse deberet, scilicet: quoad quorundam hymnorum emendationem, aliorum assumptionem, nonnullorum ablationem; quoad emendationem latinam Psalmorum ac totius Bibliae versionem, Vulgatam scilicet a mendis tantum expurgatam; quoad Psalmorum accuratam selectionem ac distributionem; quoad ordinatam et per plures annos distributam, amplissimam, sed selectissimam Bibliae, praesertim Novi Testamenti, copiam; quoad textum ex documentis Magisterii Ecclesiastici, Sanctorum Patrum et Doctorum, orientis et occidentis, accuratam selectionem, copiosiorem adhibitionem, aptam distributionem; quoad lectionum historicarum emendationem, vel renovationem, vel expunctionem; quoad orationum de tempore aut de sanctis accuratam emendationem, renovationem, aut ablationem; quoad introductionem Symboli Apostolorum in loco congruo et solemni, verbi gratia, circa finem Laudum, quae est hora resurrectionis Domini; quoad ablationem ex Matutino, Prima, et Completorio, orationis Dominicae, fere integre sub secreto recitandae, et collocationem eiusdem orationis Dominicae non in fine horarum minorum, sed in loco solemniori, verbi gratia, circa finem Vesperarum, quae est solemnissima inter omnes horas.

Breviarium romanum ergo in unaquaque ex his supradictis tribus formis, esse deberet veluti « flos florum », sub respectu hymnologico, biblico, doctrinali, spirituali, historico, pastorali: uno verbo, omne continere deberet, quod in illis fontibus excelsius est. Tunc revera famulos Dei minime gravabit, sed eorum mentem, cor, et opera perficiet et alet. Quod Deus faxit! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] quatenus isti sacerdotes in Matutino festorum primae et secundae classis, recitare possent vel unum tantum nocturnum quem voluerint, vel tertiam totius matutini partem, e. g. solas lectiones; in Laudibus et Vesperis recitare possent, respective, tres tantum psalmos; Horam quae Prima vocatur, possent omittere; in Tertia, Sexta, Nona, Completorio possent unum tantum, respective, psalmum recitare; ubique, omittere possent hymnos et responsoria. Secus Breviarium istud pastorale esse posset.

Animadversiones additae:

Applicatio ad singulas horas.

1. *Officium nocturnum.*

a) Quomodo vocandum. Certe eligendum est an hora ista vocanda sit « Matutinum » vel « Nocturnum », nam incongruum omnino videtur quod Matutinum nocturno vel nocturnis constare dicatur: voces enim nox et mane inter se aliqualiter pugnant. Unde vel unum ex his duobus vocabulis eligendum, vel novum confingendum: exempli gratia « Sacra lectio ». Si vero duae voces praecedentes, scilicet « Matutinum » et « Nocturnum », serventur, clare in rubricis dicendum esset has duas voces ideo adhuc usurpari quia haec Divini Officii hora vel sero praecedenti vel nocte vel mane, pro posse, recitari potest aut deberet.

b) De totius Matutini structura generali. Praesertim cum agitur de Matutini structura instauranda aut describenda, prae oculis habenda est superius inducta Breviarii romani unicitas substantialis ac distinctio in tres formas, quae, claritatis gratia, vocari possent: *Breviarium monasticum, Breviarium commune, Breviarium pastorale.* Ideoque:

In Breviario monastico, Matutinum semper tribus constare poterit nocturnis, cum tribus psalmis et totidem lectionibus in unoquoque nocturno, vel alio modo iuxta monasticam Ordinis Sancti Benedicti traditionem vel ad alios monasticos Ordines aptationem.

In Breviario communi, Matutinum in sollemnitatibus aliisque primae et secundae classis festis, tribus constare poterit nocturnis, cum tribus psalmis in quolibet nocturno et una ampliori vel tribus consuetis lectionibus in unoquoque nocturno; in ceteris omnibus festis et feriis, uno tantum constabit nocturno, cum tribus selectis psalmis et tribus satis amplis lectionibus ut dicetur infra, suo loco.

In Breviario pastorali, Matutinum in sollemnitatibus aliisque primae et secundae classis festis vel tribus (ut supra) constare poterit nocturnis, facta tamen potestate sacerdoti unum tantum quem voluerit ex eis recitandi (sicut nunc pro Defunctorum Officio); vel uno nocturno, sicut in aliis festis et feriis inferioribus. Magis consultum tamen videtur ut sacerdoti, etiam pastorali muneri implicato, possibilitas detur, cum voluerit (verbi gratia tempore Exercitationum spiritualium, vacationum, infirmitatis, devotionis etc.), in festis primae et secundae classis tres nocturnos recitandi: quod non posset si in Breviario, aut in supplemento ad Breviarium adiecto, eos non haberet.

c) De Psalterio. Occasione Matutini, animadvertam quaedam de Psalterii in Breviario adhibitione seu recitatione, quae certe refertur non ad Matutinum tantum sed etiam ad omnes ceteras Horas. Salvo meliori iudicio, sincere dicam me non plene intelligere cur qualibet hebdomada, vel bis in mense aut similiter, debeat in Breviario universum Psalterium recitari, cum iste sacer liber plures contineat psalmos, qui sub respectu vel doctrinali vel spirituali vel pastorali, non admodum magni videntur esse momenti. Quod in primis intelligendum videtur de quibusdam psalmis pure historicis vel qui cum Novi Testamenti spiritu minus forte congruunt.

Si enim, omnibus fatentibus, in posterum plures omittendi erunt Divinae Scripturae loci minoris momenti, rationem non video cur ab hac sapienti regula excipiendi essent psalmi. Breviarium enim, in sua brevitate, ac sub omni respectu, *flos florum* sit oportet, ut sacerdotem non gravare valeat sed elevare. Ex hac Matu-

tini necessaria instauratione, necessitas fluit accuratae psalmorum selectionis et aptioris per totum Officium distributionis.

d) *Quoad lectiones in genere: selectio et varietas.* Solemnitates, ergo et etiam omnia festa primae et secundae classis, ob rationes superius dictas, possent novem lectiones adhuc complecti, plus minusve ut nunc, licet debitis emendationibus, seu mutationibus in melius, inductis. E contra, festa alia ac feriae, *tribus* tantum constare deberent lectionibus, *bene selectis* ac *satis amplis,* quarum *prima* ex Divinis Scripturis, *secunda* ex Patribus vel Doctoribus vel Sanctorum historia, *tertia* secumferret Evangelii lectionem eiusque commentarium seu homiliam Sancti Patris vel Doctoris Ecclesiae.

e) *Quoad lectiones in specie: de lectionibus biblicis.* Duorum vel trium annorum spatio, *tota* Antiqui et Novi Testamenti *biblia, ordinatim,* demptis tantum locis quae sub respectu doctrinali vel pastorali minoris sunt momenti (genealogiae, numerorum computationes, proelia quaedam, elementa minus congrua) esset legenda.

Cum novus liber incipitur, parvis typis congrue recoli possent certi aut probabilis auctoris nomen, tempus et circumstantiae compositionis, et forte etiam summa omnino libri lineamenta, cum magis momentosis applicationibus doctrinalibus et pastoralibus.

Quoad bibliae versionem adhibendam, percuperem ut accurate, sed satis expedite, paretur *nova latina versio,* ita tamen confecta ut sincera Sancti Hieronymi Vulgata ibi tantum emendetur seu mutetur ubi certe vel est erronea vel imperfecta: non enim consultum videtur ut versio Vulgata, tanto saeculorum usu comprobata et super quam tot Ecclesiae opera fundantur, vel e medio tollatur vel quod ab ea recedatur. In ipsa ergo essent peragendae tantummodo tales emendationes quae comparari possent iis quae vulgo « rammendi » vocantur.

f) *Quoad lectiones in specie: de lectionibus Patrum et Doctorum.* Sicut singulis festis et feriis lectio Divinae Scripturae assignatur, ita singulis feriis adsignari deberet etiam lectio, aequalis amplitudinis ac supra, deprompta ex Patribus et Doctoribus.

Quoad lectionem patristicam vel doctoralem haec criteria servari possent: meliores editiones, sub respectu criticae textus, essent adhibendae; electio Patrum ac Doctorum multo amplianda esset, ita ut assumatur maior Patrum ac Doctorum, etiam Orientis, numerus; auctorum loci minus apti, attenta nostrorum temporum mente (numerorum lusus, applicationes biblicae aliquatenus contortae, etc.) essent removendi aut minime seligendi; saltem cum prima vice in Breviario sanctus quidam Pater aut Doctor aut eorum liber introducitur, eo circiter modo esset procedendum ac pro singulis Bibliae libris supra dictum est. Istae tamen notulae, semel pro semper, velut in indice, adunari possent in fine Breviarii.

g) *Quoad lectiones in specie: de lectionibus historicis Sanctorum.* Supposita necessaria calendarii emendatione, scilicet expunctione multorum festorum de Sanctis quae momentum pro universo romano ritu habere non videntur, lectiones historicae adhuc servandae accurate erunt revisioni et emendationi subiiciendae aut noviter omnino conficiendae, ita ut illa tantum elementa serventur quae certa videntur; quoad vero venerabiles traditiones, circa quas tamen ad solidam certitudinem deveniri non potest, addenda esset dictio « ut traditur », « ut fertur » vel quid simile.

h) *Quoad lectiones in specie: de homiliis in Evangelium.* Sicut singulis festis diebus et feriis adest lectio Divinae Scripturae, et etiam, ut dictum est, lectio doctrinalis aut historica, ita pariter quotidie esse deberet tertia lectio de homilia in Evangelium. Etenim qualibet die aut celebratur festum de tempore vel festum de sanctis, cum Evangelio proprio vel de communi et respectiva homilia; aut officium fit de feria. Quando autem officium fit de feria, scilicet permultis diebus *in anno,* cur, *sicut tempore Quadragesimae,* non aderit deinceps et *propria Missa* et consequenter *propria homilia* in Divino Officio? Qua in lectione de homilia seligenda et exhibenda, ea criteria adhiberi possent quae supra, sub numero *f*), dicta sunt. Fortasse etiam Evangelium, in quod statim homilia legetur, recitare posset integre et non tantum quoad priora verba cum formula « et reliqua ».

i) *De Breviarii valore et efficacia.* Hoc modo Breviarium, etiam solo Matutino considerato, esset revera *flos florum* sub respectu doctrinali simul et historico, spirituali simul ac pastorali; et pietatem foveret atque pastorali ministerio incrementum praeberet. Nec ut quid incongruum censeri deberet si Breviarium iterum quatuor parva volumina complecteretur: contineret enim omne quod, peritorum iudicio, in Bibliis, Patribus, Doctoribus et hagiographia excelsius est!

2. *Officium « diurnum ».*

a) *Traditio servanda. Laudes,* quatuor *Horae Minores, Vesperae* et *Completorium* fere totaliter, ut dictum est, manere possent ut nunc, factis tamen necessariis quibusdam emendationibus vel opportunis mutationibus.

b) *Progressus faciendus.* Inter emendationes certe recensendae sunt emendationes quorumdam hymnorum, qui saeculorum decursu aliquantisper corrupti fuerunt. Cum unusquisque hymnus saltem prima vice exhibetur, opportune parvis typis indicabitur auctor certus aut probabilis et etiam compositionis tempus. Quae omnia intelligenda sunt etiam de hymnis qui ad Matutinum recitantur. Hymni autem minus apti expurgantur; alii reassumantur.

c) *Hypothetica abbreviatio.* Si, non obstante Matutini decurtatione, Divinum Officium adhuc nimis longum videretur, suggerere quis forte posset quod, saltem in Breviario pastorali, Laudes et Vesperae ad tres respective psalmos reducantur, Prima supprimatur, aliae vero Horae Minores et Completorium ad unum dumtaxat psalmum coarctentur. Tunc sacerdotes, qui adnituntur ut Divinum Officium competentibus pro posse horis celebrent, simul et valde enutrientur et *minime* gravabuntur.

3. *Symbolum Apostolorum et « Pater Noster ».*

a) *Symbolum.* Incongruum videtur ut Symbolum Apostolorum nullibi amplius in Divino Officio recitetur: fortasse collocari posset ad Laudes, quae est hora resurrectionis Domini, post repetitionem antiphonae ad « Benedictus » et ante orationem (in choro, elata voce recitandum aut cantandum ab omnibus simul).

b) *« Pater Noster ».* Fortasse congruum est ut supprimatur usus recitandi « Pater Noster » partim elata voce et partim secreto. Pariter congruum videtur, quod omittatur recitatio Orationis Dominicae in Matutino, precibus, Prima et Completorio, et ei tribuatur locus et forma recitationis vere solemnis, in choro autem cantu exsequendae. Forte potius quam in fine Horarum minorum, ut dicitur in constitutione numero septuagesimo secundo, eius recitatio aut decantatio locanda esset in Vesperis post repetitam antiphonam ad « Magnificat » et ante diei oratio-

nem. Quidquid sit, Orationi Domini semel *locus* vere *conspicuus,* et in choro forma recitationis solemnis, tribuenda videntur.

Conclusio. Fortasse modus iste Divinum Officium universum instaurandi, esset simul *traditionalis et innovationibus* prudenter favens.

4

REV.MUS P. D. IOANNES PROU

Superior generalis Congregationis Gallicae O.S.B.

Venerabiles Patres,

In prooemio cap. 4, lin. 26, post verbum « sequuntur » *addendum censeo* [1] « de Officio Romano ». Plura etenim quae in subsequentibus articulis de structura et elementis Officii statuuntur non valent nisi pro Officio Romano, minime vero attingunt Officium aliorum rituum latinorum, verbi gratia, Officium monasticum ...[2]

De art. 69, linn. 16 et 17. Non tantum nomine proprio loquor, sed etiam votum depromo cum Ordinis Canonicorum Regularium Lateranensium, tum Abbatum Confoederationis Ordinis Sancti Benedicti, tum Sacri Ordinis Cisterciensis, tum Ordinis Cisterciensis strictioris observantiae, et ut opinor, ceterarum Congregationum canonialium et monasticarum.

Nemini fugit quaestionem Psalterii latini in usu liturgico hodiernis temporibus in Ecclesia agitatam esse. Aliunde nonnullis necessitas apparet Psalterii unitatem in Liturgia latina restituendi. Ad hanc vero unitatem instaurandam, *ut iam dictum est,*[3] non desunt validissima adiumenta, quibus paulatim apparere valuit optima methodus ad antiquos textus Psalterii emendandos insequenda. Arduum opus strenuo animo aggressi sunt, iubente Summo Pontifice Pio XII, eruditi Professores Pontificii Instituti Biblici. Postea criticas editiones Psalterii Romani, Gallicani, et iuxta Hebraeos curaverunt monachi Pontificiae Abbatiae S. Hieronymi in Urbe, qui etiam doctum volumen publici iuris fecerunt quod inscribitur *Richesses et déficiences des anciens Psautiers latins.* Nuperrime tandem prodiit nova recensio Psalterii iuxta votum Synodi Generalis Abbatum O.S.B. a Patre Weber edita.

Sicut S. Hieronymus in conficiendo Psalterio Gallicano translationem latinam iam existentem correxit, latinitatem antiquorum retinens, ita hodie Psalterium Gallicanum emendari debet, ratione habita textus primigenii, servando omnia ex antiquo Psalterio quae servari possunt cum emendationibus *tamen* [4] necessariis, quae ...[5] semper in eadem lingua, experientiam spiritualem christianorum spirante, faciendae sunt.

In casibus in quibus lectio septuaginta-viralis aeque probabilis est ac lectio massoretica, textus Psalterii Gallicani utpote qui lectionem traditionalem in Ecclesia praebeat, retinendus est. Omnes enim bene norunt in sua Liturgia Ecclesiam latinam ab initio secutam esse traditionem et textum Septuaginta. Emendatio talibus principiis innixa nullo modo impediret quominus textus intellectui perspicuus et facilis evadat.

Proinde, propono ut ultima periodus art. 69 praesentis schematis, linn. 16 et 17, sic legatur: « Opus revisionis Psalterii, feliciter inchoatum et laboriose prosecutum, ad finem perducatur, respectu habito christianae latinitatis, usus liturgici, necnon totius traditionis latinae Ecclesiae ».

De alio argumento nunc loquor. Optandum valde est, ut in *sacra Liturgia* integrum Psalterium servetur, non exceptis Psalmis sic dictis imprecatoriis, qui sensu spirituali facilius intelligi possunt: aliter enim, expungendae essent insuper illae partes *sacrae Liturgiae,* quae, ex novo etiam Testamento excerptae, verbi gratia, ex Apocalypsi, eadem quasi loquela loquuntur, verbi gratia, in Antiphona ad Introitum de Communi Martyrum « Intret »: « Vindica sanguinem Sanctorum tuorum qui effusus est ».

De art. 71, par. *a*), haec notanda sunt. Certe revisio cursus lectionum e Scriptura desumptarum necessaria est, et ita facienda, ut supprimantur res lectae minoris momenti, quales sunt, verbi gratia, genealogiae; et introducantur partes quorumdam librorum hodie a Breviario neglectorum, nempe Exodi et aliorum, necnon amplificetur locus Prophetarum. Sed minus placet votum a quibusdam expressum, ut minuatur locus Veteris Testamenti in Officii lectionibus. Etenim, supra art. 38, nobis promittitur pro dierum diversitate maior copia lectionum in Missa, in qua *Missa* [6] est locus, ab antiqua Romana traditione electus, ad Novum Testamentum legendum, dum Vetus Testamentum in primo nocturno Officii nocturni fuse legebatur ...[7] Standum ergo mihi videtur ad id principium, ut nempe semel una eademque ratione cursus lectionum tum Missalis tum Breviarii *Romani* [8] harmonice reformetur. Alia quae habebam dicenda, tradam exc.mo secretario generali...[9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] addatur. [2] vel ambrosianum etc. Art. 68 *c*), linn. 8-10, non placet. Cum etenim indoles nocturnae laudis retineri debeat pro matutino, minime expungantur formulae quae de nocte mentionem faciunt, licet matutinum recitari valeat etiam extra horas noctis. Unde novus textus ita ponatur: « Matutinum indolem nocturnae laudis retineat et, si nocturnis horis non dicitur, in quantum fieri potest, extra chorum etiam, a vespere diei praecedentis usque ad mane diei ipsius recitetur ». [3] deest. [4] deest. [5] tamen. [6] deest. [7] Vide Ordinem Romanum 14 a M. Andrieu publicatum de cursu lectionum

saec. VII, in quo Epistolae Pauli et Evangelia currunt in Missa, dum libri Veteris Testamenti currunt in nocturno, a Septuagesima cuiusque anni. Sed Missae feriales habebant lectiones proprias pro Fer. IV et VI, aliquando etiam sabbato. [8] deest. [9] art. 72 *c*): non placet quia, ut mihi videtur, recitatio Collectae diei multum confert ut menti sacerdotis revocetur et praesens teneatur character specialis temporis liturgici vel festivitatis hac die celebratae. Art. 73, lin. 23, post *c*), addatur: « *d*) Ordinarii possunt suos subiectos, in particularibus adiunctis, dispensare ab obligatione recitandi officium ». Ratio additionis: Haec additio optanda videtur ad quietem conscientiae quorundam sacerdotum procurandam. Art. 77 *c*): lin. 13, post verba « si divinum officium una cum » verbis « fidelibus laicis » substituantur verba « coetui fidelium laicorum ». Ratio mutationis: ne facilius et frequentius clerici una cum uno laico tantum hac facultate gaudeant.

Animadversiones additae:

Art. 74, lin. 26-29. Ultima sententia huius articuli non placet et deleatur. Melius enim esset si solum Officium divinum proprie dictum *ut oratio publica Ecclesiae* consideraretur etiam si forsitan a laicis recitaretur. Insuper non videtur cur ab Ecclesia dignitas specialis concederetur qualicumque parvo Officio, dum pars Officii divini proprie dicti (e. g. Laudes et Vesperae) dici posset et etiam in vernaculo, secundum art. 77, *b*.

5

EXC.MUS P. D. IOSEPH M. REUSS

Episcopus tit. Sinopenus, aux. Moguntinus

Venerabiles Patres,

Liceat mihi proponere quattuor emendationes.[1]

Emendatio 1. *Schema nobis propositum obligat capitula residentialia recitandi Laudes et Vesperas in choro. Excipiantur, sic propono, ea capitula, quorum canonici cooperatores episcopi in regimine dioecesis sunt.*[2]

Argumentum pro hac emendatione. Habentur capitula residentialia, quorum canonici sunt simul tamquam consiliarii episcopales referentes aut decernentes in ordinariatu episcopali, ideoque pro his capitulis talis obligatio chori impossibilis est.

Emendatio 2. *Iuxta schema, monialibus et sodalibus institutorum statuum perfectionis, a proprio Ordinario, annuente S. Sede, concedi potest ut in Officio recitando lingua vernacula utantur. Sed iam nunc statuendum mihi videtur, ut in recitatione Officii lingua vernacula utantur.*[3]

Argumentum pro hac emendatione. Paucis communitatibus exceptis, istae moniales, necnon isti sodales, linguam latinam ignorant. Ideoque, si in recitatione Officii lingua latina utuntur, multum quidem loquun-

tur, sed nihil intelligunt; tale autem multiloquium christianis alienum sit (cfr. *Mt.* 6, 7).

Emendatio 3. *Petit ut clerici choro non obligati in Officio divino recitando generaliter, et non tantum speciali licentia obtenta, lingua vernacula uti possint.*[4]

Argumentum pro hac emendatione. Usus linguae vernaculae — et hoc mihi videtur praecipuum argumentum —, ideo necessarius est, quia nexus inter vitam spiritualem personalem et recitationem Breviarii omnino postulari debet. Vita enim spiritualis sine oratione viva personali impossibilis redditur. Ut autem recitatio Breviarii sit oratio revera personalis et viva pro sacerdotibus saecularibus in multis, immo permultis casibus, cognitio etiam profunda linguae latinae non sufficit. Conditiones enim sacerdotis saecularis Officium recitantis omnino aliae sunt ac monachi. Monachus choro obligatus et ad hanc formam orationis per tot annos specialiter educatus in Divino Officio formam vitae suae invenire potest. Hoc autem non valet pro sacerdote saeculari curae animarum imbuto. Vitam vere spiritualem medio in hoc mundo degere debet. Ideo postulare potest ne Breviarium sit obstaculum talis vitae spiritualis. Periculum autem est ne lingua latina ut lingua, qua hodie homines non tamquam viva lingua utantur, facile inducat sacerdotem ad recitationem mere schematicam, ut saltem obligationi satisfaciat, quod autem pro vita spirituali non sufficit. E contrario, *autem,*[5] certum est usum linguae nativae fovere Breviario tamquam orationi personali.

Emendatio 4 *et ultima petit restrictionem obligationis recitandi totum Officium eo sensu, quem iam exhibuerunt em.mus card. Léger et aliqui alii Patres, nempe: clerici choro non obligati solummodo obligandi sunt ut saltem Laudes et Vesperas recitent et lectioni Sacrae Scripturae per 20 saltem momenta imbuant.*

Liceat mihi argumentis iam allatis aliquem novum respectum addere.[6] Devota recitatio totius Officii sacerdotibus in hodiernis adiunctis constitutis, excepto tempore vacationum, fere vix possibilis est. Ne quis dicat fore ut Officium diminutum a multis eodem modo, scilicet, cum minima devotione et fere mechanice, recitetur! Sunt enim non pauci, qui revera totum hodiernum Officium devote recitare non possunt, quamvis hoc desiderent. Tales autem sacerdotes Officium brevius et sacrae Scripturae lectio non tantum ad devotam orationem sed etiam ad vitam spiritualem profundiorem certe adiuvaret. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] N. 73, pag. 187, lin. 10: Post verba « capitula residentialia » ponantur verba « iis capitulis exceptis, quorum canonici cooperatores episcopi in regimine dioecesis sunt ». [3] Textus n. 77 *b*), pag. 188,

linn. 7-11, sic emendetur: « Moniales necnon sodales, sive viri non clerici, sive mulieres, Institutorum statuum perfectionis, in Divino Officio, tam in choro aut in communi quam a solo celebrando, lingua vulgari utantur ». [4] N. 77 *a*), pag. 188, lin. 6: Pro verbo « clericis » ponatur « communitatibus clericorum choro obligatis ». Post verba ultima huius lineae, nempe « servanda est » addatur: « Clerici choro non obligati in Officio divino recitando lingua vulgari uti possunt ». [5] deest. [6] N. 73 *b*), pag. 187, lin. 18: Post verbum « tenentur », inseratur « si commode fieri potest »; lin. 19, post verbum « persolvere » dicatur: « Stricte autem obligati sunt, ut saltem laudes et vesperas recitent et lectioni S. Scripturae per viginti saltem momenta imbuant ». Argumentum pro hac emendatione:

6

EXC.MUS P. D. RENATUS IOSEPH PIÉRARD
Episcopus Catalaunensis

Venerabiles Patres et Fratres,

De cursu horarum et obligatione cleri, episcopi multi [1] duo principia firmiter tenere volunt. 1) Cum Breviarium sit officium sacerdotale maximi momenti, necesse est characterem obligatorium Officii divini sacerdotibus nostris certissimum facere. 2) Cum sacerdotes multi (non omnes) quasi opprimuntur rhythmo vitae hodiernae, allevationes promovere debemus. Unde, nomine plurium, tria haec humiliter propono.

1. In art. 68, pag. 167, post lin. 2, ut affirmaretur (sed tamen sine necessitate absoluta) illa « veritas horarum » in prima alinea articuli, *pagina praecedenti,*[2] vindicata; et simul confirmaretur Laudes et Vesperas esse praecipuas; pro *a*) hunc textum propono: « Sunt Laudes cardo Officii divini ante meridiem, Vesperae cardo Officii divini post meridiem ».

2. Ad *d*) hanc emendationem propono: Quoniam Laudes matutino recte dicuntur, Prima supprimitur, quae cum eis fit onus duplex. Tres aliae Horae minores ad sanctificationem diei utiles, alleviantur, post Psalmos (vel Psalmum) immediatam conclusionem habentes, orationem dominicam *vel orationem diei.*[3]

3 et ultimo. In art. 73, pag. 187, lin. 17, par. *b*), de obligatione cleri. Legislatoris est quarumdam exceptionum principium ponere, cuius applicationes practicae episcopo Ordinario crederentur, salva epikeia in casibus particularibus. Episcopi ergo duplicem facultatem habeant: primam, determinare conditiones exceptionis, verbi gratia, quando eodem die sacerdos debet duas Missas celebrare, vel pluries praedicare, vel per duas saltem horas continuas confessiones audire, etc. Secundam

facultatem: determinare illis sacerdotibus, in servitio Ecclesiae sanctificatis, qualis esset remissio recitationis: sive Horarum minorum, sive etiam Matutini, pro pondere ministerii explendi. Unde, paragrapho *b*), de obligatione cleri, hunc textum addere propono: « Obligationi sacerdotum ad totum Officium recitandum quaedam exceptiones ab episcopo dari possunt ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] De nn. 68 (cursus horarum) et 73 (obligatio) episcopi non pauci. [2] deest. [3] deest.

7

Exc.mus P. D. RAPHAEL GARCIA Y GARCIA DE CASTRO
Archiepiscopus Granatensis

Venerabiles Patres ac dilectissimi Fratres,

Omni qua possim brevitate et perspicuitate, haec pro vestra meditatione dicam circa cap. 4, num. 73, pag. 187 huius schematis Concilii de sacra Liturgia.

Imprimis, comma « cum infirmitas humanae naturae postulet ut quid minimum orationis praescribatur » aliqua confusione laborat ita ut eius sensus duplici modo intelligi possit. Etenim, *a*) potest interpretari ac si agatur de infirmitate naturae humanae, quae postulat minimum medicinae, orationis videlicet, *b*) aut sumi potest ac si agatur de infirmitate quae non sustinet pondus magnum orationis. Quidni?

Aliunde, si ad rem quod attinet praefata referantur verba, oportet sensum theologicum ipsorum accuratius determinare. Estne verum, quod minimum orationis praescribatur in sacris litteris, in vita Sanctorum, etc.? Agitur hic tantum de oratione publica, id est, de minimo orationis publicae seu liturgicae, vel etiam implicite de oratione privata? Quia in schemate, hinc et inde, nihil aut fere nihil et, quod peius est, quandoque cum aliqua minimatione, dicitur de necessitate et valore orationis pietatisque privatae.

Si meministis, supra, in cap. 1, n. 8, pag. 162, dicebatur: christianum « quandoque » ad orandum in abscondito invitari. Solummodo, ergo, orandum est privatim aliquibus in occasionibus: « *quandoque* »? [1] Aut « minimum orationis » tenendum est, quia sic ab infirmitate naturae postulatur? Minime, venerabiles Patres! Ad confusiones ergo tollendas in re tam gravi et ad doctrinam christianam sine ambiguitate tuendam, sequentia Patribus humiliter proponenda iuvat.

1. Paragraphus, quam initio n. 73 legimus, supprimatur vel saltem clarius exprimatur.

2. Ne hoc ornatissimum Concilium pietatem privatam et orationes extraliturgicas parvipendere videatur, addatur in hoc loco, vel alibi si aptius fuerit, commendatio studiosa pietatis et devotionis, de quibus aptissime locutus est Pius XII felicis recordationis in Encyclica *Mediator Dei.* Hoc enim docent, *ut summatim dicam,*[2] vita Domini nostri Iesu Christi, exemplum Sanctorum, doctrina Summorum Pontificum et Doctorum, verba denique Christi apud Lucam (18, 1): « Oportet semper orare et non deficere ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

8

Exc.mus P. D. MICHAEL GONZI
Archiepiscopus Melitensis

Em.mi, exc.mi et rev.mi Patres,

Pauca addenda habeo ad *sapientes et practicas disceptationes*[1] iam a *pluribus*[2] Patribus Conciliaribus *lectas circa dispositiones*[3] cap. 4 de Officio Divino. Unica mea animadversio respicit n. 73.

Si Patribus Conciliaribus, cum de Liturgia agitur, visum fuerit non solum principia generalia tradere, sed etiam normas practicas statuere, aliquid submittere audeo circa obligationem, pro Capitulis residentialibus, recitandi Divinum Officium in choro, de qua in schemate agitur sub n. 73, commate *a*).

Iuxta ius commune, haec Capitula tenentur integrum Officium cum Missa conventuali cotidie in choro persolvere. In proposito schemate haec obligatio reducitur tantum ad « saltem Laudes aut Vesperas ». Haec reductio, meo iudicio, nimis ampla est. Sine necessitate videtur ad nihilum fere redigere munus ipsum Capitulorum quemadmodum statuitur in cann. 413 et 414 C.I.C.

Praeterea, ubi viget vetus usus, uti in duabus nostris dioecesibus Melitensibus, ubi plurimi fideles functiones sacras cordi habent, haec ampla reductio, sine dubio, admirationem in fidelibus excitaret.

Quare haec propono. Quoad Capitula cathedralia: Capitula cathedralia tenentur cotidie choro interesse ad Laudes, Horas Minores, et Missam conventualem (lectam); diebus autem Dominicis et festis de praecepto, etiam ad Vesperas. Quoad Capitula collegiata: Capitula col-

legiata eodem modo tenentur sicut cathedralia, sed tantum diebus dominicis et festis de praecepto. Experientia ductus ex hoc quod fit in dioecesibus Melitensibus, quod propono facile fieri posse videtur sine magno incommodo capitularium et eorum munerum, et cum aedificatione fidelium.

Quodsi pro aliquibus dioecesibus, attentis peculiaribus adiunctis, hoc difficile, immo impossibile evadet, et Concilium praefert dare normam unicam, suggero hanc alternam propositionem: Ex secunda et tertia dispositione in commate a) *art. 73,*[4] fiat dispositio unica hoc sensu: « totum Officium aut partem illius, Capitula residentialia, ceteri Ordines et Congregationes religiosae secundum propria statuta et proprias Constitutiones, ab Ordinario loci vel a proprio Ordinario approbatas ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] observationes et animadversiones. [2] deest. [3] factas de hoc. [4] deest.

9

Exc.mus P. D. STEPHANUS A. LEVEN
Episcopus tit. Buritanus, aux. S. Antonii

Venerabiles Fratres,

Par. 77, pag. 188, propono additionem paragraphi novae, nempe: « *d*) Cuivis Officio divino adstricto a proprio Ordinario concedi potest, ut Officium divinum in lingua vernacula perficiat ».

Argumentum meum non est contra linguam latinam, nec de ignorantia aliquorum, sed solum in praxi pastorali fundatum, ut fiat sacerdos operarius inconfusibilis recte tractans verbum veritatis (*2 Tim.* 3, 16). Ad hoc requiritur continuus et operosus et quotidianus usus verborum Scripturae Sacrae in lingua vulgari. Per viginti septem annos praedicationes publicas peregi apud fratres separatos in viis et in plateis civitatum et oppidorum et oppidulorum in America Septemtrionali *et interrogationibus eorum responsum dedi;*[1] et ex hac praxi didici nihil corda hominum tangere tamquam ipsissima verba Sacrae Scripturae. Hoc est verum, non solummodo inter fratres separatos sed etiam apud fideles catholicos.

Verba Scripturae Sacrae gaudent speciali assistentia Spiritus Sancti; ab ipso Spiritu Sancto inspirata sunt. Omnium praedicatorum experientia est citationem in ipsis verbis Sacrae Scripturae expressionis pulchritudinem, persuasionis virtutem, et convictionis calorem praedicationi

conferre. Bene S. Paulus dicit, « omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia » (*2 Tim.* 2, 15).

Haec familiaritas cum verbis Sacrae Scripturae non facile acquiritur. Requiritur quotidiana applicatio et exercitatio quotidiana. Et non facile transfertur exercitatio in una lingua ad usum alius linguae.

Cum, ergo, sacerdos ad recitationem quotidianam Breviarii iam tenetur et ita paginas sacras in manibus iam cotidie volutat, posset ex eadem lectione, lingua vernacula perfecta, maximum adiutorium habere ad se in re pastorali quam utili et necessaria proficere; practice, si non ita discitur usus proficuus Sacrae Scripturae in actione pastorali quotidiana, numquam habebitur.

Ita pro omnibus divino Officio adstrictis, praesertim vero pro sacerdotibus in praxi pastorali occupatis, censeo valde utilem esse recitationem divini Officii in lingua vernacula, et hoc propono et a Patribus Conciliaribus exopto. Finis.

In textu scripto tradito: [1] deest.

10

Exc.mus P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

Venerabiles Patres et Fratres,

Nn. 68, 77. In re tanti momenti, liceat mihi, post iam tot et tanta dicta, quaedam afferre, utinam non superflua.

Quoad Officium divinum a sacerdotibus in ministerio recitandum, nonnumquam hodie anima episcopi haeret anxia.

Sacrilegium et temerarium episcopo apparet manum apponi aedificio saeculari, quo tot sacerdotes laudem Deo dederunt, seipsos sanctificantes, et quod ipse *episcopus* [1] fideliter et peramanter recitat.

Aliunde, non potest oculos claudere circa difficultates sacerdotum, quae paulatim conscientiam eorum turbant et laedunt.

Gaudeo, Patres, quod, ut certum est, plures ex vobis, saltem usque modo, talem anxietatem nesciant et gratias toto corde ad Deum ago pro vobis; vos autem, fortunatos nimium, instanter rogo, ut vocem fratrum audire velitis et in suffragiis vestris mente retinere. Sollicitudo vestra de Officio servando nostra est; et nobis Officium sacrum est.

Liceat mihi vobis, paucis saltem verbis, ostendere petitionem no-

stram non ex amore novitatis, nec ex temerario consilio procedere, sed ex amore ipso traditionis Ecclesiae; nil innovetur nisi quod traditum est; nihil innovetur nisi quo traditio firmius solidetur quoad intentionem suam profundam; hic est sensus noster, in quaestione hac de Officio a sacerdotibus recitando; quod per gratiam Dei clare et efficaciter probare valeam.

Quid tandem aliquando quaerimus? Quae est voluntas Dei, quis est sensus Ecclesiae, in qua unanimiter convenire in hac re possimus et cupiamus? De his ...[2] saltem dissentire non possumus: 1) servetur in veritate a sacerdotibus consecratio diei ad laudem Dei; 2) copiose quotidie sacerdos laudem reddat Deo, aperiens cor suum ad verbum Dei, ut illud etiam fidelibus cum fiducia et ut oportet tradat; 3) tollantur tamen haec quae his omnibus necessariis obstare constat, nec necessaria ipsa sunt.

1. Servetur *in veritate a sacerdotibus consecratio diei ad laudem Dei.*[3] Etenim distinctiones temporis necessariae sunt, ut vita integra hominis in laudem gloriae gratiae Dei referatur. Haec exigentia ex natura humana orta, divinitus demonstratur in distinctione *hac*[4] hebdomadarum et « statione » in die Domini. Nec sine periculo distinctiones in die amitterentur, cum hodie ipsa divisio hebdomadae in vita hominum in periculum inducitur.

Servetur igitur haec consecratio in Officio sacerdotum, ne ruptura etiam fiat inter laudes sacerdotis in ministerio et laudes fratrum quorum vita in opere Dei consumitur. Sed, servetur « in veritate ». Atqui hodie deest haec veritas. Quot sunt inter nos ipsos qui unamquamque horam diei tempore suo recitare possint? Paucissimi! Et ne quid dicam, *hoc mihi permittatur,*[5] de hoc Concilio ubi per menses et per dimidium cuiusque diei, horas competentes tranquillo animo ignorare videmur. Hoc hodiernis affert speciem quamdam « formalitatis », a qua abhorrent, non sine fundamento.

2. Copiose *quotidie sacerdos laudem reddat Deo, aperiens cor suum ad verbum Dei, ut illud fidelibus tradat.*[6] Ad hunc fontem venit sacerdos ut impleatur Spiritu Dei; ad hunc nisi veniat nec laudem Deo, quae ex Deo est, offerre potest, nec hominibus verbum Dei in fidelitate et caritate tradere. Atqui qualis hodie in Officio habetur, lectio Sacrae Scripturae estne talis ut *tale*[7] munus impleat? Qui sunt etiam inter nos qui in Officio ipso, quoad Scripturas, invenire possint materiam sufficientem gloriae Dei et nutrimentum legitimum animae? Quaeritur ad hoc aliud tempus in decursu diei. Desideratur in lectionibus Breviarii haec copiosa mensa Verbi Dei ex Veteri et Novo Testamento, cum substantiali commentario Patrum, sub luce Spiritus psalmis invocati.

3. Tollantur, tandem, *haec quae his omnibus necessariis obstare constat, nec necessaria ipsa sunt.*[8] Quamvis dolendum, negari nefas esset, in statu praesenti rerum, latinam linguam pro multis et etiam optimis sacerdotibus, quidquid sit sive de causa rei, sive de spe legitima et necessario conamine, pro multis et etiam optimis sacerdotibus obstare quin Officium facile et pacifice et fructuose dicant ad laudem Dei. Alii oboediunt et dolent; alii, proh dolor! recedunt vel ad versionem pro arbitrio *non tuta conscientia*[9] recurrunt. Nonne Pius XII viam aperuit, cum ad iuvandos sacerdotes et claritatem faciendam *in lectione,*[10] venerabilem omnino et inviolatam a saeculis versionem psalmorum tangere ausus est?

Brevi igitur et salvo meliore iudicio et meliore expressione, haec opportune addenda dicerem in schemate nostro:

Sub n. 68, loco *a*) et *d*): « Officium constet tribus essentialiter horis, scilicet hora ad initium diei (nempe Laudes), hora ad Vesperas, et hora ad medium diei (quae possit ad libitum dividi pro pietate sacerdotis et possibilitate ipsius, ut nunc *est in breviario*[11]) ».

Loco *c*): « Constet etiam Officium lectione copiosa et continua ex Veteri et Novo Testamento, una cum commentario substantiali Patrum, cum laudibus ex Psalmis » (Et inveniatur verbum novum pro hac lectione: « Matutinum », pro monachis tantum valet; sacerdotibus autem nulli determinato temporis momento nectitur).

Sub n. 77: « Fiat lectio Scripturae et Patrum lingua vulgari... De Psalmis, quaestio remittatur, sive quoad principia, sive quoad modum, ad Conferentias episcopales ».

Ad has conclusiones, venerabiles Patres, non sine timore et tremore, et anxietate nimia, deveni; sed nedum haec ut rerum novarum cupidus attulerim, testis est mihi Deus, me praecise et admodum ut aemulatorem paternarum traditionum, locutum esse. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] tribus. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] hoc. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] fit.

11

Exc.mus P. D. IOSEPH MARLING
Episcopus Civitatis Jeffersoniensis

Venerabiles Fratres,

Aliquo modo iam dicta sunt omnia quae proponere volo, etiam quod olim putavi mei ipsius fuisse. Cum inutile sit in repetitionem incidere,

satis est dicere me approbare enixe, plene et sincere, argumenta iam allata pro recitatione privata breviarii in lingua vernacula. Quam permissionem, mihi quoque persuasum est, sacerdotes per universum orbem, et non paucos episcopos pergrate salutaturos esse, et non tamquam signum laxitudinis, sed potius ut stimulum pietatis et devotionis. Omnia quae in specie propono ad *secretarium generalem* dentur. Dixi.

Textus scripto traditus:

Mihi videtur n. 77 mutandus esse ita ut permittatur recitatio Divini Officii in lingua vernacula sacerdotibus qui non tenentur illud recitare in choro vel in communi, quando Breviarium privata recitatione absolvunt. Hae sunt rationes:

1. Argumenta allata ad linguam latinam conservandam in Missae celebratione, quae ego quidem revereor, in hoc casu non tenent. Hic enim lingua latina non necessaria videtur ad efformandum vinculum unitatis, nec, si illa absit, timenda est confusio vel admiratio populi.

2. Re quidem vera novum Psalterium recitationem Breviarii in latino sermone faciliorem reddit, et ad intelligendum magis accommodatam, sed manet difficultas. Preces enim fundere est cum Deo colloqui et conversari. Sed quis affirmet colloquium seu conversationem tam familiarem et intimam esse posse cum in extero sermone peragitur, quam in proprio? Hic prae oculis habendum, ut arbitror, inter maxima problemata quae hoc Sacrosanctum Concilium aggredere debet, illud esse quod ad penuriam sacerdotum ubique terrarum attinet. Saepe saepius iis qui in clericalem institutionem candidatis impertiendam incumbunt, hoc magnae admirationi est, quod Deus plurimos ad sacerdotium vocat, qui paucioribus talentis fruuntur. Ut sufficientes sacerdotes necessitatibus localibus adsint, et simul aliae regiones adiuvari possint, ubi penuria cleri revera gravis, imo acuta est, amovere debemus quot difficultates possibile sit, tam ante quam post sacerdotalem Ordinationem, a via illorum qui vocantur et tamen non multis dotibus exornati sunt. Quae dicta intelligantur, quaeso, non tamquam si normam vel regulam studiorum in deterius mutare velim, sed ut agnitio facti indubitanter explorati, et ut practicus accessus, ut ita dicam, ad hodiernam rerum conditionem, quae tam realis quam vere gravis est.

3. Facilius profecto quis in spiritu latinarum precum S. Missae plene ingredi potest, quam Divini Officii. In Missa enim preces, maxima quidem ex parte, quotidie eaedem sunt. Adde quod semper Missae celebratio quadam speciali circumfusa est pietate, quae animi considerationem et attentionem multum adiuvat. Aliter vero in recitatione Breviarii res se habet. Commendata propositio iuxta quam amplior latiorque ordo Psalmorum in Breviario introducendus esset, etiam maioris erit momenti si Divinum Officium lingua vernacula recitari poterit.

4. Multo magis sacerdotes iniicient etiam in laicorum animos aestimationem Divini Officii et Psalmorum, quod vere optandum est, si haec fient intimior pars in orandi consuetudine ipsorum sacerdotum, per familiarem nempe cognitionem, in sermone quem ipsi perfecte intelligunt.

Mihi persuasum est sacerdotes per universum orbem pergrate salutaturos esse permissionem recitandi Breviarium in vernacula lingua, non tamquam laxitudinis signum, sed potius ut stimulum pietatis et devotionis.

In n. 77 *b*), loco sententiae « a proprio Ordinario, annuente Sancta Sede, concedi potest », dicendum est simpliciter « conceditur ». Secus Moniales religiosas domos habentes in variis dioecesibus, interdum tenerentur linguam latinam adhibere, interdum vero linguam vernaculam.

12

Exc.mus P. D. AEMILIUS GUANO
Episcopus Liburnensis

Venerabiles et dilectissimi Patres et Fratres,

Vellem ante omnia proponere *quoad hoc caput* [1] ut dentur normae generales, quin nimium in particularia descendatur (quod, meo iudicio, valet pro toto schemate, immo pro omnibus schematibus huic sanctae Synodo propositis).

Quoad prooemium. *Aliquae notae Officii divini, meo iudicio, cordi habendae sunt et in evidentiam ponendae.* [2]

1. Per Officium divinum maxime exprimitur amor sponsae *Ecclesiae* [3] erga Sponsum et Patrem.

2. Officium divinum est, ex sese, oratio communitaria et publica, non privata precatio sacerdotis vel religiosi, etiam quando qui ad hoc munus deputati sunt non in choro Officium divinum recitant. Proinde, etiam in recitatione, quam privatam dicunt, formulae quae notam communitariam et publicam sapiunt non reiiciendae sunt. Est insuper *Officium divinum* [4] oratio Ecclesiae ad quam omnibus Christi fidelibus aditus patere debet (cf. Vesperas dominicales; hebdomadam maiorem, *Officium mortuorum, sed non haec solummodo* [5]).

3. Centrum divini Officii, sicut et totius Liturgiae, est Sanctum Sacrificium Corporis et Sanguinis Christi.

4. Officium divinum, in connexione cum Sacrificio Eucharistico, per horas diei et noctis, per hebdomadam, per annum, ita disponitur ut totum tempus per Deum sanctificari significetur, totum Deo offeratur.

5. Non excluditur ab Officio divino, prout in Ecclesiae traditione constitutum est, aspectus quem formativum et asceticum seu pastoralem dicunt sive quoad clericos *recitantes,* [6] sive quoad populum Dei. Hic aspectus, in lectionibus praesertim nocturnorum imprimis apparet, dein in precationibus quibus dum Deus laudatur et invocatur, mens caelesti pabulo nutritur, necnon in disciplina ipsa Officii divini. Clerici et religiosi invitantur ut ad suam sanctificationem, post Sacrificium et Sacramenta, primo loco hoc Officio divino utantur, quod Ecclesia eis concredidit. Christifideles, autem, magis magisque in cognitionem et praxim

divini Officii, quantum fieri potest, introducantur, praesertim in quibusdam solemnioribus circumstantiis anni liturgici vel vitae christianae, ut et ipsi magis magisque orationi Sponsae Christi et populi Dei uniantur ac pabulo Verbi Dei nutriantur. Ad hunc finem attingendum aptae formae adaptationis inveniantur et accommodentur.

Ad n. 69. Meo iudicio, praeferenda est conservatio totius psalterii, inclusis psalmis sic dictis imprecatoriis, per unam hebdomadam, ut *semper magis* [7] sacerdotes, religiosi, Ecclesia precatione Veteris Testamenti et ipsius Christi imbuantur...[8]

Quoad longitudinem vel brevitatem divini Officii, attendendum sane est necessitatibus pastoralibus; altera vero ex parte, impressio omnino non detur quod debitum orationis officialis Ecclesiae minoris momenti sit pro sacerdotibus, quibus orationi et ministerio verbi instandum est. Si reapse proportionatae rationes pastorales adsint, sacerdotibus licitum sit unam vel aliam vel etiam plures partes Officii divini omittere, quin Officium divinum ipsum brevietur pro omnibus et praesertim pro familiis religiosis, orationi particulariter deputatis. Hodiernae vitae necessitates, de quibus pag. 186, lin. 1, quam maxime exigunt Ecclesiae orationem.

Opus revisionis psalterii quam citius ad finem perducatur, ita ut una definitiva versio habeatur. In hac revisione ratio habeatur criteriorum quae sequuntur:

1. Fidelitas ad textum originalem, non tantum per litteralem transpositionem verborum, sed praesertim per fidelitatem, quantum fieri potest, ad modos et spiritum linguae hebraicae.

2. Necessitas claritatis, ita tamen ut non praesumatur totaliter clarum reddere quod, in natura rerum aut linguae, quamdam obscuritatem habet.

3. Usus Ecclesiae, praesertim in Patribus et in Liturgia.

4. Non qualiscumque latinitas adhibeatur, sed ratio habeatur latinitatis specifice christianae, quae saeculis III-V efformata est, quaeque suum influxum in saecula posteriora exercuit, et in venerabili Vulgata versione exprimitur.

In fine, proponere vellem, ut post expletum Concilium, Romanae Congregationes vel auctoritates competentes, studeant, auditis episcopis, modis et formulis talibus ut numquam, *quantum fieri potest,*[9] in ecclesiis cathedralibus, circa episcopum, oratio officialis Ecclesiae desit...[10] Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Lin. 7 et ss. proponerem hunc textum: « Ecclesia autem, sacerdotio mirabili in suo Capite insignita, et divinam ipsius

missionem in terris pergens, " pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum ", ut, cum Patre loquendo, Deum sine intermissione laudet et pro totius mundi salute interpellet. Quod praestantissimum munus Ecclesia absolvit, non solum per celebrationem Eucharistiae, sed per totam Liturgiam, praesertim autem per mirabile illud laudis canticum, in Officio Divino exstans: quod canticum per christifideles ipsos, una cum sacerdotibus Divinum Officium orantes, Deo exhibetur, vel eorum nomine cum a sacerdotibus aliisque fiat, in hanc rem ipsius Ecclesiae instituto delegatis. Omnes proinde qui hoc munere fungunt tum summum Sponsae Christi amorem et honorem participant, tum gravem Ecclesiae obligationem, quia unusquisque in Officio Divino orando ante thronum Dei stat nomine Ecclesiae ». [3] deest. [4] deest. [5] etc. [6] et religiosos. [7] magis magisque. [8] Aliunde ad brevitatem quod attinet, non multa minuta per diem recuperantur, si psalterium per duas hebdomadas distribuatur. [9] deest. [10] Ad n. 73, quaero: etiam in solemnioribus festis ad hoc reduceretur obligatio moralis? Non esset insuper saltem commentationis verbum addendum ut aliquid amplius fiat quam Laudes et Vesperas recitare? Ad n. 74, lin. 38: in modum Divini Officii, non solum quoad ipsius structuram, sed praesertim quoad spiritum anni liturgici. Ad n. 68 propono omissionem verborum: « cum Sanctificatio... divini ».

13

Rev.mus P. D. ANICETUS FERNANDEZ
Magister generalis O. P.

Venerabiles Patres,

Pauca dicam quae, licet ab aliis iam indicata, mihi videntur aliquid novum addere.[1]

I. In hora quae Matutinum vocatur, plerumque, scilicet cum tres tantum lectiones recitantur, tres quoque psalmos satis esse duco; ita vero, ut, psalmorum numero diminuto, aequivaleat lectionum textus magis amplus redactus. Cui quattuor rationes congruunt:

a) Hoc modo, quin divinum Officium longius efficiatur, quotannis legi possunt fere totum Novum Testamentum, principaliores et utiliores Veteris Testamenti paginae, necnon plurima itemque pulcherrima Sanctorum Patrum ac Doctorum testimonia selecta. Scire vel recolere doctrinam ac sententias ex huiusmodi lectionibus haustas, utilius et efficacius esse puto, quam novem psalmos recitare, ad pietatem ferventius fovendam et solidius alendam, tum pro individui sanctificatione, tum pro pastorali ministerio. *Multa ita simplici modo conciliantur.*[2]

b) Trinus psalmorum numerus toti psalterio persolvendo minime obstat si, uti bene in n. 69 dicitur, universum psalterium in plures hebdomadas recitandum distribuitur. Itaque, alia quoque pulchra

cantica et hymni addi possunt, et ita evitare repetitionem, quae animos taedere et mentes solet dissipare.

c) Praeterea, omnes liturgiae historiae cultores concordi sententia esse videntur de divino Officio quod antiquitus, saltem pro ecclesiis non monasticis, paucioribus psalmis et longioribus lectionibus constabat. Procedente tempore, ubique monachorum psalmodia praevaluit, sed lectionum textus paulatim imminutus fuit et minus efficax evasit.

d) Sine dubio, cetera Officia, tribus nocturnis praedita, praecipue quae antiqua traditione et textus pulchritudine et pietatis et doctrinae plenitudine ditantur, conservanda sunt, immo et instauranda, si opus sit, ut nota sexta dicit.

II et III omitto.[3]

IV. Quae n. 68 dicuntur ...,[4] forsan melius dicerentur hoc modo: « Cum Matutinum nocturna precatio sit, eademque permanere debeat, valde commendandum est, ut nocturno tempore vel nocti sat proximo recitetur, licet qualibet diurna hora valide dicatur ».

V. Desiderandum est ut in breviario et etiam in tota Liturgia, melius partes Sacrae Scripturae legendae seligantur, omittendo aliquas quae temporibus hodiernis minus propriae videntur et eligendo alias quae essent utiliores. Cunctae Testamenti utriusque paginae inspiratae sunt, et cunctae verbum Dei nobis proferunt, et cunctae nobis veritatem divinam docent; sed compertum enim habemus non omnibus eamdem inesse vim ad pietatem nutriendam. Unde mirum non est si aliae prae aliis seligantur. Haec accurata selectio partium Sacrae Scripturae in divino Officio et etiam in aliis partibus Liturgiae urgentiorem habet necessitatem, si divinum Officium pro monialibus et aliis vernacula lingua recitandum concedatur, ut docetur n. 70. Ponenda exempla non iudico necessarium, omnibus sunt nota.

Et mihi valde placet ut divini Officii recitatio in lingua vulgari monialibus et aliis similibus concedatur. *Concedatur et non imponatur, quia probabilius multi conventus praeferent illud dicere lingua latina.*[5] Minime vero concedatur sacerdotibus qui omnes debent linguam latinam cognoscere, saltem ut quae in breviario continentur generaliter intelligant et ament, se adiuvando, si opus sit, de aliqua versione in lingua propria. Quidam rigor in hac re cum sacerdotibus est maior caritas quam nimia indulgentia, quia ex illo rigore maiora bona pro ipsis et pro animabus eis commissis evenient quam ex nimia indulgentia.

VI. Etiam valde placent quae in nota 5 referuntur de indole communitaria breviarii et mihi videtur ut in textu schematis sunt inserenda, nam breviarium est supplicatio officialis Ecclesiae et nomine Ecclesiae recitanda et ideo semper retinere debet spiritum communitarium, etiam

cum privatim recitatur. Qui spiritus communitarius temporibus hodiernis magis est commendandus.

VII. Circa n. 73, in lin. 7, post verbum « celebrare » addantur sequentia verba: « nisi propter rationabiles causas superior iudicet in alio oratorio esse quandoque celebrandum ».

Ratio:[6] Quia quandoque in ecclesia fiunt labores vel alia ministeria pastoralia, vel etiam quia in quibusdam diebus aestivis vel hiemalibus, vel propter alias causas, recitatio in ecclesia evadit difficilis et onerosa, et aliis in locis commodius et devotius recitari potest.

In lin. 12 eiusdem n. 73, haec addantur: « ita tamen ut tantum sint obligatae sub gravi communitates quae saltem octo religiosos choro obligatos habeant, et dummodo ex istis sint saltem quattuor actu legitime non impediti. Aliae communitates sint etiam obligatae ad recitationem divini Officii in communi, sed ad tenorem constitutionum ».

Ratio:[7] Quia in parvis domibus difficile evadit onus adimplendi recitationem choralem divini Officii et nimias anxietates specialiter superioribus affert. Namque saepe difficile est scire quando religiosi sunt actu legitime impediti. Ante Codicem Iuris Canonici, saltem in Ordine Praedicatorum, erat obligatio recitationis choralis Officii divini tantum in conventibus prioralibus, qui saltem octo sacerdotes debebant habere. Aliae domus erant obligatae ad recitationem in communi, sed tantum vi constitutionum.

VIII. Praeterea episcopis et superioribus concedatur amplior facultas dispensandi suis subditis ab obligatione privatae recitationis divini Officii. *Ita multae difficultates solvi possunt, quin habitualiter determinatis diebus dispensentur, et quin sit necessaria maior abbreviatio.*[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ad explicanda vel confirmanda quae de Divino Officio in schemate proponuntur, nn. praesertim 69, 70, 71, pauca dicam. [2] deest. [3] II. Aliam quaestionem (non autem thesim), dignam quae consideretur, proponere audeo: utrum melius sit psalmos, eos sane qui imprecationes late efferunt ideoque imprecatorii appellantur, e Divino Officio expungere. Tribus rationibus fulciri quaestio haec videtur:

Prima: Absque dubio eiusmodi psalmi, utpote inspirati, verbum Dei sunt sicut et reliqui, ac nullum errorem continent: ideoque recitari possunt secundum rectam interpretationem suam. Eorum tamen expressiones nimis imperfectam Veteris Testamenti revelationem significant et nimis imperfectam illius aetatis moralitatem sapiunt. Unde mirum non est, eos minus aptos videri ad spirituales et excelsos effectus exprimendos, quos plenior Novi Testamenti revelatio magis puros magisque sublimes promovet et exigit: praesertim quoad mandatum amoris, quod Dominus Iesus ipse novum vocavit, et quod revera totius christianae religionis essentia proclamatur. Exempli gratia, quosdam psalmorum versiculos cito: Ps. 68: « Obscurentur oculi

eorum (idest inimicorum) ne videant, et dorsum eorum semper incurva. Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, et non intrent in iustitiam tuam. Deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur ».

Ps. 108: « Constitue super eum (scilicet inimicum) peccatorem, et diabolus stet a dextris eius. Cum iudicatur exeat condemnatus, et oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies eius pauci, et episcopatum eius accipiat alter. Fiant filii eius orphani, et uxor eius vidua. Fiant nati eius in interitum: in generatione una deleatur nomen eius ».

Ps. 136: « Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram ».

Certo psalmista, Deo inspirante, loquitur eiusque verba recte intelligenda sunt: quae tamen expressiones ad aliud, ut ita dicam, Revelationis « tempus » sat imperfectum attinent, quod Evangelii plenitudine superatum fuit, maxime si animadvertimus ad novum caritatis praeceptum.

Gradatim ac partialiter, pro diversis temporibus, revelatio ad homines facta est et tantum Christi praedicatione completa. Quare huiusmodi psalmi, prius revelationis tempus omnino patefacientes, diebus nostris minus apti sunt ad sublimes caritatis effectus excitandos et exprimendos.

Itaque nulla quaestio est, cum nec esse possit, de eorum psalmorum inspiratione aut de eorum utilitate in Divino Officio persolvendo; magis tamen inquirendum est, utrum pro illis alii magis apti psalmi substituantur.

Secunda. Nonnullas locutiones in Liturgia omittere aut mutare, eadem suadente causa, novum non est, sed pluries factum. Ita in Liturgia maioris Hebdomadae, iuxta recentes rubricas, expuncta fuit locutio: « pro perfidis Iudaeis », et in oratione « Ut famulos » quae aliquibus nationibus recitatur, verba « inimicos contere », etc., in alia pulcherrima mutata sunt, quae melius cum Evangelii natura et hodierna psychologia consonet.

III. Quae de revisendo psalterio dicuntur, placent, sed loco verborum « respectu habitu latinitatis et usus liturgici », ponatur: « respectu habito latinitatis christianorum primaevae et usus liturgici ».

[4] videntur esse contradictoria; nam si matutinum regere debet indolem nocturnae laudis, aptari nequit ut qualibet diei hora recitari valeat. [5] deest. [6] Unde paragraphus sic maneret: « *a*) Communitates choro obligatae tenentur ad Officium Divinum quotidie in choro celebrare, nisi propter rationabiles causas superior iudicet in alio oratorio quandoque esse celebrandum ». Ratio est sequens: [7] Paragraphus enim sic remanebit: « totum Officium aut partem illius, ceteri Ordines et congregationes religiosae, secundum proprias constitutiones, ita tamen ut sint obligatae sub gravi communitates quae saltem octo religiosos choro obligatos habeant et dummodo ex istis sint saltem quatuor actu legitime non impediti. Aliae communitates sint etiam ad recitationem in communi ad tenorem constitutionum obligatae ». Ratio est sequens: [8] deest.

14

Exc.mus P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Venerabiles Patres Conciliares,

1. ...[1] Toto corde adhaereo sententiae quae vult ut revisio psalterii, de qua in art. 69, fiat non solum iuxta hebraicam veritatem sed etiam ratione habita latinitatis christianae: latinitatis, inquam, illius quae elaborata et in Ecclesiae usum inducta fuit ab antiquioribus latinis christianis scriptoribus, ea de causa ut Romanorum sermo accommodaretur ad novae religionis *ideas ac* [2] necessitates. Propono, insuper, ut clare statuatur in schemate christianam latinitatem adhibendam esse etiam in aliis textibus latinis liturgicis sive recognoscendis sive ex novo conficiendis.

2. Ad art. 73, pag. 187. Quamquam censeo non in hoc schemate de sacra Liturgia, sed potius in schematibus de disciplina cleri et de religiosis, agendum fuisse de obligatione iuridica et morali Divini Officii recitandi, iis tamen suffragium do qui iure meritoque Patres Conciliares obsecrati sunt ne concederent imminutionem temporis orationi officiali Ecclesiae destinati, admissa quidem rationabili mutatione in structura breviarii. Suprema enim exigentia pastoralis ea est, ni fallor, ut sacerdos sit vere pastor, intus et in cute, sollicitus de animarum salute, paratus, si sit opus, ad vitam ipsam pro ovibus profundendam. Quaero igitur num id obtineri possit minuendo tempus orationis publicae an potius augendo; activismum exaggeratum iamdiu Ecclesia reprobavit; nos episcopi morali officio adstringimur impediendi quominus sacerdotes nostri ita exterioribus occupationibus obruantur, ut tempus orandi sufficiens, sufficiens *dico,*[3] relate ad hodiernas spirituales necessitates et pericula invenire non possint; quod si ita fieret, cum S. Bernardo, occupationes illas « maledictas » vocare deberemus, ab eisque sacerdotes nostros retrahere. Non solvitur magnum apostolatus problema, subtrahendo a recitatione breviarii quindecim vel viginti minuta.

Ceterum mirum et fere scandalosum appareret christifidelibus, quos semper nos ad orandum urgemus, audire Patres Conciliares tempus orationis sacerdotibus minuisse. Certissime non hunc fructum a Concilio exspectant!

3. Ad art. 77, in pag. 188. Minime adstipulor illis qui vellent breviarium in sermone vulgari ...[4] sacerdotibus concedere qui aegre latinam linguam intelligunt. « Veniunt a scholis publicis — *dicunt* [5] — ubi

sermo latinus non colitur ». Respondeo: numquid, in illis scholis publicis, christiana philosophia et sacra theologia traditur? Minime. Et tamen nemo episcopus, ut opinor, eos ad sacerdotium admittit nisi prius in philosophia et theologia excolantur per aliquot saltem annos. Igitur a pari, simul discant et sermonem latinum, saltem christianam latinitatem, quae facilior est quam classica; secus, illi sacerdotes, non solum aegre intelligent breviarium, sed quod peius est, ne missale quidem, intelligere poterunt.

Ceterum, nonne videmus ut hodie laici, etiam adulti, ratione sive suae culturae augendae, sive laboris inveniendi, unam vel alteram linguam exteram addiscant? Ergo, quod laici faciunt, humanis considerationibus ducti, faciant et clerici, ut ingentes thesauros Ecclesiae latinae in suo ipsissimo fonte haurire valeant. Quod si dentur casus omnino speciales, recurrat episcopus ad Sanctam Sedem, vel suis facultatibus utatur, si quas habeat aut habiturus sit; sed de hac re, nihil Concilium generaliter statuat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Quaedam quae mihi dicenda occurrerant, iam hesterna die ab aliis praeoccupata sunt; ideo votum meum scriptum secretario generali trado. Quae sequuntur vero in aula nota facere desidero: [2] deest. [3] inquam. [4] illis. [5] inquiunt.

Animadversiones additae:

Ad n. 69. In schemate de sacra Liturgia saepe sermo fit de recognitione textuum liturgicorum; ad Psalterium autem quod attinet (n. 69), recognitio proponitur, quae respectum habeat « *latinitatis* et usus liturgici », attamen ibi minime declaratur de quonam latinitatis genere agatur, utrum scilicet de latinitate classica, quam vocant, an de latinitate christiana. Quae *latinitas christiana,* uti hodie communiter appellatur etiam in documentis pontificiis (cf. « Ordinationes » ad const. « Veterum sapientia » exsequendam), illud genus latinitatis complectitur a philologis lingua specialis nuncupatum quod elaboratum et in Ecclesiae usum inductum fuit ab antiquioribus latinis christianis scriptoribus hac de causa, ut nempe Romanorum sermo accommodaretur ad novae religionis necessitates. Haec latinitas christiana Medio Aevo viguit eiusque perfectissima specimina in antiquis textibus liturgicis inveniuntur. Eius usus in recognitione librorum liturgicorum ob has rationes commendatur:

1. Maxima est praestantia huius latinitatis christianae, quae sive ob terminologiam doctrinae christianae respondentem, sive ob styli simplicitatem cum nobilitate coniunctam, sive ob spiritum pietatis qua penitus imbuitur, mirum in modum christiani cultus exigentiis aptatur.

2. Incongruum videretur si, dum haec latinitas apud doctos viros magis magisque in honore est, catholica Ecclesia eamdem negligeret, eo vel magis quod post recentiores investigationes ac tot philologica instrumenta hodie nobis praesto est amplissima materiae copia, adeo ut textus liturgici ad pristinam christianae latinitatis pulchritudinem restitui possint.

Quae dicta sunt, maxime valent cum agitur de Psalterio, cuius recognitionis

opus schema peropportune commendat ut ad finem perducatur (cf. n. 69). Qua in re hae normae sequendae esse videntur:

1. Ratio habeatur *Hebraicae veritatis* et perspicuitatis textus.

2. Quantum fieri potest, servetur textus Vulgatae, quae semper in usu fuit Ecclesiae et eius dictionibus universa ecclesiasticorum scriptorum opera perfusa sunt.

3. Emendationes fiant vocibus et dictionibus a latinitate christiana desumptis, ita ut nova recensio eumdem stylum et colorem prae se ferat.

4. Ratio habeatur egregiorum inceptorum, quae hac in re hucusque inita sunt, praesertim vero *Novae recensionis Psalterii secundum Vulgatam,* quae iam parata est a Patribus Benedictinis.

Quamobrem haec propono:

1. Statuatur ut semper latinitas christiana adhibeatur in textibus latinis liturgicis sive recognoscendis sive ex novo conficiendis.

2. Statim procedatur ad recognitionem Psalterii latini, instituta virorum doctorum commissione, qui compertas habeant quaestiones de latinitate christiana et, si opus fuerit, auxiliatricem operam etiam laicorum hominum hac in re peritorum advocare possint.

In n. 73, pag. 187, quasdam vobis propono animadversiones.

1. Dubitare liceat num in schemate de S. Liturgia sit idoneus locus agendi de obligatione, profecto iuridica et morali, Officii Divini recitandi, cum potius id pertineat schematibus apparandis de disciplina cleri et, respective, de Religiosis.

2. Minime placent, unde auferenda censeo, verba introductoria huius articuli, nempe « Cum infirmitas humanae naturae postulet ut quid minimum orationis praescribatur ». Mira profecto affirmatio principii, quae mihi vix componi posse videtur cum instantibus adhortationibus ad orationem ex parte D. N. I. C., Apostolorum, Patrum et asceticorum scriptorum Ecclesiae! Sacerdotes et religiosi libere amplectuntur statum, cuius intima medulla constituitur spiritu et exercitio orationis; ergo possunt, immo debent, obligari ad orandum nomine Ecclesiae, non quidem ea mensura quam infirmitas humanae naturae postulet, sed potius ea mensura quam Ecclesia, spiritu Christi ducta, necessariam censeat ad gloriam Dei et animarum bonum.

3. Quidam optare videntur ut Concilium minuat temporis spatium destinatum ad Divinum Officium recitandum, idque ob assertas rationes pastorales. Quibus omnino repugnandum existimo ob sequentes causas:

a) Suprema exigentia pastoralis ea est, ni fallor, ut sacerdos sit vere pastor, intus et in cute, sollicitus de animarum salute, paratus, si opus sit, ad vitam ipsam pro ovibus profundendam. Quaero igitur num id obtineri possit minuendo tempus orationis publicae, an potius augendo! Activismum exaggeratum iam diu Ecclesia reprobavit. Nos episcopi morali officio adstringimur ne sacerdotes nostri ita occupationibus exterioribus obruantur, ut tempus orandi sufficiens — sufficiens dico, attentis necessitatibus et periculis nostrorum temporum dimetiendum — non habeant. Quod si ita fieret, cum S. Bernardo occupationes illas « maledictas » vocare deberemus, et sacerdotibus prohibere!

b) Finis non ultimus huius Oecumenici Concilii est renovatio spiritualis nostra et nostri cleri. Magis supernaturaliter est nobis cogitandum, operandum, vivendum: anima cuiuscumque apostolatus est oratio. Nonne esset scandalum pro

christifidelibus, qui semper a nobis urgentur ad orationem, audire Patres Conciliares egisse de minuendo tempore orationis cui Sacerdotes incumbere teneantur?

c) Numquid solvetur magnum apostolatus problema subtrahendo a recitatione Breviarii quindecim vel viginta minuta? Minime: immo, nedum aliquid incrementi, non parum damni patietur! Ceterum nonne videmus ut, inter sacerdotes nostros, zelantissimus quisque ingeniosissimus sit in inveniendo tempore non solum pro precibus imperatis vel ab Ecclesia commendatis, sed etiam pro precibus supererogatoriis, v. gr. pro quotidiana recitatione trium integrarum partium Rosarii Marialis?

Maneat ergo, Patres, quaeso, ut nunc est spatium temporis destinatum Divino Officio recitando. Quoad structuram, e contra, plaudo immutationibus propositis a schemate, eum in finem ut Breviarium magis fiat scripturisticum, patristicum, asceticum, varium ideoque dulce. Forsan abs re non erit duas species Breviarii conficere: unam pro monachis aliisque ex instituto deputatis ad laudes Dei sollemniter concinendas, aliam pro clericis in curam animarum incumbentibus. In hac altera Breviarii specie — integro manente, ut dixi, temporis spatio pro recitatione — ea omnia auferantur (v. gr. versiculos, responsoria etc.) quae vitam et consuetudines monasticas et chorales sapiunt. Item opportunum erit ut auctoritative determinetur quaenam pars futuri Breviarii emendati materiam gravem constituat: idque ad auferenda scrupula et laxitudines.

4. Propositum est ut concedatur usus Breviarii in lingua vernacula etiam illis sacerdotibus qui aegre linguam latinam intelligant. Utrum tales de facto habeantur sacerdotes vix credi potest. Si de facto habeantur, nonnisi casus rari et extraordinarii praesumendi sunt. Iamvero de hac re rara et extraordinaria, profecto mira et nonnihil piarum aurium offensiva, ne Concilium loquatur!

In singulis casibus, sicut fit pro caecutientibus, recurrat ad S. Sedem vel utatur episcopus facultatibus suis, si quas habeat in praesens vel in futurum habiturus sit.

Pag. 187, lin. 2: addatur post « seu Pater noster » « et Ave Maria ». Secus Breviarium saepissime fieret omnino expers recordationis erga Matrem Dei, quod ad pietatem sacerdotalem minime confert!

15

EXC.MUS P. D. BERNARDUS YAGO

Archiepiscopus Abidjanensis

Venerabiles Fratres,

Postquam em.mi Patres cardd. Frings et Léger optime locuti sunt, neque pro breviarii horarum minore numero, neque pro linguae vernacularis usu, necessarium esse censemus amplius argumentandi. Pauca tamen *dico,*[1] primo de matutino, deinde de reliquis horis.

1. Attentivo lectori schematis de sacra Liturgia, huius schematis auctores videntur difficultates invenisse cum matutino locum dare voluerunt, propter indolem nocturnam huius horae; si ergo matutinum in

vita hodierna tempus aptum non habet, quare haec hora totis viribus defenditur? Nonne tollenda, aut melius mutanda est, ita ut *huius* [2] loco, instaurentur lectiones curate selectae, et satis continuae, e Sacra Scriptura et Sanctis Patribus sumptae, sine psalmis nec hymno? Hoc lectionis officium obligatorium sit, et locum habeat lectionis sic dictae spiritualis, in qua multi sacerdotes cibum spiritualem hodie quaerunt postquam a matutinis horis, fere numquam intellectis, se quam primum liberaverunt.

2. Loquar de reliquis horis. Laudes et vesperae, necnon completorium retineantur, sed unica hora minor sufficit ad sanctificationem meridiei. Si enim addantur oratio mentalis, missa, rosarium marianum, oratio ad Sanctum Sacramentum, nemo non videt orationem a vita sacerdotis non tolli. Hoc votum autem non dico ut tempus orationis brevietur, sed ut sacerdotes tempus habeant melius orandi, non iam breviarium quasi currendo legentes neque torquentes conscientiam suam ob obligationem nimis onerosam. Scimus omnes orationem non esse in multiplicatis verbis, et, nisi longe a sacerdotibus nostris vivimus, confiteri debemus, multos dioecesanos presbyteros officium divinum legere hora meditationis quotidianae, hora precationis ante Sacratissimum Sacramentum, in singulis et totis liturgicis functionibus quibus adsunt. Vidimus etiam, *cum liceat in hac aula cum libertate et sine dolo loqui, vidimus etiam,*[3] hic in hoc augusto conventu episcopos nonnullos breviarium legentes dum Sanctam Missam celebramus. Nonne iudicatis huiusmodi consuetudines in vitam spiritualem presbyterorum nostrorum perniciosas esse? Nonne officii nostri remedium quaerere?

Quare loco textus in schemate propositi, pag. 186, linn. 8 ad 12, sequentia propono, *non solum in nomine meo, sed nomine multorum episcoporum Africae, praesertim omnium episcoporum Africae Occidentalis:*[4] « 1) Hora quae matutinum vocatur, ita aptetur ut officium lectionum fiat, e Sacra Scriptura aut e sanctis Patribus diligenter selectarum et satis continuarum, qualibet hora diei recitandarum, sive in textu originali, sive in versione, in lingua vernacula ab episcopalibus Conferentiis approbata. 2) Una hora minor ita instruatur, ut tempore competenti recitari possit ad meridiem sanctificandum ».

Venerabiles Patres, haec vota, quaeso, benigni audite, pro vita spirituali sacerdotum nostrorum, pro *quoque* [5] vita spirituali nostra. Dixi.

In textu scripto dato: [1] dicam. [2] eius. [3] deest. [4] nomine magis quam 200 episcoporum Africae. [5] deest.

16

EXC.MUS P. D. IOSEPH SOUTO VIZOSO
Episcopus Palentinus

Em.mi Praesides, venerabiles Patres,

Liceat mihi quasdam animadversiones proponere circa capitis IV prooemium et nn. 73, 76, 77 schematis de sacra Liturgia.

1. Circa prooemium. Recte videtur ad personas Deo sacratas, etiam non sacerdotio initiatas, fieri extensio illius summi honoris Sponsae Christi, quem participant dum Officium persolvunt communitarie ex proprii instituti constitutione et ex personali consecratione Dei famulatui, ut, scilicet, non solum in beneficium totius Ecclesiae, sed etiam magis minusve in eius nomine orent ...[1]

Quoad moniales speciatim, historice constat eas Officium divinum sumpsisse a monasteriis virorum, in quibus Officium ortum habuit, ante extensionem ad clerum universum, quando pauci erant adhuc monachi sacerdotio initiati. Tamque vero communitates virorum quam monialium conventus Officium laudis perennis velut organa Ecclesiae persolvere consueverunt, caelitibus spiritibus coniuncti, ad Deum laudandum, ad gratias ipsi reddendas nomine totius Ecclesiae, ad iustitiam divinam placandam, et ad impetrandas Dei misericordias et gratias per Christum Dominum nostrum « in aedificationem Corporis Christi ».

2. Ad n. 73, *de obligatione Officii divini.*

Attenta magna efficacitate Officii divini, ex una parte, et ex alia lugenda nostrae humanitatis fragilitate, expedit ut disciplina actualis servetur circa gravem obligationem recitandi integre horas canonicas, ita ut grave peccatum committat qui, sine causa excusante, etiam unam horam minorem omitteret; iste est enim sensus can. 135 et communis moralistarum doctrina.

Non sunt timendae defectiones ex parte sacerdotum qui magis laborare tenentur in pastorali servitio, sed ex parte eorum qui, forte oblectamentis mundanis nimioque studio externae activitatis ...[2] intenti, parvipendunt orationem et vitam spiritualem propriam et in Officio divino recitando fastidientes, ipsum ad horam postremam differunt, quando corpus quietem exposcit et somno *magis*[3] obruitur.

Itaque revideatur Officium cum opportunis abbreviationibus et facilitatibus; sed retineatur conceptus canonicus et moralis de obligatione gravi singulas horas recitandi.

Et foveatur in neosacerdotibus clara conscientia excellentiae di-

vini Officii in quo — ait Pius XII, in Encyclica *Menti Nostrae* —, « Christus orat pro nobis ut sacerdos noster, orat in nobis ut caput nostrum, iuxta verba S. Augustini; proindeque sumus veluti vox Christi et vox Ecclesiae dum laudamus Deum et pro fratribus deprecamur, consociati angelis et beatis in choro caelesti aeternaliter laudes divinas concinentibus ».

3. Ad n. 76, de tempore recitandi Officium.

Optandum videtur, ut in schemate constet facultas anticipandi Matutinum etiamque Laudes, propter meliorem Officii distributionem. Allata ratio ad differendas Laudes, nempe quia est oratio matutina, saltem extra monasteria magis apparet in Prima, in qua habentur peculiares orationes sive consecrationis operum novi diei, sive postulationes divinorum auxiliorum supernaeque benedictionis super nos et super actus et eventus diei incepti. Eadem ratione, haec facultas anticipandi Laudes etiam expedire videtur Capitulis Cathedralibus concedenda, ut *plura* [4] desiderant.

4. Denique, ad n. 77, de lingua adhibenda.

Sub littera *b*) apte proponitur possibilitas concedendi licentiam monialibus aliisque non clericis, ad divinum Officium obligatis, ut ipsum persolvant lingua vulgari, ope versionis legitime approbatae. Quod quidem valde opportunum apparet; sic enim intelligentes sensum verborum, magis fovetur mentis attentio et cordis affectus in recitando vel cantando, eaque ratione finis obtinebitur de interna animi devotione, quae in n. 78 commendatur.

Hoc vero respondet sensui et verbis Sanctissimi Pii XII in Encyclica *Menti Nostrae,* quando scripsit: « non agitur solum de recitatione formularum, vel de cantis, etc.; sed potiore ratione de ascensu mentis animique nostri ad Deum, ut cum beatis spiritibus laudes eidem concinentibus copulemur ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Namque Sanctissimi Patris Pii XII, in enc. *Mediator Dei* sunt verba in prooemio posita, nempe: « munus laudandi Deum et pro singulis interpellandi a sacerdotibus *aliisque* fiat in hanc rem ipsius Ecclesiae instituto delegatis ». Et in can. 134 C.I.C. non solum sacerdotibus, sed « omnibus clericis in maioribus constitutis » onus imponitur recitandi quotidie et integre horas canonicas. [2] — haeresis actionis —. [3] deest. [4] deest.

17

REV.MUS P. D. VILLELMUS VAN HEES
Magister generalis O.S.Cr.

Em.mi et exc.mi et rev.mi Patres,

Canonicorum Regularium cuidam Ordini adhaerens, qui a Capitulo Cathedrali Leodiensi originem duxit, hisce humiliter vobis mentem necnon observationes meas super cap. IV de divino Officio proponere intendo ...[1]

Quoad substantiam capiti huic libenter aggredior. Attamen, impressioni me subtrahere non valeo, quod, dum in cap. II « De Sacrosancto Mysterio Eucharistiae » per concelebrationis institutionem ac vividae totius cleri ac populi participationis promotionem, moderante ipso episcopo, ad socialis characteris Sacrae Missae restaurationem tenditur, in hoc quarto capite illa socialis tendentia ad minimum aliquod restringitur dum agitur de divino Officio, quippe quod est Coenae propitiatoriae quasi corona circumdans necnon illius fructuum gustatio intima.

Quemadmodum in Missae celebratione, prout fit in ritu romano, socialis character magnopere obliteratum est, ita non minus in illo divino Officio, cui, eheu! nomen Breviarii accidit. Nihilominus huic precandi rationi orationis socialis nomen verissime convenire illico patet, non solum ex sanctae Matris Ecclesiae ordinatione, sed non minus ex tota illius forma atque structura. Circumstantia, exhibens quod ad normam novissimarum rubricarum « Dominus vobiscum » in privata recitatione omittitur, huic facto minime derogat. Divinum Officium totius Ecclesiae orationem constituit, tam clericorum quam laicorum, prout ex ipsa origine liquet.

Exinde *propositum I* sic se habet: N. 73 addatur: « in seminariis dioecesanis tam professores quam alumni diebus dominicis ac festivis ad divini Officii recitationem in choro obligentur ». Ratio est: futuri sacerdotes Officium divinum addiscant tamquam orationem socialem, priusquam ad praxim recitationis privatae obligentur.

Propositum II omitto.[2]

Propositum III. Si concelebrationem, de qua in cap. II, a Sacrosancta Synodo assumi contingeret, optandum foret, ut huic concelebrationi obligatio connecteretur, illi quamdam divini Officii partem praemittendi, prout nunc pro Missa conventuali praescribitur et communiter a clero, obsequiis confratris defuncti adstante observatur. Quapropter n. 73, lin. 12 addatur: « saltem unam horam canonicam sacerdotum

conventus concelebraturus ante Missae celebrationem ». Ratio est: communem sacram functionem communis praeparatio ut praecedat decet.

Propositum IV omitto.[3]

Propositum V. Datis difficultatibus quoad privatam Breviarii recitationem ex *ipso*[4] cumulo laboris profluentibus, nihilominus attenta consideratio interni huius rationis precandi valoris tam pro Ecclesia quam pro sacerdotis propria vita spirituali valde suadenda est. At cum quandoque cumulus exercitiorum spiritualium sacerdoti absque ipsius culpa internum mentis dilemma creare queat, proponitur ut inter nn. 73 et 74 haec inserantur: « Sacerdotes cleri dioecesani et missionarii qui per semihoram orationi mentali vacant eo die a recitatione horae, quae Matutinum vocatur, eximuntur ».

Ratio est: Breviarium, utpote privata Officii divini recitatio, ex duobus elementis coalescit, quae sunt « sacrificium laudis », quod maxime per psalmos exprimitur et « lectio divina » ex Sacra Scriptura et Sanctorum Patrum operibus deprompta, quae quotidianam orantis exhortationem atque nutrimentum spirituale constituit. Hoc alterum elementum tantum per meditationem substitui posse patet, maxime cum huius meditationis materia ex Matutini lectionibus apte sumi potest, quod sane accommodatiorem textuum discretionem perficiendam esse suadet.

Propositum VI. Cum cumulus exercitiorum spiritualium maxime ...[5] ortu diei etiam religiosis choro obligatis, sed simul curae animarum vel instructioni iuventutis addictis, non raro obstaculum quoddam creare queat, proponitur ut post n. 74 inseratur: « Sacerdotes regulares, qui Missae conventuali, servatis rubricis, actuose assistunt, eodem die a praecepto iuris communis (can. 595, par. 2) quoad meditationem privatam eximuntur ».

Ratio est: religiosis choro obligatis cultus divinus et maxime Missa conventualis totius vitae spiritualis fons ac cardo est, cui sese attenta ac vivida mente prorumpens anima in unione cum Ecclesia sancta intime Deo coniungitur et divinae gratiae rore aspersa crescit in Christo de die in diem. Attamen, si exercitia spiritualia nimie cumulantur, divini Officii nimis rapide *persolvi*[6] periculum generatur. Ita tandem magnum huius communis Ecclesiae orationis commodum obfuscari posse non est dubium; nec obliviscatur religiosos plerumque ad quotidianam lectionem spiritualem obligari, quam meditationi apte *consubstitui*[7] posse omnes norunt.

Propositum VII omitto.[8]

Tandem attente consideretur, quod dum plurimi religiosi in Officio persolvendo proprium ritum *et Officium*[9] observant, alii tamen quam-

plurimi ritum romanum sequuntur; ita omnis romani ritus modificatio, etiam ad illos spectare oblivisci non debet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (quibus, ni fallor, canonici quamplurimum consentiunt). [2] Propositum II. Definitum sub n. 73, lin. 13 quoad formam evidenter desumptum est a can. 610 par. 3, ubi recensentur « religiones sive virorum sive mulierum, quibus est chori obligatio ». In redactione n. 73 tamen subiecto substituuntur « omnes autem illarum communitatum *clerici* », ita ut « conversi » (lin. 14) non iam viri ac *mulieres,* sed solos *fratres* conversos indicat. Exstant tamen pari iure sorores conversae. Quapropter lin. 13 potius dicatur: « omnes autem illarum communitatum sive virorum sive mulierum sollemniter professi vel in ordinibus maioribus constituti, exceptis conversis etc. ». [3] Propositum IV. Ad n. 76. Tam canonicis regularibus quam aliarum religionum mixtarum sodalibus qui praeter chori obligationem labori apostolico incumbunt, saepius impossibile videtur Divinum Officium persolvere tempore « quod proxime accedat ad tempus verum uniuscuiusque horae canonicae ». Exinde necessitas patet maioris libertatis concedendae quoad Horarum per diem distributionem. Quapropter addatur quod sequitur: « Si ex nimio laboris apostolici cumulo hic temporis ordo difficulter observari queat, tam choro addicti quam privatim recitantes ad minus Divini Officii ordinem servent, reservato tamen Completorio ad finem diei ». [4] isto. [5] in. [6] persolvendi. [7] substitui. [8] Propositum VII. Ut falsa conscientiae formatio in eis, qui tam laudabiliter apostolatui incumbunt vitetur, necessarium videtur ut omnes Ordinarii (immo superiores minores) facultatem adipiscant dispensandi, ubi necesse in divini officii recitatione. Quapropter inter nn. 76 et 77 haec addantur: « Ordinarius tam dioecesanus quam regularis potestatem habet dispensandi cum subditis suis, quominus in determinatis casibus apostolatus gratia solvantur, sive partim, sive totaliter, ab onere privatim recitandi breviarium, cum facultate huic oneri aliud exercitium substituendi ». [9] deest.

18

Exc.mus P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI
Episcopus Suessanus

Venerabiles Patres,

Quaedam quae iam prius paravi dicenda, iam dicta sunt praesertim ab em.mis cardd. Wyszyński et Godfrey. Pauca ergo animadvertenda remanent.

1. In revisione Psalterii illae tantum mutationes fiant, *puto,*[1] quae necessariae sunt vel ad intelligentiam textus seu versiculorum quorundam vel ad mendas alicuius momenti auferendas. Hinc minimae mutationes, quae synonyma tantum verba inducunt, ne fiant; sed servetur traditionalis et antiquus textus, ne entia sine necessitate multiplicentur, ne difficile sit Patrum citationes invenire qui traditionali textu usi sunt.

2. Non inferantur *demum* [2] mutationes in canticis Novi Testamenti, quae cantica clara sunt, facilis intelligentiae sunt, et etiam a fidelibus fere ubique cognoscuntur.

3. In folio 186, ad n. 71 littera *b*). Valde commendanda videntur quae de lectionibus a Patribus desumendis dicuntur, ne apostolica traditio (cuius Patres testes sunt) paulatim in oblivionem de facto ponatur, dum tantummodo *videtur* [3] de Sacra Scriptura laudabilis cura *haberi.* [4]

Ad litteram *c*). Laudabilis propositio reddendi passiones Sanctorum in Breviario ad historicam fidem; at tali expleta conditione, propono ut restituantur in Breviario tertiae lectiones historicae, quae nuper ablatae sunt pro illis sanctis qui, sine propria culpa, tantum ritu simplici potiebantur. Nunc commemorantur et nihil de his *amplius scitur vel scietur.* [5] Brevissima lectio historica, prouti ante erat et prout etiam hodie manet pro ceteris sanctis (qui prius ritu semiduplici pollebant), confert ad culturam, ad pietatem, ad monotoniam vitandam, ad praedicationes faciendas, quae omnia actionem pastoralem certe adiuvant.

4. *Pro monialibus, sororibus, et fratribus laicis, etc. qui Missam celebrare non debent, certissime lingua vernacula sit pro divino Officio in facultate eorum posse uti. Pro clericis, vero, videtur quod servanda sit* [6] recitatio divini Officii lingua latina. Hodie, *sicut immediatus meus orator dixit,* [7] omnes homines curant plures linguas scire *ob negotiationis causam,* [8] et ad culturam augendam. Quidam vero, qui omnia iuxta temporum exigentias renovare volunt, contra modum agendi omnium hominum, tantum clerum volunt *eximere relate ad linguam latinam.* [9] Si fuerunt difficultates, et hoc revera scio ex experientia quod in quibusdam nationibus sunt ob bellicas rationes, erunt difficultates temporaneae quibus multis modis, praesertim per dispensationes singulares, subveniri potest. Legant insuper sacerdotes Patrum commentaria in Psalmos. Ipsi iidem meditationes super Psalmos interdum instituant, tunc valde devote et fructuose etiam latine orabunt. Ne videamur, venerabiles Fratres, nos laborare complexu novitatis, ita ut nihil factum sit in hoc Concilio si omnia non renovantur; e contra, videamus quae revera renovanda sunt, ita ut maneamus semper fideles in traditione ecclesiastica, praesertim ne obliviscamur quae Sanctissimus Dominus Papa Ioannes XXIII de latina lingua in *Veterum Sapientia* nuper edixit.

Quia si lingua latina tollitur a divino Officio, si tollitur a parte Missae, quaerimus quid maneret de lingua latina? Quae tamen multum iuvat in Ecclesia. Utique, non necesse est ut omnes sciant loqui linguam latinam. Esset optimum sed saltem multum attinet quod sciant omnes saltem intelligere linguam latinam, quia saltem Missam debent celebrare.

Proinde, si aufertur, nihil maneret. Proinde ... (alia utique non respiciunt hoc caput), proinde gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] habetur. Hic sane agendi modus periculis expers non est. [5] scitur. [6] Pro clericis (non vero pro Monialibus, Sororibus, et Fratribus laicis, qui Missam celebrare non debent) servetur. [7] deest. [8] ad commercium seu negotiationes faciendas. [9] servare in linguae latinae ignorantia. [*Reliqua desunt in textu scripto tradito*].

Praeses card. RUFFINI:

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Velitis animum advertere ad id quod nunc profero. Cum iam nihil novi de cap. IV dici possit, consilium praesidentiae, peculiari facultate a Summo Pontifice sibi concessa utens, disceptationibus de eodem cap. IV finem imponendum proponit. Itaque, qui propositioni consilii nostri annuunt, faveant consensionem suam surgendo manifestare, ut clare appareat utrum sint plerique Patrum Conciliarium qui hoc sentiunt. Propterea surgant qui consentiunt.

[*Intervallum*].

Videntur nobis fere omnes consentire nostrae propositioni. Propterea, secundum Patrum Conciliarium sententiam, de cap. IV iam disputatio concluditur. Et aperitur disceptatio de capitibus V, VI, VII, VIII, quae simul consideranda sunt.

Secretarius generalis:

Incipit igitur disceptatio de capitibus quae sequuntur: cap. V: de anno liturgico; cap. VI: de sacra supellectile; cap. VII, de musica sacra; cap. VIII et ultimo: de arte sacra.

Loqui postulaverunt de his capitibus: em.mus ac rev.mus D. card. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis; exc.mi DD. Philippus Nabaa, arch. Berytensis Melchitarum; Antonius Plaza, arch. Platensis in Argentina; Petrus Čule, ep. Mandetriensis in Iugoslavia; Antonius Tedde, ep. Uxellensis in Italia; Ioseph Fenocchio, ep. Apuanus in Italia; Raphaël González Moralejo, ep. aux. Valentinus in Hispania; Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis in Sinis; Ioseph Marling, ep. Civitatis Jeffersoniensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis in Polonia.

Et hodie satis.

19

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Quoad cap. V, de anno liturgico, iterum proponitur ut ea sola eaque omnia recognoscantur, quae ad actionem pastoralem vere iuvabunt.

Festum Paschatis certae dominicae in calendario assignare (pag. 192, n. 85) contrarium est plurisaeculari traditioni Ecclesiae, et non apparet ratio sufficiens ad hanc traditionem mutandam. Dixi.

20

EXC.MUS P. D. PHILIPPUS NABAA
Archiepiscopus Berytensis et Gibailensis Melchitarum

Venerabiles Patres,

De fixatione solemnitatis Paschatis in una invariabilique dominica, de qua agitur in schemate « de anno liturgico instaurando », par. 85, multa dici possunt ob rationes diversas: liturgicas nempe, historicas, scientificas, sociales, et oecumenicas. Attamen, non nisi pauca vellem dicere, et quidem ratione oecumenica tantum, de festo Paschatis stabiliendo in universa Ecclesia et praesertim in regionibus orientalibus, ubi convivunt christiani simul cum non-christianis, et catholici simul cum acatholicis cuiusvis ritus et nationis. Ratio oecumenica hic singulariter retinetur quia bene illustrat id quod significat stabilizatio festi Paschatis in universa Ecclesia. Et sane haec communis solemnizatio paschalis coniungit in unum et adiuvat spem omnium christianorum qui nolebunt in futurum vivere tamquam fratres separati, et exspectant ex hoc Concilio Oecumenico unitatem christianam ampliorem, perfectiorem, et firmiorem.

Haec spes magna in omnibus partibus Ecclesiae Christi vivit et orat, et specialiter in regionibus ubi christiani sunt divisi. In his enim regionibus, quae se extendunt ad totum proximum et medium Orientem, immo ad multas alias nationes occidentales ritus orientalis, unio omnium christianorum valde optatur et requiritur in celebranda et glorificanda resurrectione Christi, Salvatoris totius mundi. Ad hoc autem ...[1] intelligendum, notandum est, quod catholici et orthodoxi concordes non sunt in calendario liturgico sequendo et in fixando Paschate. Iam vero, orthodoxi calendarium non Gregorianum sed Iulianum sequuntur et Pa-

scha celebrant aut simul cum catholicis aut post hebdomadam, aut post 5 hebdomadas.

Ad unicam et gloriosam celebrationem Paschatis, duae principales rationes oecumenicae urgent nos in Oriente:

Ratio prima in eo consistit quod omnes christifideles, cuiusvis ritus et confessionis, unicam fidem habent in Christum, qui a mortuis resurrexit et pro omnibus resurrexit, in una eademque tertia die. Necesse est ergo ut omnes credentes in Christum unum sint in glorificanda eius resurrectione et incipienda nova vita in unitate gratiae quam Christus resurgens nobis meruit.

Considerandum tamen unitatem perfectam inter christianos non nisi paulatim et gradatim fieri posse. Atqui primus gradus, et quidem firmus et necessarius, est unio fratrum Christi in diebus gratiae et salutis. Quamobrem multi sunt christiani qui dicunt, et quidem recte, unionem Ecclesiarum incipere debere unione festorum et praesertim in Paschate Domini nostri Iesu Christi. Iamvero haec manifestatio paschalis communis, si non est unio completa et perfecta, affirmandum tamen esse magnam aedificationem et securam viam ad augendam caritatem et unionem.

Ratio secunda infideles respicit qui vivunt in eadem regione ac christifideles; et sane christianorum divisio in celebrando Paschate, seu divisio ipsius Paschatis, in Pascha primum pro occidentalibus et catholicis, et in Pascha secundum pro orientalibus et orthodoxis, magnum scandalum infidelibus affert. Dividit enim, pro eis, ipsum Christum et eius mysterium passionis, mortis, et resurrectionis. Deinde causam dat eis dubitandi de nostra vera, firma, ac unica fide; immo, per has divisiones christianas spectaculum confusionis et ironiae mundo achristiano offerimus; et omnia haec, proh dolor! in detrimentum fidei vertunt.

Quapropter, ad vitanda scandala et ad unionem fovendam, venerabili Concilio Oecumenico proponitur una ex sequentibus suggestionibus.

1. Ut ad novum et unicum calendarium Paschale elaborandum aliqua commissio mixta, catholicorum scilicet et acatholicorum, instituatur, annuente Summo Pontifice, ne calendarium liturgicum aliud sit obstaculum unioni cum fratribus separatis qui calendarium Iulianum sequuntur.

2. Ut calendarium universale (world calendar) a Societate Nationum confectum et assentientibus fratribus separatis, in Ecclesia universa, orientali et occidentali, acceptetur in ea parte saltem quae attinet ad fixandum Pascha.

3. Si duplex haec propositio verificari nequit, ut Pascha fixetur, de

consensu fratrum separatorum, in secunda dominica aprilis, ut numquam Pascha christianorum veniat ante Pascham Iudaeorum.

...[2] Et in omnibus casibus ut solemnitas Paschatis dominicam fixam habeat pro tota Ecclesia orientali; ita ut omnes unum sint in die resurrectionis et gloriae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] bene. [2] 4.

21

Exc.mus P. D. ANTONIUS IOSEPH PLAZA
Archiepiscopus Platensis

Em.me Princeps, Patres,

Ad schema quod attinet, in cap. V et VIII, prout iacet, meo iudicio, est approbandum, exceptis paucis emendationibus et debitis aliquibus cautionibus adhibitis, et hoc praecipue in nn. 84, 100, 102 et 104, ubi de festis Sanctorum, de imaginibus, et de ornatu sacro fit sermo.

Textus hic certe est laudandus; at cavendae omnino sunt interpretationes, ne sub specie Liturgiae, artis, et etiam boni animarum, debitus usus sacrarum imaginum (et inde etiam cultus Sanctorum) penitus imminuatur, cum detrimento pietatis. Non raro enim quaedam asseruntur et scripto vulgantur quae dura sunt *auditui.*[1] Cultus imaginum, etiam illarum Beatissimae Mariae Virginis, omnino parvipenditur, contra ea quae Summi Pontifices *et praesertim* [2] S. Pius X in Enc. *Ad diem illum laetissimum* et Pius XII in *alia Encyclica, nempe* [3] *Fulgens corona,* de hac re scripserunt.

Populus utique edoceatur de recto usu et debito cultu Sanctorum; sed aliud est corrigere abusus, aliud abolere usum. Sunt equidem ecclesiae in quibus fere nulla imago invenitur; et, si quae invenitur, talis est quae potius dicenda ornamentum quoddam artis, non pabulum pietatis. Proponenda haec igitur sentio:

1. Rite extollatur in instauratione liturgica cultus Sanctorum et maxime Beatae Mariae Virginis, debitusque usus sanctarum imaginum defendatur, etiam contra praetextus artis cuiusdam et liturgismi (sit venia vocabulo).

2. In liturgia instauranda prae oculis habeatur populus humilis, ita ut ad fontes vitae accedat modo suo captui accommodato, ne cum verbis praedicamus praeoccupationem pastoralem, omnia restringamus

de facto ad quosdam selectos coetus, praecepti S. Iacobi in epistola sua, cap. II, 6, etiam in hac re obliti.

3. Tandem et, ni fallor, referens ea quae multi fideles ...[4] cordi habent, votum depromo, ut commemorationes Beatissimae Mariae Virginis de Mercede et de Monte Carmelo in suam pristinam dignitatem in calendario liturgico reponantur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] auditu. [2] deest. [3] deest. [4] ex America Latina.

22

Exc.mus P. D. PETRUS ČULE
Episcopus Mandetriensis

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Liceat, quaeso, aliquas animadversiones facere ad art. 84, cap. V, in pag. 192, schematis de sacra Liturgia.

Articulus mihi quoad omnia asserta placet.

1. Placet assertum festa Sanctorum non debere praevalere festis ipsa mysteria salutis recolentibus. Quod evidens est. Nam Christus Dominus est ille Sol divinus circa quem totus annus liturgicus circumire et moveri debet. Ideo consequenter festa Sanctorum in anno liturgico non nisi locum secundarium et quodammodo periphericum tenere possunt.

Item placet assertum ut pro futuro illa tantum festa Sanctorum in calendario universali ponantur qui revera pro Ecclesia universa momentum habent, dum festa aliorum Sanctorum ecclesiis particularibus celebranda relinquantur.

Sed contra istud omnino iustificatum principium offendit, quod iuxta novum Rubricarum Codicem festa aliquorum Sanctorum qui pro tota Ecclesia bene meriti sunt, etsi non theoretice, tamen practice, postponuntur festis Sanctorum tale meritum non habentibus. Quis enim negare poterit S. Gregorium Magnum, qui suo tempore verum oraculum fuit pro toto orbe catholico, insignia merita pro universa Ecclesia acquisivisse? Idem valet de doctore Angelico S. Thoma Aquinate, cuius vox etiam hodie in omnibus scholis theologicis potenter resonat, quique in Conciliis Oecumenicis saepe citatur. S. vero Benedictus, patriarcha vitae monasticae in occidente, per plura saecula talem influxum in totam Ecclesiam et universim in culturam Europae exercebat sicut nemo alius. Et tamen iuxta novum codicem Rubricarum festa istorum trium Sanc-

torum ad nudam commemorationem rediguntur, quia in tempus Quadragesimae cadunt. Audeo proponere ut ista tria festa vel perpetuo extra Quadragesimam transponantur vel saltem omnibus facultas detur sumendi pro lubitu aut Missam de festo aut Missam de feria Quadragesimae. Simile quid dicendum etiam de festo illius magni Archangeli Gabrielis qui primus nobis evangelium, hoc est, bonum nuntium apportaverit, annunciando Incarnationem Verbi Aeterni.

Hoc loco ubi de festis liturgicis Sanctorum agitur, non videtur praetereundus ille Sanctus qui non tantum momentum magnum et speciale pro Ecclesia omnium temporum habet, sed etiam cuius festa intime connectuntur cum festis mysterium nostrae Redemptionis recolentibus, hoc est de S. Ioseph. Inter dogmaticos satis convenit illum fuisse et esse post Sanctissimam Virginem maximum omnium Sanctorum. Ideo, sunt graves auctores qui pro illo specialem cultum liturgicum, quem cultum « protoduliae » appellant, vindicant. Non est cur Concilium Oecumenicum de nova aliqua terminologia loquatur. Tamen aliquis primatus S. Ioseph inter omnes Sanctos revera dari debet. Nam ille pertinet non tantum ad ordinem supernaturalem simpliciter, sicut alii Sancti, sed ad ordinem superiorem, nempe, hypostaticum. Fuit etenim non tantum sponsus sed verus coniux Beatissimae Dei Genitricis, utique coniux virgineus. Et quod longe maius est, fuit ille pater Domini nostri Iesu Christi, sicut ipsum Beatissima Virgo in templo Hierosolymitano appellavit, *dicendum ad puerum Iesum:*[1] « Ecce Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te ». Fuit ergo S. Ioseph pater Iesu Christi non in sensu metaphorico et translato, sed aliquomodo in sensu vero. Utique cum Dominus de Spiritu Sancto conceptus et de Virgine natus fuerit, non erat S. Ioseph pater eius carnalis et physicus, sicuti iudaei falso putabant; ast quia Dominus in familia S. Ioseph natus erat et ab eius legitima coniuge, fuit pater eius, virgineus quidem, attamen pater. Et eius potestati domesticae Verbum Incarnatum in sua vita abscondita sponte subditum erat, uti S. Evangelista attestatur.

Dignitas ergo S. Ioseph longe superat dignitatem cuiuslibet Sancti. *Hoc*[2] in anno liturgico practice iam agnitum est, cum inter omnes Sanctos solum S. Ioseph duo festa primae classis concessa *fuerint.*[3] Restat adhuc ut Sacrosanctum Concilium huic personali et liturgicae praeeminentiae S. Ioseph coronam imponat, procurando ut nomen quoque S. Ioseph in Ordinarium Missae et praesertim in eius Canonem inseratur, uti aliqui Patres iam proposuerunt. Dico imprimis in Canonem Missae. Nam in Canone Ecclesia caelestis iungitur Ecclesiae terrestri in adorando Christo sub speciebus eucharisticis in altari praesenti. Nonne S. Ioseph potiorem titulum quam omnes alii Sancti habet, ut immediate post

Beatissimam Virginem istam adorationem eucharisticam peragat, cum illi speciale privilegium concessum fuerit, ut primus hominum una cum Beatissima Virgine Christum natum in praesepio adoraret? Praesertim si in mente teneatur Corpus istud in altari adorandum idem esse quod S. Ioseph aliquando in manibus portabat, nutriebat, et vestiebat?

Populus christianus a Concilio exspectat ut iste honor S. Ioseph tribuatur. Gratitudo erga S. Ioseph ad idem nos impellit. Nam quomodo S. Ioseph, quem Summus Pontifex in patronum Concilio dedit, aliter nostrum gratum animum ostendemus pro eius potenti patrocinio quo utimur et quo in posterum adhuc fruemur?

2. In articulo expressis verbis dicitur festa Sanctorum esse colenda quia Sancti fidelibus opportuna praebent virtutum exempla imitanda. Dubito utrum hoc in tota amplitudine de hodiernis Sanctis dici *potest.*[4] Nam hodie regulariter Sancti assumuntur e sodalibus variarum religionum. Illi possunt quidem familiis religiosis optime proponi ut exemplar imitandum. Pro christianis in saeculo illi sunt potius admirandi quam imitandi propter omnimodam disparitatem vitae in saeculo et vitae in monasterio.

Parum erit instaurare vitam christianam et virtuosam, quod est finis principalis huius Concilii, inter personas Deo dicatas, nisi hoc obtineatur etiam inter christianos in saeculo viventes qui numerice centies superant personas ecclesiasticas. Sed reformare vitam laicorum christianorum difficile erit nisi illis offeramus ad imitandum exempla servorum Dei qui in saeculo et in eisdem conditionibus viventes, tamen se sanctificaverunt.

Agricultoribus ergo imprimis ante oculos ponenda sunt exempla Sanctorum agricultorum, operariis exempla operariorum, coniugatis exempla illorum qui se in coniugio et per coniugium sanctificaverunt; viris negotia publica exercentibus exempla virorum a publicis negotiis ...[5]

Praeses card. RUFFINI: Rogo te, exc.me Domine, ut concludas sermonem tuum piissimum! Certiorem te facio nos devotissimos esse erga S. Ioseph et omina proferre ut in Iugoslavia multos Sanctos fore qui vitam degunt in mundo.

Orator: Faxit Deus ut hoc votum quantocius plene et perfecte adimpleatur! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] dicendo. [2] Hunc. [3] fuere. [4] possit. [5] Deo gratias, in Ecclesia semper fuerunt et adhuc hodie sunt viri ac feminae

cuiuslibet status ac condicionis qui in ipso saeculo vitam heroicam ducunt. Essent adhuc plures, si saepius illis de sanctitate sectanda — inter ipsa negotia saeculi — praedicaretur, si ad sequenda vestigia Christi crucifixi incitarentur, si illis semper ductores spirituales praesto essent qui illos per viam perfectionis christianae moderarent. Ex istis personis in saeculo virtutem heroicam exercentibus quam primum saltem aliquae ad honores altaris promovendae essent, ut christiani in saeculo vere apta et sibi accommodata exempla virtutum imitanda haberent. Istis causis, puto, prae omnibus aliis prioritatem esse dandam. Quod ut securius obtineatur, secundum meam humillimam opinionem, duae novae sectiones in S. Congregatione Rituum essent creandae. Una quae curaret causas Servorum Dei qui in saeculo viventes in fama sanctitatis obierint, alia cui eadem cura incumberet quoad servos Dei ex Ecclesia recenter erectis oriundos. Tali modo omnes christiani ubique terrarum degentes revera haberent exempla apta ac sibi accommodata ad imitandum. Si hoc fiat, fiducialiter sperare possumus quod cum auxilio gratiae divinae vita christiana post hoc Concilium in tota Ecclesia efflorescet quodque mox novi sancti in multo maiore numero quam aetate Concilii Tridentini ex omni statu et ex unaquaque natione surgent qui Ecclesiam virtutibus heroicis illustrabunt et ita toto mundo efficacissimum argumentum praebebunt Ecclesiam Catholicam esse vere institutionem divinam Deumque in illa etiam nostris temporibus mirabilia operari.

23

EXC.MUS P. D. ANTONIUS TEDDE
Episcopus Uxellensis-Terralbensis

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Veniam, si aliqua et ego audeo dicere, impetro: *de cap. V, de anno liturgico et de anno liturgico instaurando.*[1] Totum cap. V coarctari mihi videtur anxia sollicitudine austerae (vel potius rigidae) tabulae chronologicae anni liturgici edendae. Quod extra rei naturam mihi videtur. Etenim non tantum ad animi oblectationem et aridam contemplationem mysteriorum SS. Trinitatis et mysteriorum Redemptionis generis humani sacerdotem populumque liturgia trahit, sed colloquium inter Deum et homines inducit, ita ut ad puriores ac ferventiores animi motus et ad optima proposita de moribus renovandis et de meliore vita peragenda actio liturgica per actuosam participationem, gratia Dei adiuvante, christifideles moveat.

Quod si animo semper in re liturgica praestare debet, instantius urget cum de commemorando et fovendo cultu B. Mariae Virginis, Christi Redemptoris hominumque Matris, agitur.

In cap. V de anno liturgico, pag. 190, linn. a 12 ad 17, mihi videtur optandum ut, etsi agatur de prooemio ad instar annuae chronologiae exarato, iam clarescat quanta cum fiducia salutem populorum ubique

terrarum, per suavem et actuosum cultum B. Mariae Virginis, Sancta Mater Ecclesia persequatur. Quare, post verba, « cum gaudio contemplatur », haec mihi humiliter videntur addenda: « ideoque ad amorem Christi eiusque doctrinae fovendum cultus B. Mariae Virginis summopere commendatur ».

Item in par. 1, in pag. 192, n. 84, sermo rigidior immo et aridior videtur, ut fere tantum restrictivae normae traditae appareant, cum dicitur: « festa sanctorum festis mysteria salutis recolentibus ne praevaleant », et infra iterum: « attamen festis ipsa mysteria salutis recolentibus ne praevaleant ». Quae cum ad coercendos non paucos abusus merito dicantur, tamen cultum ipsum sanctorum quasi anxietate coercere videntur. Audeo, igitur, humiliter proponere ut ita textus exaretur: « Festa sanctorum, cum mirabiliter fructus Redemptionis Christi praedicent et hominibus bonae voluntatis opportuna praebeant virtutum exempla imitanda, pia devotione recolantur ut ad eucharisticam pietatem et mores secundum Christi praecepta renovandos trahant. Festis igitur ipsa mysteria salutis recolentibus ne praevaleant. Qui cultus ita peractus, per pastoralem sacerdotum zelum et operam, coetus populi christiani ratio vitae in sanctitate et veritate erit. Plura autem... (et reliqua) ».

Anxiore admiratione afficior cum hic de cultu B. Mariae Virginis nihil dicatur. Cultus ipse B. Mariae Virginis videtur quasi praecaveri, cum de B. Maria Virgine nullus explicitus sermo hic sit *in hac paragrapho.*[2] Humiliter mihi videtur, cum de anno liturgico agatur, optima sedes haec non solum ad commemorandum sed et ad commendandum et fovendum cultum, qui et cultus « hyperduliae » dicitur, erga B. M. Virginem in numero distincto, his verbis, quae humiliter audeo proponere: « Festa B. Mariae Virginis diligentiore catechetica praeparatione pastorali assiduitate praehabita, ad amorem erga Iesum Christum et omnium virtutum ac sanctitatis vitae cultum fovendum, quam maxima devotione et liturgica solemnitate per annum recolantur ».

...[3] Christus Dominus, divinus ac amabilis hominum cognitor et medicus, de cruce Beatissimam Mariam Virginem matrem suam nobis matrem tradidit, nosque *Beatae* [4] Virgini Matri suae filios credidit ut in viam salutis non tantum vi praeceptorum sed et suavi materna dilectione traheremur. Ita Redemptionis et omnium salutis oeconomiam de cruce, in qua victima peccatorum sed et iam Rex et Iudex (tremendae) divinae maiestatis *stabat,*[5] Christus Iesus B. Mariae Virgini Matri credidit, ex cuius assensu quodammodo Redemptio nostra pependit. In Calvario monte velum templi scissum est, terra mota est, petrae scissae sunt, sed iuxta crucem Iesu stabat B. Maria Virgo, mater Iesu ac hu-

mani generis, suavissima amoris luce, mater refulgens. Et ex illa hora humano generi, peccatis pessimis oppresso, per Virginem Matrem, in caelum oculos levare et ad Christum humiliter redire fiducia suffulto fas est. Quae humani generis Redemptorem peperit, ad redemptionem genus humanum trahit suavitate sui amoris, Virgo Revelationis. Si quis B. Mariam Virginem diligit, Christum diligit ...[6] Matris amor ad unitatem familiae filios trahit ...[7]

Praeses: Rogo, exc.me Pater, omnes episcopos esse praedicatores, et praedicantibus non praedicatur. Propterea rogo te ut dicas sententiam tuam de capitibus, quae sunt in controversia.

Orator: *Breviter de cultu S. Iosephi.*[8] Ingravescente materialismi et, ut aiunt, terrenismi periculo, cum omnes relationes vitae familiaris et socialis ita videantur in diem hoc veneno imbutae ut ipsi christifideles incauto pede associationes adeant quae spirituales vitae rationes minimi habent, immo et reiciunt, opportunum mihi humiliter videtur commendare et fovere, auctoritate magisterii liturgici, cultum S. Ioseph opificis et sponsi B. Mariae Virginis. Cuius, igitur, commemoratio in canone Missae et in litaniis maioribus continuo post invocationem B. Mariae Virginis optatur.

S. Ioseph, sponsus B. Mariae Virginis, vir iustus...[9]

Humiliter igitur peto ut ...[10] post peculiarem B. Mariae Virginis commemorationem, haec verba adiungantur: « cultus vero S. Ioseph, opificis, B. Mariae Virginis sponsi, et Ecclesiae universalis patroni, summopere commendatur, ut unitas et indissolubilitas matrimonii christiani omnesque virtutes quae familiae christianae propriae sunt, maxime foveantur ».

Occasione data, mihi liceat adhuc humiliter petere ut ad anxietates fugandas quae passim insurgunt, quam primum codex de re liturgica edatur et promulgetur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Brevis autem sermo meus erit. [2] deest. [3] Ratio haec est: [4] Beatissimae. [5] exstabat. [6] Si quis B. V. Mariam diligit, viam veritatis adiit. Si quis B. V. Mariam diligit, facilius mandata Christi suae vitae rationem facit. [7] B. M. Virginis amor et cultus ad unitatem fidei, caritatis et regiminis sub auctoritate Romani Pontificis et episcoporum cum eo consentientium suaviter trahet. Experientia pastoralis hoc edocet. Itaque quam generosissimis verbis filialem cultum erga B. V. Mariam omnium gratiarum universalem mediatricem haec Oecumenica Synodus commendet, cum in sui Magisterii studiis ac negotiis Reginam, Matrem et Magistram, ut in primo coetu Apostolorum, Virginem Mariam in caelo Liturgiae stellam clarissimam invocat. Suavissima B. M. Virginis

intercessione apud Deum et ope amoris in hominum mente et corde suavissime operantis, fiet unum ovile et unus pastor, cum Christo, cum Petro. [8] deest. [9] opifex humilis, laboriosus, condicionis suae contentus, totus Divinae Providentiae deditus et subditus, omni coetui operario, qui nunc temporis quam plurimum vi sua in re sociali valet, exemplo atque praesidio erit, ut dum prosperitatem oeconomicam persequitur, vitae aeternae consulere discat. [10] in cap. V, pag. 192, n. 84.

24

Exc.mus P. D. RAPHAEL GONZÁLEZ MORALEJO

Episcopus tit. Dardanius, aux. Valentinus

Em.mi Praesides, venerabiles Patres,

Cum caput de anno liturgico attingimus, necessarium duco vestrum animum intendere in quaestionem, quae mea humili sententia, sed et nonnullorum liturgicorum quos consului, *magni momenti est. Est enim aliquid in ipsa essentia liturgiae de quo adhuc nihil audivimus. Et tamen secundum multorum sententiam oportet illud nitidiore in lumine collocari.*[1] Sacra nimirum Liturgia commemorativum characterem *imprimis* [2] habet, ut satis apparet initio huius capitis *de anno liturgico,*[3] ubi dicitur: « Sponsi divini opera salutifera, statutis diebus in anni decursu, pia Mater Ecclesia sacra semper recordatione celebrare contendit »...[4]

Liturgia, praeterea, characterem habet eschatologicum, sicut patet capite I huius schematis, par. 4, ubi Liturgia ipsa esse dicitur, « praelibatio illius caelestis Liturgiae, quae in sancta civitate Ierusalem, ad quam peregrinamur, celebratur ».

Habet aliunde Liturgia characterem socialem, quem Patres nonnulli rectissime vindicaverunt, quorum sententiis et argumentis ex toto corde adhaereo.

Sed inculcandus ulterius est *universalis seu* [5] cosmicus sacrae Liturgiae character. Quod munus huic Sacrosancto Concilio potissimum competere censeo, cum eo tempore celebretur, quo mirabundi audimus nova in dies spatia aperiri et imminere iam iam videtur tempus quo alii mundi, admodum nostro maiores, vestigentur, forsitan a creaturis intellectu praeditis habitati.

En argumenta quibus propositio mea nititur.

a) Essentialiter in Liturgia continetur *et in anno liturgico commemoratur* [6] mysterium Christi *a saeculis* [7] in Deo absconditum. Hoc igitur mysterium Christi, non in sola Redemptione, sed in opere creationis quoque manifestatur; immo, revelatio nos docet primam illam

creationem, Deo sic volente, ordinari ad novam creationem a Christo Domino perfectam. Mira ergo et stricta unione atque interdependentia creatio universa adnectitur Christo, qui est imago Dei invisibilis, ut ait divus Paulus ad Colossenses: « Primogenitus omnis creaturae, quoniam in ipso condita sunt universa quae in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, ...[8] » et inferius: « quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt » (*Col.* 1, 15-20; cf. etiam *Rom.* 8, 19-22; *Eph.* 1, 9-10). Redemptio Christi, mysterium princeps et velut centrum Liturgiae, inseritur hoc modo in mediam historiam, cuius praecipuum constituit eventum, universa hinc inde movens et illustrans, nam per ipsam ...[9] consecratio quaedam mundi *universi* [10] perfecta est. Iam vero, in ipsa Liturgia, cum redemptionem actu exerceat, patere debet mensura *universalis vel* [11] cosmica eiusdem Redemptionis.

b) Haec reperiri iam possunt in Sanctorum Patrum doctrina, *quorum nonnulla testimonia a me collecta hac in lectione omitto.*[12]

c) Ecclesia, insuper, primaevis temporibus haec prae oculis habere videbatur, in ipso sacrificio eucharistico. Immo, in antiquioribus eucharisticis orationibus in memoriam fere semper revocatur creationis beneficium. Quae faciens Ecclesia censenda est nihil aliud fecisse nisi illam viam illamque rationem sequi quae per apostolos et per ipsum Christum cum traditione iudaica connectebatur ...[13]

d) Hodie, denique, etiam Liturgiae byzantinae fideliter sancteque hanc cogitandi rationem servant, in ipso consecrationis momento, creationem universam evocando.

His omnibus perpensis, propono:

1. In prooemio huius capitis annus liturgicus appareat oportet tamquam « modus providentialis quo Christus consecrationem totius universi Incarnationis mysterio inchoatam protrahit ». Explicatio catechetica huius textus conciliaris ansam facile praebebit ut in universa Ecclesia foveatur atque illustretur, sensu vere christiano, haec conscientia, ut ita dicamus, cosmica, quae hodie ubique diffunditur, ipsaque Liturgia apparebit hodiernis hominibus, « ea ratione quam tempora postulant nostra ».

2. Intra annum liturgicum, sicuti commemoratur nova creatio a Christo Domino in Redemptione operata, commemoretur etiam *illa prima in Christo creatio, omnis quidem creaturae, sed praesertim hominis.*[14]

3. Sensus huius commemorationis sit praecipue gratiarum actio pro omnibus beneficiis a Deo per Christum et in Christo acceptis. Sic locum

aptissimum intra annum liturgicum habere poterit ille « dies gratiarum actionis » qui multis in nationibus iam celebratus, passim generali plausu recipitur.

4. Opportunius ad hanc commemorationem apparet initium Adventus: omnia enim tunc in sacra Liturgia creationem in mentem revocant tanquam praeparationem ad Christi adventum, nos Incarnatione sua recreantis.

Omnia argumenta quae proposui, non tantum caput de anno liturgico, sed etiam reliquum schema de sacra Liturgia, ut patet, plus minusve attingunt, nominatim capp. I, II et IV; ea tamen propriis concepta verbis secretariatui tradam.[15] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] summum momentum habet. Eo insuper adducor verbis illis Romani Pontificis quae in inaugurando sacrosancto Concilio audivimus: « ... in praesenti oportet ut doctrina christiana, certa et immutabilis, cui fidele obsequium est praestandum, ea ratione pervestigetur et exponatur, quam tempora postulant nostra ». Est autem hominum nostrorum temporum nosse se non solum ad hunc parvum planetam, quem terram dicimus, pertinere, sed ad cosmum universum a Deo conditum. Ipse Summus Pontifex feliciter regnans, in Enc. *Mater et Magistra,* postquam asseruit adiuncta temporis Pii XII « funditus viginti hisce annis conversa esse », primas huius mutationis causas adducit, nova scil. inventa scientiarum et artium, et expressius « vias iam initas per quas ad sidera feramur » (M. M. n. 47). Hanc igitur hominum nostri temporis altior conscientia, quam cosmicam appellaremus, postulare videtur ut aliquid quod in Liturgia fundamentale duco, nitidiore in lumine, ut decet, collocetur. [2] deest. [3] (pag. 190, linn. 1, 2, 3). [4] et inferius, linn. scil. 6 et 7, addit: « Totum vero Christi mysterium per anni circulum explicavit... ». [5] deest. [6] deest. [7] ab aeternitate. [8] omnia per ipsum et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant ». [9] (ut dicitur in Martyrologio Romano sub die 25 decembris: « ... mundum volens adventu suo piissimo consecrare »). [10] deest. [11] deest. [12] Liceat mihi duos tantum principesque textus adducere: primum S. Ioannis Damasceni: « Benigna Patris voluntas in unigenito Filio universi orbis salutem patravit (pankosmìon soterìam); Benigna Patris voluntas in unigenito Filio *res universas* colligavit. Nam cum homo minor mundus sit (mikrokosmos), substantiae omnis tam visibilis quam invisibilis in se nodum ferens, hocque et illud exsistens, revera hanc *conditarum rerum cunctarum* connexio fieret, ut sit Deus omnia in omnibus » (Hom. in Transf. Domini, 18). Alterum textum ex martyre S. Iustino, qui docet Dominum nostrum Iesum Christum Eucharistiam instituisse « in recordationem passionis, ut simul gratias agamus, *tum quod mundum et omnia quae in eo sunt propter hominem* creaverit, tum quod nos a nequitia, in qua fuimus, liberaverit » (Dial. cum Triph., 41). [13] Apud S. Irenaeum illa passim invenitur cogitatio, nempe, in sacra Eucharistia « primitias creationis offerri ». [14] prima omnis quidem creaturae, sed imprimis hominis in Christo creatio. [15] Quae proposui reliquum schema de S. Liturgia, ut patet, plus minusve attingunt, nominatim cap. I, II et IV. Ea tamen, propriis concepta verbis, secretariatui tradam. 1) In cap. I schematis, praesertim post par. 4, clarius atque pressius innuatur, et

quantum fieri potest, id verbis Divi Pauli et Sanctorum Patrum fiat, character cosmicus S. Liturgiae, per quam homines, ope mysterii Christi, omnibus a Deo creatis copulamur, sive illi tantummodo sint quos hucusque novimus, sive alii etiam quos procedentibus saeculis repertum iri continget. 2) Ad cap. II, par. 37. Addatur haec nota: « Cum commissio de reformatione facienda textus atque formulas ditare intenderit, speciali modo illi Liturgiarum antiquarum et orientalium modi considerentur, qui melius characterem cosmicum et connexionem operis Redemptionis cum opere creationis exprimant ». 3) In prooemio cap. IV, post verba « ... et pro singulis interpellet », haec vel similia verba adiici possent: « Hoc autem munus, etiam nomine totius creationis, piissimo Redemptoris adventu consecratae, absolvit, idque non solum per celebrationem Eucharistiae... ».

Praeses: Nunc fit repositio Sancti Evangelii.

Secretarius generalis: Proxima sessio, feria II quae sequetur, hora nona.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD CAP. IV SCHEMATIS DE S. LITURGIA

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. IV SCHEMATIS DE S. LITURGIA *

1

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

In textu art. 73 (pag. 187), in linn. 3-4, verba « Cum infirmitas humanae naturae postulet ut *quid minimum* orationis praescribatur... » non bene sonant. Oporteret dicere plus minusve prout sequitur: « Cum infirmitas humanae naturae postulet ut non gravetur *nimia prolixitate* orationis... ».

2

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA

Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Certe, semper fraterno animo, sacerdotes iuvare debemus. Sed nonne, praecise propter hoc, instare debemus ut se dedicent orationi?

Rationes: 1. Apostoli, in electione diaconorum, ita locuti sunt: « Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus ».

2. In hac aula conciliari saepe dictum est: « sacerdotes debent aliis personis labores secundarios relinquere, ut impleant illa quae ipsis, qua sacerdotibus, incumbant ». Iamvero, sacerdotis est nomine Ecclesiae orare, et quidem imprimis. Etiam quia fecundat omnem activitatem pastoralem.

3. Quando quis ordinatus est subdiaconus, Ecclesia ut mater, donum tradens filio amantissimo, ei Breviarium porrigit, quasi dicens: « Aut oret aut pereat ». Reapse, quomodo poterit fidelis evadere voto castitatis emisso, quin Deus eum adiuvet? Et quomodo hanc pretiosissimam gratiam obtinebit sine oratione? Nec dicatur illum aliter orare posse. Verum est, potest; sed non faciet, quia rationes allatae pro minutione divini Officii, etiam valent pro aliis precibus.

4. Dicunt aliqui obligationem divini Officii taedium afficere. Quid inde? Si propter taedium hodie omittit preces Breviarii, cras meditationem, deinde recitationem rosarii, postea lectiones spirituales, et ita porro, quia haec omnia etiam taedium provocare poterunt. Vera ratio est alia: tendentia valde peri-

* Huiusmodi textus lecti non sunt, quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt vel iuri loquendi renuntiaverunt vel demum disceptatio clausa est.

culosa omittendi omnia quae naturae incommoda sunt. Concilium Oecumenicum non potest sancire hanc tendentiam, quia convocatum est ad perficiendas animas, et minime econtra.

5. Anxietates quas dicunt afferre, quando aliquis partem vel totam recitationem breviarii omittit, etiam non videntur iustificare thesim contrariam. Nam anxietates etiam possunt occurrere in administratione sacramentorum, vel in praedicatione verbi divini. Num, propter anxietates haec omnia minuenda sunt? Remedium est aliud: formare conscientiam.

6. Quod de inopia temporis dicunt, ob tot labores hodiernos qui requirunt praesentiam sacerdotum, est aliquid relativum. Si quis occupationes suas bene distribuit, tempus non deest. Hoc probat experientia multorum. « Serva ordinem et ordo servabit te! ». Sed si quis non vult a « diversionibus » uti dicunt, se abstinere, et mavult tempus terere, tunc breviarium est onus, et quidem magnum, quia conscientiae pacem perturbat. Non debemus pigritiae vel relaxationibus favere.

Haec teneamus ante oculos nostros, et coram Deo, quando de hac re votum nostrum, in Concilio, dare debeamus.

3

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Adnotationes in cap. IV schematis constitutionis *de sacra Liturgia* a Conferentia episcoporum Chiliensis Ditionis (Chile) propositae.

Quoad cap. IV schematis *de sacra Liturgia,* mens est episcoporum chiliensium ut totum ad specialem peritorum commissionem deferatur, aliquibus tantum principiis ab ipso Oecumenico Concilio stabilitis.

Ratio est quia in hoc capite multa sunt laboriose ac longo tempore determinanda, quae in congregatione generali perfici nequeunt.

Sequentia ergo proponimus:

I. Cap. IV schematis sacrae Liturgiae totum cuidam peritorum commissioni tradatur, ut intra quinquennium Officium divinum funditus recognoscatur, saltem pro clero apostolatui operam dante.

II. Periti ad recognitionem designati prae oculis bene habeant quae in primo schemate a commissione praeparatoria proposita sunt et ea omnia quae a Patribus scripto suggerantur.

III. In congregatione generali, nunc facienda, solummodo perpendantur annotationes genericae sequentes:

1. Clare affirmetur Officium divinum Ecclesiae magni interesse. In munere enim sacerdotali bene fungendo divinum Officium habet grave momentum non tantum pro clero sed et pro omni populo fideli, immo pro tota humanitate. Sacerdos etenim, vir orationis esse debet, non solum pro se

sed et pro ceteris, nam mediator est pro hominibus constitutus in iis quae sunt ad Deum.

2. Ita Officii structura ordinetur ut ipsum non sit aliquid addititium et quasi mere disciplinare in vita sacerdotum, sed ut quid expedite et magis re quam lege ad munus mediatoris et magistri naturaliter aptatum, ita ut multum conferat ad vitam spiritualem alendam nec non ad sanctificationem quotidiani laboris totius communitatis fidelium.

3. Amplior in divino Officio Sacrarum Scripturarum lectio locum obtineat; tamen, ad breviorem formam, in sua integritate, contrahatur. Ad hoc faciendum adhibeantur, imprimis, ea quae in § 23 cap. I istius schematis enuntiantur; insuper recognitio non attendatur tantum ad quasdam rationes historicas morose ac mordicus perpensas, sed etiam, immo potius, ad hodiernam condicionem et necessitatem cleri ad opus pastorale vocati.

4. Denique, hae practicae determinationes ab ipso Concilio statuantur:

a) Ordinarii dispensationem Officii concedere possunt iis sacerdotibus qui, in diebus festis, pluries litant vel multum in opere pastorali adlaborare debent.

b) Omnibus monialibus, quae ad divinum Officium tenentur, liceat, Ordinarii iudicio, lingua vernacula illud recitare.

c) Si quae sint graves causae, in unoquoque casu perpendendae, Ordinarius potest etiam sacerdotibus concedere usum linguae vernaculae in divini Officii recitatione.

4

EM.MUS P. D. VALERIUS CARD. VALERI

N. 73, pag. 187 sub litt. *a*)-*c*). Opportunius videtur clarius distinguere inter obligationem recitationis divini Officii choraliter et singulariter faciendae et quidem distincte indicare quinam teneantur recitatione chorali et quinam recitatione a solo.

Moniales omnes sub litt. *a*) obligatae supponuntur recitationi chorali totius Officii, dum, e contra, aliqui Monialium Ordines existunt, uti Ordo Ursulinarum, qui hac obligatione non devinciuntur, vel obligantur tantum recitationi Parvi Officii B. M. V., uti Ordo Visitationis B. Mariae.

Litt. *a*) ita redigi posset: « Communitates choro obligatae... et quidem: totum Officium Ordines Canonicorum, Monachorum et Monasteria seu Domus Monialium, salvo tamen, quoad moniales, earum iure particulari... secundum proprias Constitutiones ».

N. 74. Valde opportunum est recognoscere dignitatem et munus orationis publicae, nomine Ecclesiae factae, religiosis qui totum vel partem divini Officii absolvunt.

Qui ab Ecclesia deputantur ad orationem eius nomine peragendam, munus publicum et magni momenti suscipiunt.

Susceptio cuiuslibet muneris obligationem in conscientia secumfert.

Quapropter, participatio muneris et obligationis Ecclesiae pro Religiosis, sicuti pro aliis seu pro clericis in sacris, secumferre deberet vinculum conscientiae, qua satisfactio muneris in tuto ponitur. Haec tamen obligatio levis censenda esset.

Licet titulus n. 74 sit « Sodales religiosi », in textu munus peragendi orationem publicam per recitationem Officii divini sodalibus cuiusvis Instituti status perfectionis et ideo etiam sodalibus Institutorum saecularium agnoscitur. Cum sodales Institutorum saecularium non fruantur conditione iuridica publica, nec ab aliis fidelibus distinguantur, congruum non videtur munus publicum orationis nomine Ecclesiae eisdem agnoscere seu tribuere.

Pag. 187, linn. 26-29. In secundo commate n. 74, recitatio alicuius Parvi Officii aequiparatur quoad dignitatem orationis publicae ipsi recitationi divini Officii.

Opportunum videretur inter clausulas addere: « dummodo Parvum Officium ab illa auctoritate approbatum sit quae competens est pro approbatione et mutatione divini Officii et sodales huic recitationi aliquo vinculo teneantur, prouti de divino Officio dictum est ».

Praeterea, non nimis multiplicanda esse videntur haec Parva Officia.

Pag. 188, n. 77, sub litt. *b*). Usus linguae vulgaris in recitatione divini Officii pro Monialibus et etiam pro Institutis iuris pontificii, quorum Constitutiones linguam latinam praescribunt, dari non deberet ab Ordinariis, nisi de consensu omnium quorum interest, scl. Superiorum internorum.

5

Exc.mus P. D. ANTONIUS ABED

Archiepiscopus Tripolitanus Maronitarum

Notanda in pag. 185, lin. 7 ad 10. Valde miramur dum legimus in capite hoc « De officio divino » verba quae sequuntur: « Ecclesia ... pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum ».

Verba haec personant tamquam exaggeratum mysticismum circa Ecclesiam. Etenim, verba Pauli apostoli ad Hebraeos (5, 1) valent tantum de sacerdotibus qui uti concreti et individui homines vere « ex hominibus eliguntur et assumuntur ac perinde pro ceteris hominibus constituuntur in iis quae sunt ad Deum ». Non valent vero de entibus moralibus sicuti est Ecclesia nisi locum detur in ipso Concilio Oecumenico locutionibus ambiguis et aequivocis quae quandoquidem solis oratoribus vel rei theologicae profanis permittuntur.

Ideo verba haec in schemate ab eodem deleantur, vel reformentur, ne nimis faveatur iis qui loca theologica nondum plene declarata certo quodam exaggerato mysticismo pertractant.

Revera, verba similia obicem ponunt et ipsae scientiae theologicae recte intellectae, et omnibus ceteris fratribus qui hucusque catholici non sunt neque facile fieri possunt propter similes divagationes mysticas in theologia catholicorum.

Notanda ibidem, lin. 17. Mirabilis est etiam sequens affirmatio: « Unusquisque in Officio divino orando ante thronum Dei stat nomine Matris Ecclesiae ».

Haec enim affirmatio, si recte valet de laicis et sodalibus saecularibus vel de monialibus officium divinum recitantibus, nequeunt tamen valere de clericis qui in sacerdotalibus ordinibus sunt (nempe in tribus ordinibus diaconatus, presbyteratus et episcopatus); alioquin quaedam implicaretur negatio illius entitatis quae « sacerdotium » appellatur.

Laus enim divina, in sacerdotibus omnibus profluit, non ex quadam iuridica deputatione, sed eo ipso quod sacerdotes sunt. Hoc alte declaratum erat a plurimis Patribus Concilii Vaticani Primi, et ipse S. Thomas Aquinas expresse dicebat de clericis in sacris quod « eo ipso quod clerici sunt » officium divinum persolvere debent (cf. Quodlibeta VI, q. V, art. 8 et Mansi, Concil. Coll. Tom. 50, 527-529; 530; 566 ss.; 582 ss.).

Notanda in pag. 185: *De Officio divino in genere.* Quia in toto capite neque verbum quidem de Officio divino cathedralitio uti nuncupatur, neque de valore liturgico et ecclesiastico eiusdem invenitur, supponi licet redactionem huius schematis effectam fuisse a viris ex ordinibus religiosis seu monasticis, vel ab alienis aliis qui sola luce officii et cursorum monasticorum suffulti sunt.

Attamen auspicandum est, ut et orientalium gratia et ipsius veritatis historicae, aliqua addantur vel minima quidem adumbratio de cursu ecclesiastico instaurando in officio omnium ecclesiarum. Orientales enim omnes officium habent tamquam « liturgiam verbi » et, iuxta modum, etiam uti partem praeparatoriam Missae. Nisi ergo ex cursu quod dicitur ecclesiastico hauriatur, Officium divinum proprie esse non potest saltem iudicio orientalium.

Verba vero in schemate « cum sanctificatio diei naturalis sit finis officii divini », vel haec alia « tamquam sanctificatio diversarum horarum diei », unice tribui possunt officiis monachorum.

Unde melius delenda sunt verba haec omnia, et per sequentia suppleantur: Officium divinum est opus communitatis hieraticae Novi Testamenti ex professo celebratum in orationem, gratiarum actionem et in ipsius Ecclesiae spiritualem aedificationem pro statis quidem diebus et horis in hebdomada christiana ».

Consequenter ad haec, quaedam addantur de fidelium participatione in Officio, reliqua in hoc capite derelinquantur vel remittantur ad competentem auctoritatem sive apostolicam sive patriarchalem sive regionalem ut de iisdem iuxta modum et necessitatem animarum leges et statuta edantur.

6

Rev.mus P. D. IULIANUS ADROVER

Praepositus generalis Ordinis Clericorum Regularium

In quaestionibus, non minoris quidem momenti, de Officio divino reformando et hodiernis condicionibus cleri catholici aptando, velim in hac sacra aula Dei resonet humilis vox primi Ordinis Clericorum Regularium, cui saeculo XVI Breviarii Romani reformatio iam a Clemente VII concredita fuit, quaeque sub aliis Summis Pontificibus non intermissa, speciatim sub Paulo III et Paulo IV, a S. Pio V tandem vulgata est. Sub initio saeculi XVIII, unus ex praecipuis moderni motus liturgici antesignanis, Beatus Iosephus Maria card. Thomasi, ex Ordine Theatinorum, qui in caelo sacrae Liturgiae — sunt verba Benedicti XIV — « unus instar omnium enituit », non semel de reformatione Breviarii Romani sua vota Sacrorum Rituum Congregationi proposuit. Quae vota in reformatione eiusdem Breviarii a S. Pio X promulgata, non neglecta sunt.

Nemo ignorat mutationes quae post S. Pium X introductae sunt usque in hodiernum diem. Hac via gradatim ac uniformi modo prosequendum, ita ut in huius temporis reformatione divini Officii, aequalitas et sapientia praedecessorum prae oculis habeantur, ne pretiosi traditionis liturgicae thesauri facile pereant, simulque necessitatibus hodiernis sacerdotum optime provideatur. His praemissis tria notare velim:

1. Circa notam 5 ad art. 68, non oportere censeo duplex Breviarium exsistere: communitarium unum, privatum alterum. Breviarium, ergo, unicum sit, sed praestare mihi videtur rationem illud recitandi duplicem esse: communitariam unam, privatam alteram. In privata enim recitatione non pauca, quae ex traditione et ex natura sua choralis ac communis recitationis propria sunt (ex. gr. invitatorium, hymni, antiphonae, responsoria, etc.) facile omitti possunt, ita ut talis privata recitatio revera brevior evadat, quod in multorum votis est. Breviarium Romanum his ultimis annis a regnante Summo Pontifice Ioanne XXIII vulgatum optime aptari potest huic duplici recitationi: communitariae, scilicet, et privatae.

2. Circa art. 69 animadvertendum existimo a maioribus traditam totius Psalterii distributionem per septem hebdomadae dies adhuc servandam esse, nam haec psalmorum recitatio non adeo grave onus importat, et ex alia parte est velut condicio quaedam fructiferi apostolatus sacerdotalis.

3. In art. 73 mihi minus convenire videntur verba illa, quae tamquam axioma in initio eiusdem articuli ponuntur, scilicet: « Cum infirmitas humanae naturae postulet ut quid minimum orationis praescribatur ». Haec verba omitterem ne Sancta Synodus videatur adsentiri modo loquendi clericorum, qui, ob defectum pietatis ac spiritus sacerdotalis, quotidianam Breviarii re-

citationem plus oneris esse, quam ferri nostris diebus posse iudicant. Unde, superioribus verbis omissis, conscriptionem articuli ita incipiendam propono: « Cum totum pensum divini Officii servandum sit, hae normae erunt observandae », etc.

7

Exc.mus P. D. IOSEPH ANGRISANI

Episcopus Casalensis

Liceat mihi, minimo inter successores Apostolorum, aliquas animadversiones exponere relate ad obligationem recitandi divinum Officium — de qua in cap. IV schematis, n. 73, sub litt. *b*), pag. 187.

Haec obligatio, iuxta meam sententiam, integre et fideliter ab omnibus sacerdotibus tenenda est, eo quod innitatur doctrinae et exemplo Domini Salvatoris et Apostolorum, venerandae traditioni Ecclesiae, necnon naturae ipsae obligationis qua clerici tenentur divinum Officium persolvere. Et revera:

1. Opus ministerii pastoralis est opus supernaturale, quod nec exerceri nec fructus afferre potest nisi mediis supernaturalibus, dicente Domino Iesu: « Sine me nihil potestis facere ».

Ad hoc, Apostolis suis qui « per totam noctem laborantes nihil ceperant » dicit: « mittite in dexteram navis »; et illico retia impleta sunt multitudine piscium.

Accedit exemplum Apostolorum et Beati Pauli qui pluries in epistolis suis commendat: « Sine intermissione orate » (*1 Thess.* 5, 17), et ad Timotheum scribit: « Obsecro *primum omnium* fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus » (*1 Tim.*, 2, 1).

Ex his praeceptis et exemplis Domini nostri Iesu Christi et Apostolorum invecta est norma et forma orationis sacrae a clericis faciendae, quae paulatim, in decursu temporis, pervenit ad nostrum Breviarium prout statutum est a Concilio Tridentino, et nuper, opera Summorum Pontificum, reformatum.

Hoc divinum Officium est eminenter oratio liturgica et de eo Pius XII, suavissimae recordationis, sic ait in Encyclica *Mediator Dei*: « Omnes, qui hoc munere funguntur, tum gravem Ecclesiae obligationem, tum summum Sponsae Christi honorem participant, quia unusquisque in Officio divino, orando ante thronum Dei, stat nomine Matris Ecclesiae ».

Divinum Officium est ergo primum officium nostrum, et maximum medium ad bonum adsequendum in nostro ministerio pastorali.

2. Unde Apostoli: « Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis: Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus » (*Act.* 6, 2-4).

Ex quo patet nullam excusationem inveniri posse ad orationem relinquendam aut relaxandam, etiamsi nimio labore in ministerio gravati simus.

Sancti sacerdotes, quo magis labore apostolico gravati erant, eo magis orationi instabant.

Quinimmo verae consolationis et requietis fontem semper invenerunt, inter diuturnas activitates officii pastoralis, in Officio divino persolvendo.

3. Accedit ratio quod, ad levandum graviorem laborem sacerdotum ministerio addictorum, possibile est uti valida cooperatione laicorum (sicut in alio schemate huic venerando Concilio propositum est).

Pariter, ad anxietates animi levandas pro omissione alicuius partis vel etiam totius Officii in aliquibus circumstantiis, sufficere possunt regulae Theologiae Moralis, recta conscientia et probi confessarii iudicio applicandae.

Denique, prae oculis habeamus quod aliqua relaxatio in recitatione Officii, concessa bonis sacerdotibus, nimii laboris causa, generaliter verteretur in commodum eorum sacerdotum qui saepe tempus terunt in auditionibus radiophonicis et televisivis, in adsequendis ludis sportivis, in peregrinationibus voluptuariis, digni qui a Beato Iuda vocentur: « Nubes sine aqua quae a vento circumferuntur, arbores infructuosae, sidera errantia » (*Iu.* 12-13).

4. Recolatur visio, a Iuda Machabeo habita, in qua vidit summum sacerdotem Oniam « manus protendentem orare pro omni populo Iudaeorum » et indicantem prophetam Ieremiam his verbis: « Hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate »; a quo ipse Iudas gladium aureum accepit quo posset deiicere « adversarios populi Dei » (*2 Mac.* 15, 12-14).

Recolantur monita SS. Pontificum S. Pii X, Pii XI et Pii XII felicis recordationis, in sollemnibus documentis ad nos missis, in quibus laudes canunt divini Officii et modum indicant ipsum solvendi « digne, attente ac devote ».

Recolantur paternae admonitiones S. Pontificis Ioannis XXIII, feliciter regnantis, qui pluries nos provocat ad orationem sancte perficiendam, iuxta exemplum S. Pii X et S. Ioannis Baptistae Vianney.

Memoretur unusquisque nostrum sanctorum sacerdotum qui Ecclesiam nostram glorificaverunt, nosque verbo et exemplo ad sacerdotium formaverunt; sicut ego venerabundus memini exempla S. Iosephi Benedicti Cottolengo, patris pauperum, S. Iosephi Cafasso, gemmae cleri italici, et S. Ioannis Bosco, apostoli iuvenum, qui nomen meae Dioecesis Taurinensis, fulgenti lumine redimitae, extollunt in universo mundo.

Hos imitemur! Horum gressus sequamur! Horum exempla semper prae oculis teneamus, ut et nos, de die in diem fideliter intenti ad opus Dei perficiendum, inde hauriamus « aquas de fontibus Salvatoris » ad sanctificationem nostram et populi christiani.

Sicut Hebraei, de exilio redeuntes, reaedificare potuerunt muros Ierusalem, nonobstantibus minis et gladiis inimicorum, quia « unusquisque, una manu sua, faciebat opus, et altera tenebat glaudium » (*2 Esdr.* 4, 16-17) ita et nos, vocati ad restaurandam vitam populi christiani, assidue adlaboremus in opus ministerii, et sancte incumbamus ad laudem Dei fideliter concinendam.

Ex his quae simpliciter et imperite dixi en mea conclusio. Ego humiliter

et instanter rogo vos, venerabiles Patres, ut obligatio recitandi divinum Officium, prout in schemate extat sub num. 73, sub litt. *b*), totaliter servetur.

Nam si bonum et iustum est fidelibus portam pandere quo facilius et melius participent divinis mysteriis (quia — ut ait Divus Ambrosius — turba non sequitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia) magis sanctum et iustum est quod nos, a Christo Domino positi ut Magistri et Pastores, populum praecedamus oratione, pietate et sanctitate, ita ut vultus Ecclesiae Sanctae — sicut auspicatur Summus Pontifex feliciter regnans — magis magisque appareat radians luce divina; ita ut possit a filiis melius agnosci et amari, et a fratribus separatis recognoscatur tamquam Mater communis quae eos expectat ut omnes ad Christum perducat.

8

EXC.MUS P. D. PETRUS ARNOLDUS APARICIO Y QUINTANILLA
Episcopus S. Vincentii

Ad Officium divinum.

1. Ut omnes horae canonicae ex tribus constent psalmis:
   Ad Matutinum: invit., 3 psalmi, 3 lectiones, Te Deum.
   Ad Laudes: 3 psalmi, Benedictus, etc.
   Ad Vesperas: 3 psalmi, Magnificat, etc.
   Ad horas minores... 3 psalmi, etc.
2. Ut sine limitatione temporis, sc. qualibet hora diei, officium divinum recitare valeat.

9

EXC.MUS P. D. ARNULFUS ARCILLA
Episcopus Sorsogonensis

Art. 68, pag. 185, totus art. corrigatur: « Praeter Officium in choro recitandum, aliud novum pro clericis labori pastorali dicatis conficiatur, tribus partibus constans, scilicet: *a*) oratio matutina, *b*) oratio nocturna, *c*) divina lectio.

a) Oratio matutina ita conficiatur ut unicuique diei anni liturgici respondeat.

b) Oratio nocturna, etiam pro singulis diebus confecta, spatium temporis includat ad conscientiam examinandam.

c) Divina lectio constet spatio temporis lectioni Sacrae Scripturae, e scriptis Patrum vel vitae Sanctorum, et alio spatio meditationi destinato.

Ratio: Reformatio Officii divini qualiter apparet in hoc cap. IV contradictionibus laborat et minime placet pro clericis vita activa degentibus. Nam

ex una parte, affirmatur necessitas officium adaptandi fragilitati humanae ac difficillimis temporum adiunctis, et ex altera parte, officium relinquitur identica structura quae hucusque illud inadaptatum reddidit. Etiam, ex una parte, exprimitur voluntas officium aptandi « hodiernae vitae necessitatibus cleri » et ex alia, denuo affirmatur maxima convenientia officium recitandi horis congruentibus, quod in hodierna vita fere impossibile est.

Alia datur contradictio, dicendo quod « Matutinum, quamvis nocturnae laudis retinens, ita aptetur ut qualibet diei hora recitari valeat ». Quomodo haec pars officii potest simul esse laus nocturna et non nocturna? Evidens est clerum hodie alio officio egere, vere aptato rhythmo eius vitae et quod nullo pacto ei sit fastidiosum onus diei, sed potius fons eius gaudii spiritualis.

Divisio a nobis proposita, scilicet oratio matutina et nocturna, vere et practice respondet sanctificationi diei in momento actuali; nam hodie rhythmus diei minime concordat vigiliis et horis romanis.

Quoad lectionem divinam, sacerdos manet in libertate eam faciendi quavis hora (ut in art. 76 dicitur) quia indoles huius partis officii hoc permittit et aliunde convenientia huius libertatis ab experientia confirmatur.

10

Exc.mus P. D. FLOYD LAURENTIUS BEGIN
Episcopus Quercopolitanus

N. 68, *d*). Horae minores eliminandae sint aut saltem supplendae oratione brevi memoriae faciliter in lingua vernacula committenda.

N. 68, *a*), *b*), *c*). Lingua vernacula permittatur ubique. Passim. *a*) de Psalmis: Restituatur versio vulgata, et illa emendata ubi verus sensus egeret. *b*) de obligatione: Reducatur obligatio Officii ad peccatum veniale.

11

Exc.mus P. D. VILLELMUS MARINUS BEKKERS
Episcopus Buscoducensis

Quia populus christianus ad Deum publice laudandum vocatus est, laudare velim propositum huius cap. IV, ut augeatur numerus eorum, qui nomine Ecclesiae orent. Aliter et aliter tamen se habent condiciones vitae monachorum, clericorum et laicorum. Quam ob rem episcopatus neerlandicus, abstractionem faciens a renovatione forsan necessaria Operis Divini monachorum, obligationi chori obstrictorum, tantum pauca verba dicere velit de Officio divino sacerdotum in cura animarum constitutorum, quibus sub multiplici respectu aequiparandi videntur religiosi mixtae religionis.

Constat Breviarium traditionale in hodiernis adiunctis non raro ansam praebere cuidam formalismo, non obstante bona voluntate sacerdotum. Relate ad obligationem sacerdotalem divini Officii persolvendi ante omnia opus est ut prae oculis habeatur intentio huius obligationis: nempe non quod persolvatur aliquod pensum orationis, sed quod sacerdotes, realiter orando, ore exprimendo quod est in corde, et divinas laudes persolvant et sanctificent seipsos curamque pastoralem. Inde sequitur:

Primo: Quod Breviarium oportet sit adaptatum propriis condicionibus vitae hodiernae sacerdotum. Cum tamen non sit ipsius Concilii descendere ad omnia particularia renovationis Breviarii, optandum est ut numerus sexagesimus octavus huius capitis omittatur et ut pro sacerdotibus in cura animarum constitutis novum breviarium non-monasticum conficiatur a commissione ex toto orbe peritorum, consultis conferentiis seu coetibus episcoporum, actis denique ab Apostolica Sede recognitis. Licet usus millenarius Ecclesiae in hac re habeat suum momentum, ex altera tamen parte spiritus verus orationis sacrificari nequit cuidam considerationi nimis historico-archaeologicae.

Secundo: Saltem quodam modo *libertas* detur, ut hi sacerdotes divinas laudes persolvere possint lingua vernacula. Eo enim modo plurimi facilius eorum mentem voci concordare possunt et efficaciore modo finis obligationis Breviarii attingitur.

Tertio: Antiquum principium prudentiae christianae, nempe « officium pro officio valet » prudenter extendatur ad casus, in quibus sacerdotes ab officiis ecclesiasticis diuturnius occupantur, v. gr. dum obstricti sunt binationi vel trinationi Missae, plurimis matrimoniis adsistendis eadem die et his similibus. Secus formalismo breviarii persolvendi ansa praebetur.

[*Subsignatus etiam* P. Moors, ep. Ruremondensis].

12

Exc.mus P. D. IULIUS BIANCONI

Episcopus Tarquiniensis et Centumcellarum

Obligatio divini Officii recitandi nullo modo sacerdotibus auferenda est, quia sacerdotes debent ipsorum spiritum alere et Deum laudare. Porro nihil melius quam Divina Scriptura ad animas reficiendas et Psalmi ad Deum laudandum inveniri potest. His ipse Dominus Iesus Christus, Apostoli et Ecclesia usi sunt, ita ut Psalmi verum et praecipuum ligamen orationis inter Vetus et Novum Testamentum rite dici possint.

Praeterea sacerdos, qui saepe se coram populo cum suo Breviario praebet, magis apparet et censetur vir Dei et vir orationis: quod non minimi est momenti.

Attamen Breviarium propter necessitates huius temporis, ne minus attente ac devote recitetur, hoc modo, humillime censeo, reduci posset:

a) Matutinus dicatur sicut in hebdomada Paschali, scilicet cum tribus Psalmis et tribus Lectionibus, quarum una sit e S. Scriptura, secunda e Patribus et tertia e vita Sancti qui colitur. Auferantur Hymni et responsoria.

b) Dicantur Laudes, sublato Hymno.

c) Horis vespertinis dicantur Vesperae, sine Hymno, et Completorium.

d) Auferantur Horae, quas minores vocant et loco eorum quae sublata sunt ex Officio imponatur, sub gravi, meditatio et examen conscientiae per horae dimidium.

Lingua latina, qua utitur S. Mater Ecclesia in universo mundo, servanda est ut non deficiat mirabilis unio catholicorum, exceptione facta pro aliqua difficultate a S. Sede adprobanda.

13

Exc.mus P. D. FELIX BONOMINI
Episcopus Comensis

Circa Officium divinum: Retinendum mihi videtur ut in forma his novissimis temporibus ab Ecclesia clericis praesentatum, exceptis parvis emendationibus quae fieri poterunt, ut ex. gr. reductio Officii in Nativitate Domini et octava ad instar Officii Paschatis et Pentecostes, et revisio lectionum historicarum. Necesse mihi videtur ut sacerdotes omnes aestiment recitationem devotam Breviarii ut maximam, post celebrationem sacrificii Missae, inter actiones pastorales et sociales.

Non solum sacerdotes sed etiam fideles instruendi sunt ut Deum suum laudent, locutionibus Spiritus Sancti quae in psalmis habentur, proinde enixe hortandi sunt ut ad cantum vesperarum vel alius partis divini Officii active participent, et ad hoc maxime convenit ut in paroeciis, praeter adsociationes Actionis Catholicae, habeatur quoque schola ad cantum sacrum et maxime gregorianum edocendum, ita ut functiones liturgicae tam matutinae quam vespertinae, decore persolvantur, in laudem Dei et in bonum animarum.

14

Exc.mus P. D. ALFONSUS M. BUTELER
Archiepiscopus Mendozensis

Circa Officium divinum, nomine proprio et omnino personali loquar. Non audeo enim comitem quaerere ad clamandum in deserto. Vox mea revera in deserto, procul dubio, clamabit. Etenim iam hilares plausus audivimus, etiam si prohibitos in hac solemnissima aula, quando de imminuenda Officii obligatione et de versione ad linguas vernaculas favorabiles opiniones prolatae sunt.

Utraque opinio mihi displicet. Tam illa quae obligationem minuit, quam ista quae versiones propugnat. Et quamvis solus manere debeam, malo solus esse in affirmanda ecclesiastica traditione, quam alio faciliori modo viam illius traditionis inimico planam parare, qui inimicus sacerdotes a quotidiano cum Spiritus Sancti colloquio auferre maligne intendit. Sacerdos vero qui quotidie Breviarium rite recitat, nomine Ecclesiae labiis profert quae hagiographi, Spiritu Sancto afflante, locuti sunt, et, assistente eodem Spiritu, nobis in scriptis mandarunt. Sacerdos ergo qui sincere et vera pietate ita per diem procedit, non sine speciali adiutorio divino, ut verus apostolus adlaborabit.

Si sancta Mater Ecclesia in hac re faciliter ad communes dispensationes proclivitatem demonstrat, actum erit de pietate specifica qua fulgere oportet omnis sacerdos, quia sacerdos i. e. quia alter Christus pro populo christiano ubique esse debet. Quaeso, ergo, pie et humiliter, ut schema quod prae oculis habemus non immutetur. Et si quae aliqua mutatio opportuna iudicetur, ea tantum sit quae iterum nos in frequenti communicatione cum Sanctis Patribus ponat. Sit ergo semper in manibus nostris, in cordibus nostris et in labiis nostrorum omnium sacerdotum ille liber ubi et verba Dei, et Ecclesiae laudes, sanctorumque exempla continentur ad nostram sanctificationem et Dei gloriam augendam.

Quoad sermonem latinum i. e. linguam liturgicam servandam, hoc mihi dignum videtur specialis observationis. Si Pontificis Romani voluntas, non verbis tantum, sed opere et veritate ab omnibus prae oculis habebitur, post paucos annos omnes sacerdotes totius mundi bene linguam latinam agnoscent. Hoc postulat ut logica consequentia, ni fallor, ultima circa hanc rem Constitutio Apostolica *Veterum Sapientia.* Ergo nulla pro nostris successoribus erit difficultas linguae.

Servetur, ergo, latina lingua, etiam hic, ut unitatis signum in publica Ecclesiae oratione, et ut permanens cum Spiritu Sancto colloquio in lingua quidem materna, i. e. in lingua Matris Ecclesiae cuius filii hodie per universas huius terrae regiones nomine et auctoritate Matris laudes Deo continuo decantant.

De quodam formulismi periculo aliqua verba in hac aula audivimus. Nihil probat quod nimis probare ostenditur. De facto omnes ecclesiasticae vitae manifestationes ad formalismum possunt nos conducere. Sed ad hoc periculum obviandum oportet ut sacerdotum spiritus optime fortificentur, ita ut, fortes in fide tanquam leones, ignem spirantes, facti diabolo terribiles, illud aliud gravissimum periculum vitent, haeresim nempe activismi, vi cuius spernuntur omnia quae pietatem humilem ideoque veram fovent, et solum ad exteriora attenditur. Divi ergo Pauli verba quae hebdomada elapsa ipse repetebat, in memoriam continuo revocemus: Galeam salutis assumamus: et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Ita lumen Christi et pignus victoriae fidelibus nostris erimus.

15

EXC.MUS P. D. CAROLUS IUSTINUS CALEWAERT
Episcopus Gandavensis

De Communione sub utraque specie. Haec reservetur pro casibus concelebrationis.

De Officio chorali a Capitulis saecularibus celebrando. Obligatio pendebit a redditibus. Qui nullam retributionem accipiunt obligari non possunt ut quotidie veniant ad cathedralem mane et vespere ad laudes et vesperas cantandas!

Habitationes Canonicorum interdum valde distant ab ecclesia cathedrali.

Propono ut Capitula saecularia qui habent redditus sufficientes, approbante episcopo, quotidie cantent Tertiam, Missam conventualem, et Sextam. Diebus dominicis et festivis sollemnioribus etiam Vesperas et Completorium. In Triduo Sacro et in die Nativitatis Domini Officium integrum.

16

EXC.MUS P. D. DOMINICUS LUCAS CAPOZI
Archiepiscopus Taeiüenensis

Ut in Aula conciliari tempori parcamus, haec Excellentiae tuae [*secretario generali*] mittere praesumo nomine meo et nonnullorum etiam episcoporum:

1. Eo attento quod forma Breviarii antiqua conservari desideratur, et quod unaquaeque hora suo determinato tempore recitari desideratur.

2. Eo attento quod Breviarium levius onus quidem, sed ditius lectionibus S. Scripturae et Patrum desideratur.

3. Eo attento quod in quantum possibile officium de tempore recitari desideratur.

4. Eo attento quod non omnes concordant sive quoad quantitatem et qualitatem officii.

5. Eo attento etiam quod sunt quidam qui deplorant in Breviario non amplius inveniri tot vitae Sanctorum loca.

Sequenti criterio Breviarium reformandum proponitur:

1. Matutinum tria habeat nocturna: *a*) in primo sint invitatorium, hymnus, antiphona, unus psalmus, gloria, versiculus, absolutio, benedictio, una tantum lectio ex Veteri Testamento et quidem brevior; *b*) in secundo nocturno sint antiphona, psalmus, gloria, versiculus, absolutio, benedictio, lectio una Novi Testamenti, duplex vel triplex quam in primo nocturno; *c*) in tertio, antiphona, psalmus, gloria, versiculus, absolutio, benedictio, lectio una bona et selecta Sanctorum Patrum.

2. Laudes, cum sint una ex duabus principalibus horis, habeant 5 antiphonas, quinque psalmos, capitulum, hymnum, versiculum, antiphonam Benedictus, orationem matutinalem.

3. Horae parvae habeant hymnum, antiphonam, unum psalmum, gloria, Pater noster, excepta prima quae retineat suam orationem.

4. Vesperae, secunda hora maior, quinque antiphonas, quinque psalmos, capitulum, hymnum, versiculum, antiphonam Magnificat, orationem vespertinam, preces pro necessitatibus, commemorationem unicam sancti diei, habeant.

5. Completorium constet confessione, antiphona, psalmo, antiphona Nunc dimittis, oratione propria, benedicamus Domino, benedictione, antiphona finali B. M. Virginis.

6. Officium semper fiat de tempore seu de feria, exceptis maioribus festis B. Mariae Virginis, S. Ioseph, SS. Apostolorum et principaliorum sanctorum — non multorum — totius Ecclesiae.

7. Ordines et Congregationes possint festa peragere ipsorum sanctorum fundatorum vel principaliorum. Item dicatur pro Nationibus, Dioecesibus, etc.

8. Pro aliis Sanctis sufficiant commemorationes ad Laudes et Vesperas, sed una tantum.

9. Canonici regulares et Monachi possint, si velint, conservare proprium Breviarium, vel adaptare meliori modo.

10. Unaquaque die in Breviario, ad modum introductionis, posset poni brevis instructio historico-liturgica vel brevis vita Sancti principalioris cuius memoria fit illa die, ita tamen ut lectio talis vitae nullomodo sit obligatoria, sed relinquatur pietati et instructioni Sacerdotis cui legere placeat.

11. Omnes Ordinarii facultate generali gaudeant concedendi suis sacerdotibus vere gravatis laboribus, ut pensum officii diei reducatur pro ipsis ad recitationem Laudum et Vesperarum tantum.

12. Ita psalmos seligere ut nimis longi non sint, et relinquantur illi qui minus pietatem foveant.

13. Conservanda ut sunt Officia Nativitatis Domini, Epiphaniae, tridui Paschalis, trium dierum Paschatis, Pentecostes. Et sic dicatur de nonnullis officiis propriis Ordinum, ex. gr. S. Francisci, S. Francisci Stigmatum, etc.

14. Pro sacerdotibus restituatur in Breviario « Dominus vobiscum » etiam ad clarius significandum quod agatur de oratione publica Ecclesiae.

15. Lingua Breviarii, pro iis saltem qui sunt in Sacris, sit latina, et decernatur unica versio adhibenda, quae in quantum possibile sit illa quae invenitur in textu officiali S. Scripturae, nempe Vulgata versio a Benedictinis emendata, vel alia quae vere sit conformis traditioni, et nullo modo sit nova illa quae nunc in usu est.

16. Si qui Ordinarii putent pro suis locis esse utenda versio in linguam vulgarem pro omnibus, vel pro aliquibus suorum clericorum, licentiam possint petere et obtinere a Sede Apostolica.

17

Exc.mus P. D. VICTORIUS CECCHI

Episcopus Foresemproniensis

Humiliter peto ut benigne recipias [*secretarius generalis*] hanc meam praesentem propositionem circa Divinum Officium.

Est vere minima sed forsitan erit non inutilis ad fovendam pietatem nostrorum sacerdotum in quotidiana recitatione Divini Officii, quin etiam pro paucis eorum erit maxime accommodata.

Scilicet: velim ut, in proximis editionibus Breviarii restaurati, permittatur editoribus praemittere singulis psalmis vel partibus eorum, cum caracteribus alius coloris a textu, aliquam minimam didascaliam ad suggerendum legenti et oranti, uno vel paucissimis verbis, argumentum psalmi vel partis eius, ut nunc, v. g., in hodiernis Breviariis legitur ante quemcumque psalmum numerus vel pars. Deinde in fine cuiuscumque voluminis Breviarii restaurati omnes didascaliae colligantur alfabetice per modum indicis, additis etiam argumentis lectionum Sacrarum Scripturarum et Sanctorum Patrum et Doctorum tum etiam exemplis Sanctorum in volumine commemoratorum, ita ut talis index circa materiam Breviarii vere sit valde utilis nostris sacerdotibus ad rite fovendam et explendam cum Sacro Breviario saepe saepius orationem mentalem et ad instructionem asceticam peragendam fidelium in praedicatione.

18

Exc.mus P. D. SMILJAN FRANCISCUS ČEKADA

Episcopus Scopiensis

Sum episcopus urbis Skoplje in Macedonia, quae est provincia Reipublicae Iugoslaviae. Loquor nomine proprio, non autem nomine episcoporum Iugoslaviae, qui meae explanationi in omnibus forte non assentientur. Tamen cum simus liberi unusquisque suam proferre sententiam — « non sumus enim filii ancillae sed liberae, qua libertate Christus nos liberavit » (*Gal.* 4, 31) — ego quoque meam aperiam mentem circa materiam disceptatam.

Schema de divino Officio recitando, ut est Patribus Concilii propositum, mihi in genere placet.

Mea opinione absolute est incumbendum, saltem quoad clericos in sacris constitutos, in integra et totali recitatione divini Officii, sicuti hucusque mos erat. Clerici divinum Officium recitantes adhibeant linguam latinam. Sorores et moniales, cum sint linguae latinae plerumque ignarae, utantur lingua vernacula.

Quoad ambitum officii, i. e. numerum lectionum, psalmorum et orationum, servetur hodiernus usus, legitime inductus ultima reformatione Bre-

viarii Romani. Lectiones ex Patribus adhibeantur tantum in Officio festivo vel semifestivo novem lectionum. Ceterae Patrum lectiones, bene selectae, possunt conferri in speciali fasciculo, a clericis privatim et ad libitum legendae, si sibi placet.

Si quae orationes innovandae sint vel hymnis hodiernis alii substituendi, bene attendatur, ne posteriora sint peiora prioribus. Vinum novum semper non debet esse melius vetere; immo vero saepissime contrarium accidit.

Toto animo resisto iis, qui proponunt, ut obligatio Officii divini pro clericis reducatur tantum ad Laudes et Vesperas. Officium divinum est veneranda Ecclesiae traditio aptissimaque imitatio perennis illius laudis, quam Verbum humana carne indutum Patri caelesti sine intermissione offert. Divinum Officium est porro firmissimum sacerdotibus praesidium virtutisque eorum potissimum auxilium in arduo studio perfectionis adipiscendae. Tollatur de medio vitae sacerdotalis obligatio divini Officii, mihi persuasum est vitam sacerdotum, ut euphemistice loquar, nullo modo meliorem factum iri, quin etiam mihi videatur, in hoc casu actum esse de caelibatu sacerdotum. Sensim sine sensu haec salutifera institutio Ecclesiae dissolvetur nosque « ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei » (*1 Cor.* 4, 1) paulatim efficiemur puri et naturales homines.

Loquitur de meditatione, quae in locum Officii sic reducti et essentialiter mutilati substituenda esset. Haec vi can. 125, n. 2, etiam hucusque clericis praescripta erat: « Curent locorum Ordinarii, ut (clerici) quotidie orationi mentali per aliquod tempus incumbant ».

Utique, meditatio quotidiana est retinenda, sed Officium divinum ideo non omittendum. Unum oportet facere, et aliud non omittere (*Matth.* 23, 23). Omnia ista proposita, quae eo tendunt, ut obligationes vitae sacerdotalis reducantur ad mensuram quam maxime modestam, orta sunt, ut mea fert opinio, ex studio, ut vita sacerdotum commodior et facilior redderetur.

S. Paulus dixit: « Nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri » (*Rom.* 12, 2). Numquid indulgendo nostrae commodidati, sicut faciunt homines huius saeculi, reformabimur in novitate sensus? Divinus Magister dixit: « Intrate per angustam portam ... quae ducit ad vitam ... » (*Matth.* 7, 13-14), nos autem volumus amplificare portam vitae. Credite mihi, fratres, cassus labor!

Illi, qui reclamant, ut Officium divinum etiam a clericis recitetur lingua vulgari, extollunt factum, sacerdotes hodiernae generationis parum callere linguam latinam. Etiamsi concedamus hanc assertionem, estne, quaeso, necessarium ut pro semper reconciliemur cum hoc dedecore nostro? Si sacerdotes non sciant linguam latinam, addiscant illam! Cur Ioannes XXIII publicavit litteras *Veterum sapientia,* nisi ut obsequeremur illi! Ceterum, cum preces quascumque recitemus, etiam lingua vernacula sed mente distracta, sicut saepissime fit, num eas actu semper intelligimus?

Hac occasione abstrahere vellem quaestionem, utrum obligatio orandi Officium divinum esset praecipienda sub gravi an non. Hoc videant consules!

Sincere fateor, mihi minus placere ubique creandi occasiones peccati mortalis et eas applicandi etiam ad minutissimas omissiones vel transgressiones. Contrarium magis convenire videtur dignitati humanae substantiae. E. g. Missa quotidiana sacerdotibus non est praecepta sub gravi: attamen paucissimi sunt, qui eam omittunt. Forsitan optimum erit media ingredi via, quod — ut iam dixi — videant, quorum interest de hac re iudicare.

In fine propono, ut episcopis Ordinariis permanens tribuatur facultas ad casum super Officio divino dispensandi. Hoc modo optime poterunt evitari difficultates, quae ex nimia occupatione sacerdotum in certis circumstantiis quandoque oriuntur.

19

Exc.mus P. D. THOMAS COORAY
Archiepiscopus Columbensis

Cap. IV ad 78. Velim de hoc articulo humiliter proponere ut emendetur sequentibus vel similibus verbis: « Cum Officium divinum sit vox Ecclesiae seu totius Corporis Christi Mystici, Deum publice laudantis, fovendum est ut clerici choro haud obligati ac praesertim sacerdotes ratione ministerii pastoralis simul conviventes, aliquam saltem divini Officii partem in communi persolvant. Omnes autem choro obligati et quidem omnes in communi celebrantes munus sibi concreditum ... » ut in textu.

Ratio per se patet. Nam Officium divinum per se est actus cultus publici. Et praeterea valde commendandum est ut ministri sacri qui in vinea Domini in communi laborant etiam in communi orent tam ad plebis aedificationem quam ad propriam sanctificationem, et proprium praesidium. Est enim res experientiae quod talis consuetudo est magnum praesidium contra deviationes a vita sacerdotali et contra activismum exaggeratum tam periculosum praesertim neo-sacerdotibus.

Liceat mihi etiam pauca addere de recognoscendo divino Officio in genere. Cavendum est ne nimis abbrevietur tempus orandi sacerdotibus praescriptum ob ministerii exigentias. Duas tantum citabo rationes:

a) Munus primarium sacerdotum est erga Deum — cultus divinus, « Omnis namque pontifex », ut dicit S. Paulus, « ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum » (*Hebr.* 5, 1).

b) Etiam pro apostolatu, medium principale quamquam non unicum, est oratio ad Deum. Ratio est clare indicata ab ipso Divino Magistro in suo sermone ad primos suos sacerdotes nempe Apostolos in Coena ultima. Ille est vitis, nos autem palmites. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec nos, nisi in Eo manserimus. Unde ad ferendum fructum debet adesse intima unio inter Christum Deum et sacerdotes. Ista unio ut sit efficax in operatione debet esse saltem virtualis. Sed unio virtualis moraliter est impossibilis, nisi saepesaepius renovatur per

unionem actuatam seu actualem. Haec unio actuata fit generatim in oratione ad Deum. Unde Ipse Christus, post diem laboriosum apostolatus, erat pernoctans in oratione Dei. Ita, non propter semetipsum, sed propter nos. Exemplum enim dedit nobis, ut quemadmodum Ipse fecit ita et nos faciamus. Secus, nimis confidendo in viribus propriis, sacerdotes locum dent cuidam materialismo practico — ut nuper optime declaratum est, ni fallor, in Epistola Pastorali totius Episcopatus Italiae — dico locus datur cuidam materialismo ex quo sequitur sterilitas apostolatus, ne dicam perditio dolorosa multorum sacerdotum.

Punctum ultimum. Quantum ad innovationes circa linguam divini Officii, caute est procedendum. Nam primo erat quaestio de usu linguae vulgaris in Sacrificio Missae propter populum. Nunc est eadem quaestio sed propter clerum. Ultimatim nihil remanebit illius linguae quae est Ecclesiae communis et propria, nam Missa et Officium divinum sunt sola occasio utendi lingua latina pro maiore parte sacerdotum. Recta solutio esset reformatio curriculi studiorum hac de materia in Seminariis... e. g. in seminario internationali apud Penang in Malaya, lingua franca inter alumnos est lingua latina. Alii hos aemulari debent. Quod indigemus non est tam scientia quam consuetudo linguae latinae. Sed cum de usu linguae latinae longe lateque dictum est quando agebatur de prooemio huius schematis de eo hic tacebo, hoc tantum proferens: videant Patres ne quid detrimenti bonum commune totius Ecclesiae capiat propter difficultates locales vel transitorias.

20

Exc.mus P. D. ALOISIUS GONZAGA DA CUNHA MARELIM
Episcopus Caxiensis

Pag. 186, n. 69, lin. 15: addatur: « Matutinum trium psalmorum constet omnibus anni diebus ». *Ratio* est: Quia sic, inter multiplices hodiernae vitae labores et occupationes, sacerdotes facilius suam obligationem adimplebunt et scrupula vitabuntur.

Pag. 186, n. 71, lin. 31: addatur: « Matutinum trium lectionum constet omnibus anni diebus: 1) ex Sacra Scriptura, 2) ex Officio diei, 3) ex Patribus ». *Ratio* eadem est ac in n. 69, scilicet: Quia sic, inter multiplices hodiernae vitae labores et occupationes, sacerdotes facilius suam obligationem adimplebunt et scrupula vitabuntur.

Pag. 186, n. 72, lin. 32 ad 36: supprimantur paragraphi *a*) et *b*). *Ratio* est: quia sic, inter multiplices hodiernae vitae labores et occupationes, sacerdotes facilius suam obligationem adimplebunt.

21

EXC.MUS P. D. LEO DE KESEL

Episcopus tit. Synaitanus, aux. Gandavensis

In paragrapho de obligatione divini Officii, ad n. 73, sub littera *a*), datur tanquam norma ut Capitula residentialia saltem laudes aut vesperas recitent. Sermo non fit de Missa conventuali, neque sub hoc articulo neque sub articulo qui ex professo de Missa agit. Missa tamen conventualis est culmen totius Officii, ideoque ante omnia retinenda. Laudes ante hanc Missam recitentur, sed valde difficile erit tempus congruum observare, prout illud sub n. 76 praescribitur. Liceat mihi proponere ut potius consuetudines locales serventur, iuxta quas, in singulis Capitulis, cotidie aut certis diebus, aliqua pars Officii una cum Missa conventuali celebratur.

22

EXC.MUS P. D. IOSEPH DESCUFFI

Archiepiscopus Smyrnensis

Pag. 185, linn. 22-24, sic modificetur: Quamquam per divinum Officium a sacerdotibus aliisque Ecclesiae membris, sanctificatio diversarum horarum diei peragitur, attamen pro fragilitate humana atque in difficillimis temporum adiunctis constitutis, non omnibus indistincte eodem modo hoc munus imponendum est, quia non solum per orationem, sed etiam per laborem pastoralem, nomine matris Ecclesiae, Deo mirabile laudis canticum peragi potest.

Pag. 186, n. 68, lin. 8 *c*), sic modificetur: Hora, quae Matutinum vocatur uno Nocturno constet, qualibet diei hora recitanda, conservatis tamen officiis solemnioribus cum tribus Nocturnis, in ordinibus et congregationibus ac communitatibus statutis horis choro obligatis.

N. 69 (Psalmi) sic modificetur: Psalmi distribuantur per spatium temporis maius quam unam hebdomadam et optandum est ut quaedam selectio fiat circa psalmos, qui nimis mores iudaicos redolent.

N. 71 (Lectiones), lin. 22 *a*): Lectiones Sacrae Scripturae, praesertim quae sunt mere historicae sine sensu mystico aut sapientiali auferendae sunt.

Pag. 187, n. 73 (Obligatio), adiungatur post lin. 20 nova paragraphus *d*): Omnes in Ordinibus maioribus constituti, sive professores in collegiis, sive sacerdotes ministerio pastorali addicti, Officium divinum absolvant horis liberis et in « Matutino » unum Nocturnum tantum recitare possunt.

23

Exc.mus P. D. AEMILIUS IOSEPH DE SMEDT
Episcopus Brugensis

Nomine episcoporum Belgii et plurimorum Patrum e diversis nationibus.

Cap. IV de Officio divino valde placet. Duae proponuntur emendationes.

Prima emendatio: Ordinario tribuitur facultas dispensandi a recitatione Officii divini, ad casum et ad determinatum tempus, clericos ad recitationem a solo obligatos, qui etsi a recitatione non sunt excusati, tamen ob gravamen physicum vel psychologicum de iudicio Ordinarii melius ab onere Officii ad tempus liberarentur.

Ratio: Hucusque episcopi in hac materia nullum ius possident. Haec tamen facultas perutilis esset in diversis circumstantiis ad clericos ab anxietatibus et aliis seriis incommodis liberandos.

Secunda emendatio: Ad n. 77, accedentes ad ea quae dicta sunt a card. Frings et ab aliis, proponimus textum sequentem pro recitatione Breviarii a solo in lingua vulgari: Clericis quibus usus linguae latinae grave impedimentum est ut cum vero fructu spirituali Officium recitent, Ordinarius permittere potest usum linguae vernaculae, dummodo recitatio fiat ope Breviarii bilinguis, cura Conferentiarum episcopalium determinatae linguae compositi et a Sede Apostolica recogniti.

Explicatio: Ut omittam argumenta iam allata, attentionem Concilii advocare liceat ad fructum spiritualem quem sacerdotes haurire possunt ac deberent e divino Officio.

Iamvero in plurimis regionibus quarum cultura valde distat a cultura occidentali, pronuntiatio in lingua latina est et nonnumquam manet onus durum, defatigatio gravis. Quid est Officium divinum in mente Ecclesiae? Non est exercitium paenitentiae sed elevatio mentis ad Deum.

Sed etiam in omnibus regionibus dantur sacerdotes pro quibus, ob varias rationes, recitatio in lingua latina est et manet *de facto* exercitium traductionis, conamen intellectionis, difficilis accessus ad fontem gratiae.

Estne rationabile recitationem pro istis sacerdotibus sic ordinatam relinquere ut non queant ex ea omnem fructum colligere? Sacerdotes isti, et ceteri omnes, vivunt in medio saeculi materialistici, arduo sunt onusti labore apostolico. Indigent contactu amoroso cum Sanctissima Trinitate. Intellectus eorum indiget lumine Verbi Dei, cor eorum opus habet amicali colloquio cum divino Magistro. Haec omnia invenire possunt in divino Officio sicut ab Ecclesia ordinatum est et, ut sperare licet, integre conservabitur.

Scimus omnes quantum gaudium spirituale sorores religiosae, immo numerosi laici hauriunt e divino Officio quod lingua vulgari recitant. Ecclesia

est mater. Cur non easdem divitias aperiret illis e suis sacerdotibus, qui ob varias circumstantias non plenum fructum tollunt e divino Officio si illud in lingua latina recitare debent?

Quod nos petimus non est exaggeratum. Est moderatum. Est humanum.

Rogamus nempe ut Ordinario tribuatur facultas dispensandi. Et si dispensat, rogamus ut prudenter ordinetur Officium quod a sacerdote dispensato peragetur.

Conditiones propositae sunt:

1) Breviarium quo sacerdos dispensatus utitur praeter traductionem debet continere textum latinum;

2) Traductio fieri debet cura Conferentiarum episcopalium qui ad eamdem regionem linguisticam pertinent.

Traductio et editio debent recognosci a Sede Apostolica.

24

Exc.mus P. D. MICHAEL DOUMITH

Episcopus Sarbensis

Licet non pateat adesse in communi usu Orientalium canonicam obligationem Divinum Officium recitandi, pro clericis choro non obligatis, attamen nos Maronitae, secundum opinionem communiter receptam, teneri videmur saltem ex consuetudine, ad hanc recitationem. Itaque mihi liceat opinionem aliquam exponere de distinctionibus quae videntur introducendae inter clericos choro obligatos et alios choro non obligatos, sive quoad naturam obligationis, sive quoad formam officii.

Officium est opus communitatis et quidem monasticae. Quod patet sive ex natura officii ipsius, sive ex natura monasticae professionis.

1. Ex natura officii ipsius. Officium ita confectum fuit ut in communi, « in choro » recitetur: dicitur enim in nota 5: « semper pro pluribus simul »; simul autem vivunt monachi, et non saeculares; et « breviarium » ipsum, initio, confectum fuit ut recitetur « in itinere ».

2. Ex natura professionis monasticae. Monachi, inter diversas vias ad perfectionem perducentes, hanc praecise elegerunt, quae consistit in communi cantu divinae laudis et ad hoc propriam vitam voverunt, cantu Officii sanctificantes diversas horas diei et noctis. Abstinendo a ministerio nullam iniuriam ferunt propriae professioni, deficiendo autem a choro, eidem professioni gravem iniuriam ferunt. Et re quidem vera, nam propria professione ad hoc specialiter deputantur, ut nomine communitatis christianae, munere divinae laudis fungantur, non autem individualiter sed in communi, et ideo qui excusatur a choro, eo ipso excusatur a recitatione a solo.

Idem autem dici non potest de sacerdote qui choro non tenetur. Sacerdos, qui non est monachus, propria consecratione, tenetur, non praecise ad « Offi-

cium divinum » (forma chorali aut brevi) persolvendum, sed ad « Opus Ecclesiae » perficiendum, quod opus continet certe orationem, et quidem publicam, sed etiam extenditur ad sacrificium, ad magisterium et ad ministerium. Ad hoc autem opus tenetur obligatione quadam morali, non proprie canonica. Propria consecratione, sacerdos non plus tenetur ad officium quam ad sacrificium: deberet etiam teneri plus ad sacrificium, nam ipso sacrificio definitur sacerdotium. Si ergo de facto plus tenetur ad officium quam ad sacrificium (tenetur enim sub gravi ad determinatum pensum solvendum) hoc venit ex positiva determinatione, quae ex una parte obligationem restringit ad unum tantum aspectum operis Ecclesiae, et ex alia parte hanc obligationem restrictam reddit graviorem. Sed haec determinatio, quae in omnibus ritibus non existit, non est irreformabilis nec desunt rationes ut reformetur.

Non enim est irreformabilis, quia nec officium confectum fuit ut recitetur a solo, nec sacerdotes ex officio vivunt in communi, nec tandem oratio nomine Ecclesiae restringitur necessario ad Officium. Sunt autem rationes positivae ut reformetur, quarum principalis est quod recitatio officii, sicut iam dictum est a pluribus, in praesentibus adiunctis et modo quo imponitur, vix dici potest in beneficium vitae spiritualis, et certe laus et gloria Dei est salus hominis.

Propter haec omnia, videtur concludendum:

1. Clerici choro non obligati non videntur aequiparandi communitatibus choro obligatis, nec in obligatione nec in forma officii recitandi.

2. Non ideo liberandi sunt clerici saeculares ab omni obligatione recitandi « aliquod officium », nec haec obligatio restringenda est ad solum officium, sed aliqua declaranda generalis obligatio attingens omnes ad alias functiones « operis Ecclesiae ».

3. Officium ad quod tenentur clerici saeculares (non est ad litteram officium pro choro confectum, sed) sit « Breviarium » aliquod conficiendum, consideratis traditione orandi in Ecclesia recepta et adiunctis vitae sacerdotis (tempore praesenti) ita ut ipsius recitatio sit in beneficium vitae spiritualis. Ad quem finem adiuvare possent et textus electi, et lingua adoptata, et determinatio non tam materiae quam temporis.

25

Exc.mus P. D. ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrinus, coad. c.i.s. Argentoratensis

Aliqua verba de nova instauratione divini Officii.

1. In instauratione divini Officii maximi momenti est attendere ad primatum orationis in vita sacerdotali, sed aequalis momenti est attendere ad conditionem sacerdotum huius temporis, nimio labore pastorali gravatorum.

2. Officium divinum quod solvitur a sacerdotibus in nomine Ecclesiae et pro Ecclesia valorem habet in se et quasi independenter a substantia nutri-

toria pro vita sacerdotali. Attamen, orationis essentia etiam est, per ineffabilem commercium divinum, animae dare cibum spiritualem, iuvamen et gaudium.

3. Distinguitur saepius et legitime inter contemplationem et actionem pastoralem. Sed, hodiernis temporibus praecipue, unitas omnino necessaria est in vita sacerdotis: unitas intima et organica. Oratio fovet et nutriat ministerium salutis et ministerium fovet et nutriat orationem.

4. Quanto legitime dicitur, Officium divinum inserendum esse in venerabilibus Ecclesiae traditionibus. Sed, mihi videtur quod distinguendum est, ex una parte, inter medullam istarum traditionum, quae apparet in Psalmis, in pericopis Sacrae Scripturae vel Patrum et etiam in precibus pristinae Ecclesiae quarum nonnullae in Breviarium introduci deberent, et, ex altera parte, inter compositionem externam Officii divini et eius horarum distributionem vel linguam celebrationis. Traditio, ut dixit Summus Pontifex beatae memoriae, Pius XII, non est archeologismus, neque res mortua sed vivens.

5. Sacerdos constituitur, in his qui sunt ad Deum, pro hominibus in genere sed etiam pro gregis partem quae ei, munere suo, specialiter commendatur. Ista pars Ecclesiae linguam propriam habet quae exprimit suum ingenium. Cur sacerdos, in oratione publica in nomine populi sui, numquam utatur isti populi lingua?

6. Sacerdotis etiam est instruere fideles in arte orandi. Quomodo posset si manu ductus est ad preces, saepius sine mentis apprehensione et hoc in praecipua diei oratione. Quando oramus in lingua in qua cogitamus, oratio fit magis vera et vivida. Sic laus Deo erit maior, quia Deus vult adoratores in spiritu et veritate. Ut ait beatus Irenaeus: « Gloria Dei, vivens homo ».

7. Plerique quidem sacerdotes, qui gravi munere pastorali funguntur, Officium divinum persolvunt, de facto, mane et vespere tantum. Ergo divinum Officium his conditionibus accommodari debent. Et caveamus, ne Officii divini structura, partem sacerdotum exponamus ad complendum munus sanctum divini Officii ut munus mere servili.

His principiis perpensis, duas propositiones nunc Patrum Concilii considerationi praebemus quae — nonnullis episcopis diversarum nationum testibus — multorum attentionem merentur.

I. Ad n. 68, in pag. 185, lin. 32, addatur: « Ex perantiquae sensu Traditionis et ex usu antiquitus Romae vigente, restituatur distinctio inter Officium divinum monachorum et clericorum.

Clericorum Officium constabit tribus partibus, et quidem obligatoriis, quarum unaquaque circa quindecim momenta perduraret.

Erunt preces matutinae — sed vere matutinae —: essent Laudes secundum novam, ampliorem structuram. Eis inserentur elementa ex horis diurnis et praesertim ex Prima. Brevissimo capitulo substitueretur iterum amplior lectio de divina scriptura.

Erunt deinde preces vespertinae — sed vere vespertinae —: essent Vesperae, etiam secundum novam structuram; eis inserentur elementa ex Completorio extracta.

Tandem erit, per diem quacumque hora, lectio ex Sacra Scriptura et ex Patribus — sed lectio continua —, brevi prece introducta.

Quae evidenter non excludunt exercitia spiritualia privata, praesertim Orationem mentalem, Rosarium, Sanctissimi Sacramenti adorationem et alia quibus sacerdotes, ut et apostoli, sunt orationi instantes (cf. *Act.* 4, 4).

II. In n. 77, prima paragrapho dicatur: « Iuxta saecularem traditionem Occidentalis Ecclesiae, in Officio divino, lingua latina clericis commendatur. Licitum erit, pietatis causa, Officium divinum persolvere lingua vernacula, iuxta Versionem ab Ecclesia approbatam in regionibus quarum Conferentiae episcopales id statuerunt. Ad sanandas maximas difficultates aliquorum sacerdotum qui in usu linguae latinae non satis periti sunt, haec facultas, caritatis causa, immediate post concilii decisionem concedatur i. e. a Conferentiis episcopalibus concedi posset ante iam Breviarii restaurationem ».

Gaudeamus, Fratres, dum spes lucessit, ex hoc Concilio sacerdotes nostros, in fide et zelo et pietate, Officii divini renovatione, renovatum iri.

Et sic laus erit ad maiorem Dei gloriam.

Textum approbaverunt: H. Mazerat, év. d'Angers; Robert Bézac, év. tit. Metr. in Asia; Paul Gouyon, év. de Bayonne; Paul Vignancour, év. de Valence; Jean de Cambourg, aux. de Bourges; Egidius Bignamini arch.; Ioannes Rizzo arch.; Iosephus Bonacini, ep. Brittinoriensis; Victorius Cecchi, ep. Forosemproniensis; Pierre Boillon, ep. coad. Verdun; Iulius Angerhausen, VT Eminenziana; J. B. Musty, ep. aux. Namurcensis; Gérard Huyghe, év. d'Arras; Pierre-Marie Puech, év. de Carcassonne; Pierre Boudon, év. de Mende; Fr. Kervéadou, év. de S. Brieuc; Bernardo Fey, ep. coad. Potosì Bolivia; Alfredus Vozzi, ep. Cavensis et Sarnensis; Nicolaus Cavanna, ep. Reatinus; Paulus Iosephus Schmitt, ep.pus Metensis; Claudius Flusin, ep. Sti Claudii; Antonius Poma, ep. Mantuanus; Geraldus V. McDevitt, ep. tit. Tigiensis.

26

Exc.mus P. D. GREGORIUS FALCONIERI
Episcopus Conversanensis

Liceat mihi, omnium minimo, pauca dicere de textu in divino Officio conficiendo, psalmorum et antiphonarum, necnon de locis Sacrae Scripturae in divinum Officium invehendis.

Est enim textus, qui dicitur, verborum compositio et concinnatio, praecipuum scilicet instrumentum Deum oretenus laudandi et adorandi in terris ad similitudinem laudis et adorationis quam in caelis Angeli Deo perenniter exhibent genibus enixe flexis et faciebus humiliter velatis. Est enim divinum Officium celsissima laus et humillima adoratio Deo praesentata a sacerdotibus quos ipse ex hominibus assumpsit et pro hominibus constituit in iis quae sunt ad Deum. Quid autem ad Deum est in terris dignius praeter adorare Deum

et illi soli servire? Quid ad Deum dignius est in terris praeter personare quae Ipse sibi complacuit inspirare Sacris Scriptoribus ut homines discant et semper sint docibiles Dei?

Quapropter, venerandi Patres, si semper et nos ipsi et sacerdotes nostri angelorum in terris sumus laetissimi aemuli, divinum Officium recitantes vel, potius, canentes, angelorum comites efficimur et constituimur.

Quae cum ita sint et cum Officium divinum persolvatur verbis in textum redactis et opportuniter ordinatis ut possint animum nostrum ad Deum exprimere, magnae admirationi mihi fuit — parcant Patres commissionis praeparatoriae! — ne verbum quidem invenire in hoc cap. IV « De Officio divino » de textu Psalmorum et antiphonarum: ne verbum quidem, si tamen excipiatis brevissima verba quae in pag. 186, n. 69, lin. 17, et pag. 188, n. 77, inveniuntur longe petita et tantum circa linguam adhibendam, non tamen de textu.

Neminem liquido latet duplicem esse textum psalmorum plene licitum ad divinum Officium persolvendum inde a Motu Proprio Pii XII f. r. die 24 mensis martii, anno 1945 dato, per quod ipse novam in linguam latinam Psalmorum translationem a Pontificio Instituto Biblico praeparatam adprobavit et « paterna obtulit voluntate — sunt verba ipsius — iis omnibus qui officio tenentur horarias preces cotidie recitare ut, si libuerit, sive in privata sive in publica recitatione, ipsa utantur ».

Non est meum — neque hic est locus — aliquid dicere de merito huius recentioris versionis a Pio XII adprobatae: dixerint quibus et ius et officium sit; attamen, quod ad me attinet pro incepto, liceat mihi tantummodo dicere inesse quidem in ipsa amplum claritudinis sensum qui largiter revera deerat, et deest in versione quae dicitur vulgata, ita ut haec saepe saepius obscurior evaderet; sed e converso desiderari in hac novissima versione harmoniam sonitus necnon verborum plenitudines, redundantiam redolentes, et phantasiae volatus quae sunt proprii characteres poëseos praesertim orientalis, et, insuper, quoad cantum, eius qui dicitur cursus melodiis gregorianis proprius, ac, quoad recitationem, vocis felices flectiones quae poësim ornant et luculenter dulci iucunditate ditant; desunt denique spiritus afflatus qui unctio dicuntur; est littera non spiritus psalmorum.

Omnibus compertum est quae vicissitudines in totam Ecclesiam irrepserint in recitatione divini Officii inde a memorato Motu proprio Pii XII. Invaluit enim plena libertas recitandi psalterium sive textu versionis vulgatae sive textu qui dicitur Pii XII, ita ut divinum officium quod per tota saecula supremae unionis, immo et unitatis, vinculum Ecclesiae orantis fuit, etiam si consideremus nobiles exceptiones, illam unionem neque comparavit neque fovit. Officium divinum omnes recitaverunt prout placuit in privata recitatione; in religiosis familiis praevaluit usus vetustioris versionis; in Capitulis cathedralibus concordia haud floruit! Per plures annos non prodierunt editiones psalterii vel Breviarii nisi solummodo cum textu psalmorum a Pio XII adprobato; postea denuo prodierunt etiam cum textu vetustioris versionis;

frequenter capitulares viri quaesti sunt difficulter novos versus psalmorum aptari ad traditionales modos gregorianos; plures putaverunt aptandum esse cantum meliori quo potuerint modo. Evenit insuper quod in Exercitiis spiritualibus ecclesiasticorum recitatio Officii divini expuncta sit, quae per saecula fuerunt dulcis fraterne simul orandi sodalitas.

In praesenti in omnibus editionibus Psalteriorum pro Officio divino recitando Antiphonae fuerunt et sunt vetustioris psalterii a S. Pio X approbati Constitutione die 1 nov. 1911, Psalmi vero sunt vel recentioris vel vetustioris versionis. In hoc altero casu, recitatio vel cantus divini Officii facilior evadit; in priori autem quinque incidunt rationes inter antiphonas et psalmos; nempe:

I. Antiphona nullam habet rationem cum versibus psalmi quia diversis verbis exstant, et excepto cantu si habeatur, nulla adest incongruentia vel difficultas; haec ratio frequentissime est in toto psalterio.

II. Antiphona ad unguem concordat cum primo versu psalmi. Hic versus non recitatur post antiphonam et psalmus incipit a secundo versu; e. g. in psalmo Invitatorii « Venite, exsultemus Domino »; in quinta antiphona pro primis vesperis dominicae « Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: et sanctus in omnibus operibus suis »; haec ratio non est frequentior et nullam incongruentiam vel difficultatem praefert.

III. Antiphona concordat cum primo versu psalmi at cum verbis vel integre vel aliqualiter mutatis: e. g. in quarta antiphona ad Matutinum feriae secundae habetur in Antiphona « Diligam te, Domine, virtus mea » in primo versu Psalmi vero « Diligo te, Domine, fortitudo mea »; scilicet cum verbo in futuro « diligam » et expressione « fortitudo » loco « virtus ». Item in octava antiphona eiusdem Matutini et feriae habetur in Antiphona « In virtute tua laetabitur rex », in primo versu psalmi vero « de potentia tua laetatur rex »; scilicet cum verbis « de potentia tua » loco « in virtute tua » et cum verbo « laetatur » in praesenti loco « laetabitur » in futuro. Huiusmodi rationes sunt plures in toto psalterio.

IV. Antiphona concordat cum aliquo versu Psalmi at non primo: e. g. antiphona ad Nonam feriae secundae « Exsultate, iusti, et gloriamini, omnes recti corde » in psalmo vero ad versum decimum tertium habetur « laetamini in Domino et gaudete, iusti; et exsultate omnes recti corde »; in quinta antiphona ad laudes sabbati « Omnis spiritus laudet Dominum » in versu psalmi « omne quod spirat laudet Dominum ».

V. Antiphona concordat cum primo versu psalmi excepto tamen uno tantum verbo: e. g. in Antiphona septima ad Matutinum feriae II « Exaudiat te Dominus in die tribulationis » in primo versu psalmi deest praepositio « in »! In feria quarta ad Matutinum, in antiphona quarta dicitur « magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri » in primo versu vero psalmi adverbium « nimis » mutatur in « valde ».

Rationes expositae sub nn. III, IV et V in quibus eadem res exprimitur aliis verbis in Antiphona ac in psalmo, gravem denuntiant incongruentiam.

Videtur enim Ecclesia nescire quibus verbis Deum laudare possit et debeat: Deo optimo maximo omne optimum maximum debetur ac modo optimo maximo. Ipsi nos gravamur pro nostra incertitudine in Officio divino persolvendo. Sunt autem viri praeclari et laici et litteris optime expoliti qui Ecclesiam Catholicam maximi faciunt et Eam celsissimum testimonium existimant ad omne quod sit verum, bonum et pulchrum et fere scandalum patiuntur quod Ipsa non laudet Deum unico modo omnium optimo, sed aliter alibi.

His omnibus perpensis liceat mihi instantius adprecari amplissimum et Sacrosanctum Concilium Oecumenicum ut velit firmiter et clarissime decernere, omni anxietate posthabita et reiecta, qui textus Psalmorum adhiberi debeat in Officio divino persolvendo utrum qui Vulgatae dicitur versionis an qui Pii XII; et consequenter cantus habeatur vel iuxta traditum Scholae gregorianae vel novus aptus ad novum textum psalterii.

Si quid praesentiam dicere mihi liceat, significare velim typicam editionem II partis Pontificalis Romani praeterito mense februario publicatam et editionem typicam Missalis Romani item mense aprili proxime elapso publicatam textum psalmorum Vulgatae versionis continere.

Circa textum hymnorum et lectiones nihil dixerim quia iam in schemate, pag. 186, nn. 70 et 71, quid in animo habeatur dicitur et dissentire non auderem.

Circa locos vero Sacrae Scripturae in divino Officio legendos, venerabundus accedo ad ea quae scripta sunt quia ad nostram doctrinam omnia scripta sunt; sed in Officio divino componendo humillime rogare velim ut expungantur loci qui de turpibus narrant. Sunt scripta revera ad divinam oeconomiam asserendam et ad vitam hominum ordinandam, at in divino Officio animas nostras ardenter elevari velim ad Deum et ad eius opera sancta ut sancte vivere discamus et valeamus. Quapropter expungantur loci qui narrant de David urente in eam quae fuit Uriae, vel de senibus turpiter incalescentibus in Susannam vel de Mardochaeo in Ester et ita porro. Magis magisque autem hanc expunctionem peto pro Monialibus quae divinum Officium recitare tenentur et huiusmodi locos vel legere vel audire. Earum animae Deo coniunctae sunt et Agni sponsae vocantur et sunt; et Agnum sequentes quocumque ierit in caelo cantabunt quae nemini licet cantare in aeternum.

Quapropter Angelorum aemulae cum sint, angelice, idest inter lilia in Officio divino Deum laudare sinamus.

27

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis-episcopus Squillacensis

In mentem omnium nostrum revocandum puto, cum de Officio divino agitur, quod in Actibus Apostolorum legimus c. 6, v. 4: quando Apostoli,

cum viderent multitudini fidelium non posse recte provideri in operibus caritatis quin officia potiora apostolatus negligerentur, proposita electione diaconorum, ad hanc devenerunt conclusionem: « Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus ».

Hoc est primum et maximum officium eorum qui vocantur a Deo in bonum Ecclesiae: providere saluti per orationem et ministerium verbi. Nisi oratio, precatio, supplicatio, propitiatio, invocatio praecedat, ipsa etiam praedicatio Evangelii effectum propitium non sortitur.

Quae cum ita sint, caveamus ne per nimiam indulgentiam vel miserationem erga vocatos a Deo in ministerium salutis, sive directe — sicuti sunt sacerdotes — sive indirecte — sicut sunt qui se devovent Deo — nos per decreta conciliaria ingeramus in mentibus sacerdotum ideam de possibilitate ut praevaleat in ministerio sacerdotali *actio* quam non praecedat *oratio!*

Pius XII fel. rec. in Encycl. *Menti Nostrae* locutus est de *haeresi actionis* in vita sacerdotis qui orationi praeponeret actionem, et quidem ipsam actionem sacram quae est ministerium erga alios!

Inculcare ergo debemus filiis et fratribus nostris sacerdotibus necessitatem *orationis,* necessitatem *orationis publicae in* Ecclesia et *pro* Ecclesia mediante Officio divino quod recitatur nomine Ecclesiae et ad bonum totius Corporis Mystici Christi.

Simplificetur ergo iuxta opportunitates Officium divinum: inserantur quidem lectiones sacrae ampliores ex S. Scriptura et ex Sanctis Patribus; facilior — uti nunc iam maxima ex parte factum est — reddatur executio huius pensi quotidiani, etiam per divisionem Psalterii in duas hebdomadas; dispensentur etiam, si necesse sit, a quadam Officii parte recitanda illi qui diebus festis *bis* vel *ter* Missam litent ad bonum populi fidelium; dentur quidem indulta ad recitationem anticipandam matutini cum laudibus; iis qui non sunt in sacris, indulgeatur ut in idiomate vulgari Officium divinum recitetur; sed prae omnibus altius in animis omnium infigatur Officium divinum esse quidem pro sacerdote medium elevationis in vita interiore ad Deum laudandum et deprecandum pro populo, *sed* in primis et ante omnia esse revera Officium seu obligationem ita connexam cum ipsius vita sacerdotali qua sacerdotis, ut ipse, sine oratione publica quam effundat pro Ecclesia, deficere dicendum sit ab ipsa ratione finis seu finalitatis sacerdotii, cuius est offerre Deo « sacrificia et dona pro peccatis », uti ait S. Paulus (*Hebr.* 5, 1), et iuxta exemplum Domini, « preces supplicationesque » ad Patres pro filiis sive devotis sive peccatoribus semper offerre (cf. ibidem, V, 7).

Ne ergo tollatur vel etiam extenuetur obligatio sub gravi recitandi quotidie totum Officium divinum: quod *obiective* est optima praeparatio ad Missam et gratiarum Actio ad ipsam; et *subiective* effectum producit in sacerdotibus ut, mente ad superna semper erecti, possint revera cum tota Ecclesia militante sese coniungere cum « caelesti Urbe Ierusalem » et dicere: « Illi canentes iungimur — Almae Sionis aemuli » (ex hymno in Dedic. Eccl.). « Multum enim valet deprecatio iusti assidua » (*Iac.* 5, 18).

28

EXC.MUS P. D. CAROLUS A. FERRERO DI CAVALLERLEONE
Archiepiscopus tit. Trapezuntinus

Ad n. 69 (linn. 16 et 17). *Revisio Psalterii* ad finem, Deo favente, perducatur, sed, quantum potest, antiqua et nova versio in unum congregentur, ita ut antiqua extet nisi habeat sensus obscuritates vel linguae latinae impropria.

Ad n. 72 (par. *c*). *In Responsoriis* suppressionem postulo repetitionum, saltem cum divinum Officium private (seu extra chorum) recitatur.

29

EXC.MUS P. D. PETRUS FIORDELLI
Episcopus Pratensis

Loquar tantummodo de art. 74, ad pag. 187.

Cum aliquis venerabilis Pater validitatem eorum, quae in schemate sub hoc n. 74 proponuntur, in dubium revocaverit, liceat mihi nunc articulum defendere ad normam principiorum S. Theologiae.

Agitur de sodalibus utriusque sexus cuiusvis Instituti Status Perfectionis et dicitur in schemate quod, si vi Constitutionum partes aliquas divini Officii absolvunt, orationem publicam Ecclesiae agunt.

Propositio — mea humili sententia — pulcherrima est et maxime laudanda, quippe quae in magnum totius Ecclesiae bonum redundet necnon in summum profectum et spirituale gaudium omnium animarum, quae sunt Deo consecratae.

Sed ut art. 74 admittatur, duo sunt probanda:

1. Quod Ecclesia potestatem habeat hanc delegationem concedendi, ut omnes utriusque sexus consecrati in aliquo statu perfectionis possint orationem publicam Ecclesiae agere.

2. Quod iustae sint rationes ut Concilium hoc faciat.

Iamvero: ad 1 dicendum est quod sine dubio Ecclesia concedere possit talem facultatem omnibus sodalibus statuum perfectionis. Omittam citationes theologorum et tantum referam verba Pii Pp. XII v. m. in Litteris Encyclicis *Mediator Dei*: « Est igitur divinum Officium, quod vocamus, Mystici Iesu Christi Corporis precatio, quae Christianorum omnium nomine eorumque in beneficium adhibetur Deo, cum a sacerdotibus aliisque Ecclesiae ministris et *a religiosis sodalibus* fiat, in hanc rem ipsius Ecclesiae instituto delegatis » (*A.A.S.*, 1947, pag. 572).

Patet ergo, quod non solum sacerdotes, sed et alii Ecclesiae ministri,

qui non sunt sacerdotes, adhuc autem et *religiosi sodales,* evidenter sacerdotali dignitate carentes, possunt, tamquam officialiter ab Ecclesia delegati, publicam Mystici Iesu Christi Corporis orationem agere.

Unde agentes de art. 74 potius quam de innovatione de amplificatione loquendum est.

Graves istas Sacrae Encyclicae adfirmationes explicant theologi vi « characteris » baptismalis, quo omnes christifideles, ut idem Pius XII in eadem Encyclica *Mediator Dei* loquitur: « ad cultum divinum deputantur atque ideo ipsius Christi sacerdotium, pro sua condicione, participant » (*A.A.S.,* 1947, pag. 555).

Neque evidenter adstringi potest possibilitas delegationis solis viris, exclusis mulieribus consecratis, cum nulla omnino ratio theologica istam exclusionem permittat.

Probata autem auctoritate Ecclesiae istam delegationem faciendi, proponendae sunt rationes, quae convenientiam suadeant.

Iamvero istae rationes adsunt et maximi momenti sunt.

1. Sacra virginitas a Christo Domino, a Paulo et Apostolis, et a tota Ecclesia semper in speciali et maximo honore habita est, eaque constituit membra electissima in Mystico Corpore Christi.

2. Cum pertineant ad statum perfectionis, vi sacrae virginitatis, animae istae omnem humanum affectum reliquerunt et factae sunt sponsae Agni. Earum historia in Ecclesia est historia amoris, virtutis, pietatis et charitatis. Unde valde decet quod concessio fiat, ut sponsae tamquam a tota familia delegatae pro tota familia Sponsum divinum orent.

3. Magni amplificabitur thesaurus Ecclesiae ex publica oratione, quam tot et tam piae animae, Deo consecratae, nomine totius Ecclesiae, agent. Consequenter maiores gratiae descendent in bonum totius Ecclesiae et totius mundi.

4. Maior fiet amor vocationis in consecratis, et pietas in precando, cum sciant se in recitando vel totum vel aliquas partes divini Officii nomine Ecclesiae orare.

Tandem in hoc Sacro Concilio meminisse liceat animas istas electissimas, sub invitatione Summi Pontificis diei 2 iulii, tot orationes et tot poenitentias cum summa fide et charitate obtulisse et adhuc offerre pro felici exitu huius Oecumenici Concilii.

Proinde humiliter rogare velim venerabiles PP. ut Sacrum Concilium Vaticanum II donet hanc maximam gratiam, quae sub aliquo respectu vere considerari poterit ut petra miliaris in historia pietatis liturgicae animarum consecratarum et art. 74 prout propositus est in schemate adprobetur, ita ut sodales cuiusvis status perfectionis, qui sunt inter omnes filios nostros dilectissimi, si totum vel aliquas partes divini Officii recitent, nomine totius Ecclesiae Deum laudent et pro necessitatibus totius Ecclesiae Deum implorent.

30

Exc.mus P. D. HERMENEGILDUS FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

Ad n. 69: *Quoad versionem latinam Psalterii in usu liturgico adhibendam.* « Quare seminaristae tui hodie non erant una voce cantantes Officium cum presbyteris et capitulo? », dixit mihi quidam anglicanus praesens in cathedrali florentina occasione cuiusdam festi solemnis. « Quia diversae assueti sunt versioni psalmorum ab illa canonicorum », respondi.

Ob eandem rationem presbyteri quando congregati sunt exercitiorum spiritualium causa, nequeunt uno ore laudes dominicas persolvere. Ubi est ergo optata oratio communis? Quaestio idcirco de versionibus non videtur parvi momenti, saltem sub aspectu liturgico-pastorali.

Liceat ergo quae sequuntur proponere:

1. *Seligendus videtur textus Vulgatae.* Ubi vigent latini ritus, versio *unica* adhibenda pro divino Officio recitando sit (saltem quoad essentiam) Vulgata, seu textus Psalterii Gallicani.[1] Tamen:

a) recognitus iuxta revisionem criticam quam iam curaverunt Monachi O.S.B. Abbatiae S. Hieronymi de Urbe;

b) quantocius emendatus (exegetice loquendo) secundum versionem quam S. Hieronymus suo tempore suoque marte confecit, ut ipse declaravit, « secundum hebraicam veritatem »;

c) ubi haec non sufficiant pro recta ac certiore quorundam versuum intelligentia, recursus fiat etiam ad auctores nostri temporis, et in primis ad recentem *versionem* « *pianam* » (ut nuncupatur).[2] Siquidem inde ab aetate S. Hieronymi aquae multae effluxerunt subter ponte et philologia comparata semitica uberes protulit fructus; quin dicamus in versione « piana » saepe respici, valida ratione, ad venerandam Septuaginta virorum graecam versionem.

Ex alia parte, quod Vulgata pluries obscuritate laboret etiam ex eo confirmatur quod haud pauci episcopi et sacerdotes praesertim ex America et Hollandia instanter rogaverunt Summos Pontifices Pium XI et Pium XII ut exararetur nova ac clarior latina versio.

---

[1] Non est cur adducantur rationes; indubium est Vulgatam praestare quia « longo tot saeculorum usu in Ecclesia probata (Conc. Trid., Decr. de editione et usu Sacrorum Librorum, Sess. IV, 8 apr. 1546), praesertim in textibus liturgicis et in operibus Patrum et scriptorum ecclesiasticorum. Etiam ex ingenti ac mirabili thesauro cantus gregoriani (et, quare non, etiam poliphonici) desumi possunt validae rationes pro servando textu Vulgatae in usu liturgico, saltem quoad essentiam et quantum fieri potest.

[2] Laudabile conamen, his fere principiis innixum, nobis videtur illud Rev.mi Weber, Monachi Claravallensis, cuius opus licebit magis expolire.

2. *Qua ratione correctio videtur facienda.* Ut habeatur textus aptus in orando et vere liturgicus oportet:

a) ut *dictio sit simplex* et sensus perspicuus, ita ut facile mens et cor simul in oratione consentire valeant; *b*) ut sententiae ita *rhythmice* sint dispositae ut exigentiis choralis recitationis et cantus respondeant.

Hoc facile consequetur Vulgatae correctio his principiis innixa: agitur de textu liturgico apparando, non de textu critico in usum philologorum; idcirco non requiritur concordantia ad unguem, etiam in minimis, cum textu originali hebraico, sed sufficiet *in essentialibus* ad recte intelligendum sensum uniuscuiusque psalmi.

Saepe saepius sensus originalis restitui potest simplici mutatione temporum, ut v. gr. pro futuro Vulgatae ponatur imperfectum (« Lavabam in innocentia manus meas et circuibam altare tuum Domine ») vel praesens tempus (« Lavo in innocentia manus meas... etc. »).

Quaedam rariora verba quae rudiores offendere possunt nihil vetat mutari in communiora.

Haec quidem criteria directiva generalia. Cetera curabunt specialistae et commissio liturgica.

Ad n. 73 et passim: *De Officio divino pro clero ministerio pastorali addicto.* Vix quis negaverit opportunitas ut Officium divinum, recitandum a clero curae animarum vacanti, necessitatibus et possibilitatibus ipsius cleri, in quantum fieri potest, aptetur.

Certum est etiam totum negotium de Officio divino, uti hodie viget in disciplina ritus romani, influxum monachorum subiisse. Iste influxus, bene notetur, iam satis invaluerat saeculo IV-V.

Attamen summe interest, hac in re, tria recte distinguere: naturam et structuram essentialem Officii divini; longitudinem ipsius; obligationem iuridicam recitationis.

Historice constat influxum officii monastici in officium cleri dioecesani non fuisse in naturam et structuram essentialem Officii divini, sed in quaestionem de longitudine et de obligatione iuridica ipsius.

Natura et structura essentialis Officii est ut sit oratio de se publica, constans substantialiter ex recitatione psalmorum et ex lectionibus S. Scripturae, intermissis responsoriis, ad sanctificandum tempus diei naturalis in praecipuis suis stationibus, nempe nocte (vigiliae nocturnae), mane (laudes), meridies (horae parvae), vespere.

Haec omnia in suo sensu et structura fundamentali Ecclesia non recepit ex monachis, sed e traditione apostolica, ne dicam ab ipso Domino et a traditione iudaica.

Ex influxu monachorum orta sunt solummodo: 1) Prima et Completorium; 2) factum quod Officium aliquando longius evasit, et etiam clericis imponebatur, primo obligatione quasi morali, deinde etiam iuridica. *Quare, meo sensu, aptatio Officii divini necessitatibus cleri muneri pastorali addicti fieri debet per mitigationem (in quibusdam saltem circumstantiis) longitudi-*

nis et obligationis iuridicae, non autem per mutationem structurae Officii, uti fieret si Matutinum mutaretur in meditationem et lectionem spiritualem in sensu hodierno. Naturam et structuram essentialem non esse mutandam ipsa traditio apostolica, hucusque ab omnibus Ecclesiis et ritibus catholicis Orientis et Occidentis religiose adservata, satis superque demonstrat.

Longitudo et obligatio iuridica vero mitigetur in quibusdam circumstantiis, quando clerus dioecesanus impensioribus curis obrui solet. Hoc fieri poterit v. gr. si, non raro, Matutinum reducatur ad I Nocturnum cum tribus psalmis et lectionibus Scripturae (ut olim in die Paschatis) et si episcopis ordinaria (et non tantum per indultum) tribuatur facultas dispensandi in singulis casibus.

Ceteroquin censuerim problema de Officio divino pro clero minime reduci ad quaestionem de tempore aut de obligatione. Etiamsi, pro reductione Officii, sacerdotes « lucrari » potuerint cotidie circa 15 aut 20 momenta valde dubito utrum longe maior pars ipsorum attentius, et pro seipsis fructuosius, oraturi sint quod remanet de Officio. Crediderim potius plures ex illis aliter tempus terere, v. gr. in spectanda televisione!

Quaestio potius mihi videtur de spiritualitate qua clerus nutritur! Ut quis etiam pro seipso cum vero fructu Officium recitet, oportet: 1) ut sit, in genere, vir orationis, ut patet; 2) ut oratio in forma biblico-liturgica sit ei connaturalis, quia hoc genus spiritualitatis habetur in Officio divino, sicut in Missa et in sacramentis. Est ergo praeprimis quaestio de spiritualitate secundum quam clerus efformatur et nutritur in relatione ad munera liturgica quae adimplere debet, ex primario, quamvis non ex unico, munere sui status. *Si dualismus datur inter haec munera liturgica cleri et spiritualitatem qua nutritur, Officium divinum, etiam valde reductum, semper pro illo res aegre ferenda remanebit.*

Ad n. 77: *De lingua in recitatione privata divini Officii.* In recitatione privata Officii, linguam vernaculam opinor clericis minime concedendam esse. Ratio est: quia praecipuum et vere decisivum motivum pro hac concessione consistit in facto quod clerici linguam latinam iam vix cognoscunt, et in facto quod necessaria fortasse non retineatur amplior cognitio, aut in amissa spe quod eam sufficienter cognoscere valeant aut velint futuri sacerdotes.

Iamvero — quidquid proxime decidatur circa usum et amplitudinem usus linguae vernaculae pro actuosa *populi* participationi liturgiae (porta utique maneat aperta), in hac aula conciliari fere omnes hucusque admiserunt necessitatem ut in futuro omnes (et iuxta normas Const. *Veterum Sapientia*) clerici ritus latini latinae linguae studio serio incumbant.

Ad nn. 73 *c* 74: *Lingua adhibenda in Officio pro non clericis.* Quoad Moniales, necnon sodales, sive viros non clericos sive mulieres, Institutorum statuum perfectionis, recitatio in lingua vernacula maxime conferet *ad optatissimam convergentiam versus Officium divinum et abrogationi parvorum officiorum, emendatis, si opus sit etiam Constitutionibus quae eadem praescribunt.*

31

Exc.mus P. D. LUDOVICUS FRANCO CASCÓN
Episcopus Nivariensis

Interventus, quem modeste praesentare cupio, n. 73 praesentis schematis attingit, et ad quandam petitionem factam ad Concilium refertur, quibusdam nonnullis Patribus plaudentibus et approbantibus auditam.

A Concilio petitum est, ut propositionem coarctandi obligationem recitandi Officium divinum sacerdotibus tantum ad Laudes et Vesperas probet. Labor nimirum improbus pastoralis quo tenentur, adductus est pro maximo argumento; ministerium reapse quo funguntur nimium est, et gravi obligatione recitandi integrum Officium eos onerare non expedit, qua de causa contrahendum videtur ad Laudes et Vesperas.

Hanc propositionem gravissimam iudico et causam graviorum etiam eventuum ipsi Ecclesiae, quam ob rem flagitare audeo, ut etiam argumenta contraria attente et serene perpendantur.

En mea sententia: Nihil tali propositioni cedendum; sed e contra, sacerdotes integrum Officium recitare debere. In universum loquor; minima non quaero, quae facile mutari et perfici possunt. Mea propositio est: Sacerdotes integrum Officium recitare necesse esse.

Rationes:

1. Indoles pastoralis Concilii. Concilium Vaticanum II characterem insigniter pastoralem habet: potius quam dogmaticum, pastorale est, et hac de causa optatum suum ostendit animas ad Deum perferendi. Si erga fideles igitur haec indoles pastoralis praebetur, non praetermittendi sunt sacerdotes. Erga sacerdotes cura pastoralis subtilis et exquisita adhibenda est. Talis autem pastoralis sacerdotalis vim suam amitteret, si illis Officium divinum tantum ad Laudes et Vesperas coartaretur; non oportet igitur, nec possibile factu est illud propositum recipi. Breviarium alimentum spirituale est sacerdotibus, quo se privari est nefas.

2. Actionis haeresis. Talem petitionem exaudire, favere esset rei quam Pius XII « actionis haeresim » nuncupavit. Argumentum huic cessioni adductum labor pastoralis est, qui omne tempus exigendo, Officium nonnisi ignave et languide recitari patitur. Actionis haeresis praevenienda est; illud propositum autem favet et secundat, quae sacerdotes exonerat Officio divino ut intensius labori pastorali vacent; reiiciendum est igitur.

3. Sed argumentum propositum ut Officium divinum sacerdotibus caedatur, aliud quod intendit probat, et, ut mihi videtur, omnino contrarium. Ita vere est, quia vita hodierna et respectus animarum iugem conatum et curam indeficientem exigit; multum invigilandum est ut vita supernaturalis sacerdotum ne in vulgarem naturalismum decidat; faciliora que sunt illis omnia expedienda, ut fortes in suo gradu sacerdotali maneant. Cui rei consentaneum

est Officium divinum, quod simul sacerdotes pro delenimento laboris ministerialis habent. Aperta et clara est namque conclusio. Obligatio recitandi integri Officii manere debet.

4. Quid quod nec tempus adimitur? Profecto, si tantum Laudes et Vesperae relinquantur, quod tempus ministerio additur? Dimidiae horae plus minusve. Quid vero potius existimatis, laborem pastoralem dimidiae horae spatio protendi, an hoc tempus in recitatione Officii divini consumere? Responsio dubia non est.

5. Nec ipsum propositum nanciscitur. Propositum enim graviter onerare conscientiam intendit, si sacerdotes Laudes et Vesperas non recitent; leviter autem si reliquas partes omittant. Quid hac indulgentia consequetur? Pii namque sacerdotes totum recitabunt Officium; remissi tantum eas partes quibus sub gravi peccato tenentur. Quid inde eveniet? Ut ipsi sacerdotes remissi a vita sacerdotali abalienentur, ampliusque ad meram vivant naturam.

6. Laudem et gloriam Dei delimitat. Estne adaequatio inter actionem pastoralem sacerdotum, et limitationem laudis divinae in Officio divino tributae, si maior pars supprimitur, quod sacerdotum ministerium sit laboriosius? Laus Officii divini ope tributa, sine modo excedit actionem pastoralem. Haec igitur illi praeferri debet.

7. Adducitur, ut iterum dicam, huic restrictioni ministerium sacerdotale. De fallacia huius argumenti etiam quaeri potest: Magni Apostoli Ecclesiae Dei, magni missionarii, Officione divino impediebantur, quominus omnem suum conatum in Evangelio praedicando intenderent? Contrarium evenit. Eorum requies et refrigerium in eo recitando inveniebant. Duae igitur columnae vitae sacerdotalis, Missa et Breviarium. Si aliquid eorum tollimus, ab eis etiam cibum spiritalem tollimus.

8. « Oportet semper orare ». Sacerdos maiori de causa verba Magistri exequi tenetur: « Oportet semper orare ».

Conclusio. His omnibus de causis peto, ut attente et ad amussim haec quaestio perpendatur; ne obligatio recitandi a sacerdotibus integrum Officium divinum coartetur. Non dico immutabile esse Officium ut nunc est, quod quidem melius aptari potest, ut optime propositum est; hoc dico: obligationem integre recitandi Officium divinum a sacerdotibus firmam esse debere. Ita censeo.

32

Exc.mus P. D. LINUS R. GONZAGA Y RASDESALES
Episcopus Palensis

Emendatio ad n. 73:

Aequum est ut Ecclesia in festis solemnioribus, qualia sunt festa Nativitatis Domini, Iesu Christi Regis, Conceptionis Immaculatae B. M. V., eiusdem Assumptionis, etc., plus devoveat temporis Dei laudibus concinendis

prece publica Eique gratiis reddendis. Merito igitur etiam post novum editum Codicem Rubricarum, et consequentem Breviarii novissimam recensionem, pro huiusmodi festis retentum est officium festivum, quod ad Matutinum tribus constat Nocturnis.

Lugenda vero in multis regionibus sacerdotum penuria, in quibus tamen fideles frequentissimi sunt, causa est ut saepe paroeciae habeantur cui 10.000 fideles adscripti sunt, immo et 20.000 vel etiam plures. Parochi autem praefatis diebus ingenti labore gravantur praedicationis, confessionum audiendarum, aliorumque sacramentorum administrationis.

Quare optandum videtur ut pro eiusmodi festis diebus, qui magno fidelium concursu celebrantur, duae Officii inducantur classes: altera scilicet pro illis quibuscumque qui ad recitationem Officii obligantur et curam animarum non habent, altera pro sacerdotibus animarum cura obstrictis.

Non agitur de duobus diversis Breviariis conficiendis, neque enim multa sunt festa praedictis conditionis; neque proponitur ut diversum sit Breviarium pro iis qui choraliter illud recitare debent et pro iis qui a solo recitant Officium. Agitur solummodo de distinctione facienda inter sacerdotes curam animarum habentes, et eos qui hac obligatione non obstringuntur, ut prioribus onus maximum ulterius non aggravetur.

Ideo sequens proponitur emendatio seu additio ad n. 73 *constitutionis de sacra Liturgia*: « *d*) In festis quae magna solemnitate celebrantur et magno fidelium concursu, retento Officio pro omnibus quibuscumque animarum curam non habentibus, illud brevius conficiatur ad quod iis diebus recitandum teneantur sacerdotes omnes qui curam animarum habent ».

33

EXC.MUS P. D. IOANNES E. GONZÁLEZ ARBELÁEZ
Archiepiscopus tit. Oxyrynchitanus

Animadversiones quasdam ad cap. IV « De Officio divino » auderem licentia vestra proponere. In prooemio, linn. 22 et sequentibus dicitur: « Ut divinum Officium a sacerdotibus aliisque Ecclesiae membris fragilitate humana atque difficillimis temporum adiunctis, constitutis " tamquam sanctificatio diversarum horarum diei " facilius et perfectius peragatur, etc. ». Fuit haec pericopa a plurimis intellecta utpote si nulla alia via haberetur, nisi illa trita brevius reddendi Officium divinum et lingua vulgari recitandi. Existimo tamen difficultates temporum hodiernorum e contra efflagitare ut quantum fas est ne Officium divinum reducatur sed lineis generalibus quantum potest fieri servetur.

Rationes quidem sunt: *a*) Res vere aestimata Officium hodie recitandum potest totum tribus horae quadrantibus absolvi, exceptis Officiis primae et secundae classis, quae poterunt similiter atque officia tertiae et quartae clas-

sis ad tempus contrahi brevius. Breviarium sane est maxime efficax ad intimam cum Deo unionem acquirendam fovendamque, et absonum est nos ab oratione desistere ob exigentias apostolatus, quando quidem Apostoli ipsi, Petro duce ac praeside, dixerunt fratribus in creatione diaconorum: « Nos vero *orationi* et ministerio verbi instantes erimus », tamquam res summi prorsus momenti in eorum munere apostolatus visa est magis quam sacrae communionis ipsius distributio.

b) Summi Pontifices v. gr.: Pius XI aliter rem aestimabat solvendam; in Litteris videlicet ad episcopos Argentinae et ad cardinalem Hispalensem dixerat illos debere omnibus curare viribus ut qui apostolatui addicebantur abundanter vitam alerent orationis, quippe quia subiunxit: « Nemo dat quod non habet », et sterilitatem apostolatus fere semper signum esse exiguae vitae interioris in ipso apostolo duce. Et itidem Sanctus Pontifex Pius X et insimul Pius XII in pluribus ad clerum allocutionibus et documentis passim.

c) Auderem subiungere etiam plura esse ab apostolis christianis abicienda potius quam oratio brevianda: diversiones animi scilicet periculosas, itinera innecessaria, sumptuariae res quae tum aedificationi obstant fidelium cum animae recollectioni, v. gr. nimiam lectionem foliorum periodicorum, cinematographum saepe lue inquinatum et televisionem protractam nimis, necnon litteraturae romanticae haud sanam affitionem.

d) Res et tempora sunt nubila profecto; non tamen clariora fient cum simplici parsimonia quorumdam quindecim momentorum temporis in recitatione divini Officii, nisi ipsa minuta religiose addicantur ad verum animarum in ministerio supernaturali et operoso profectum. Compellimur attestari, tamen, pluries animae pulvinum siccis foliis sarcitum esse, loco Christi Domini, vera Patris caelestis intima unctio in Spiritu Sancto.

Tandem quoad usum latinae linguae in laudibus divini Officii persolvendis, satius sit incunctanter adhaerere ad ea quae experte atque sapienter ab em.mis cardinalibus Godfrey et Wyszyński et ab exc.mo arch. Iugoslaviae hesterna die prolata fuere. In hac quaestione venerabili commissioni placeat meminisse eximiorum Pastorum, qui fuerunt simul egregii Reformatores, scilicet, SS. Pii X, Antonii Mariae Claret, Caroli Borromeo, Francisci Salesii, aliorumque plurimorum, qui enixe satagentes Christi Domini vestigia premere usque ad vitam Patri cum Christo in cruce litandam, nobis relinquentes exemplum.

34

Exc.mus P. D. VINCENTIUS A. GONZÁLEZ Y ROBLETO
Archiepiscopus Managuensis

In aliquibus regionibus Americae Latinae, parochi, ob sacerdotum penuriam, vere laboribus onusti manent diebus dominicis ac festis de praecepto, scilicet: longum atque notabile tempus dicant pro confessionibus audiendis; tres Missas celebrant cum verbi Dei praedicatione; Baptismatis sacramentum

pueris administrant ac operam dant pro catechetica instructione, ita ut ad terminum muneris pastoralis physice exinaniti deveniunt.

Proinde, quoad cap. IV *de Officio divino,* pag. 187, par. 73 sub litt. *b*, videtur mihi iusta atque gravis causa clamat ut diebus dominicis et festis de praecepto obligatio recitationis Breviarii in parochorum favorem minuatur a Concilio.

35

EXC.MUS P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

Gregis nostri selectissima pars abs dubio semper sacerdotes computabuntur, quos Dominus nobis concessit ut nostri ministerii praestantissimos operarios. Nobiscum laborant, manus et pedes et brachia nostra sunt. Ideo munus nostrum et praecipuum et singulare constanter erit, et nos magno honore eos habere et illos custodire et eorum pietatem et sanctitatem fovere. Quocirca Officium divinum, quo sacrificium laudis a labiis confitentium Deo exhibetur, habendum est veluti exquisitissima oratio pro ipsius sacerdotis pietate et sanctitate, et ideo maximi momenti illud iudicaturi sumus; quod forsan non obtinebitur, si ex magna parte ipsius recitatio reduceretur.

Non est nobis inficiendum sacerdotem in hodiernis temporibus constitutum, et negotiorum voragine immersum et agitatum, fere ut numquam, Dei gratia indigere, ut et Domino coniunctus maneat et apostolatus opera inter suos fideles efficaciora reddantur. In praesentibus circumstantiis ipsi quam maxime opus est orationi vacare, ne tantis periculis commotus et spiritualiter ipse succumbat et in vacuum laborare patiatur, magna et animi et corporis fatigatione immo et consumptione.

Propterea liceat mihi haec reverenter ac submisse exponere:

1. Officium divinum, hoc est, breviarium in schemate magnis laudibus extollatur et enixe sacerdotibus commendetur ut contrariis praeiudiciis reiectis, et cum amore illud recipiant et in eius recitatione cum gaudio et animi fruitione quotidie versentur.

2. Ne nimis eius recitatio minuatur, sed reductio et imminutio prudenter et sapienter fiant. Meo humili iudicio, si aliqua imminutio facienda sit, sufficiens erit matutinum reducere ita ut in omnibus officiis cuiuscumque classis, aequali modo, novem psalmos et tres lectiones contineat.

3. Optimum esset in Officio divino maiorem et distinctiorem numerum psalmorum et lectionum introducere, ne tam frequenter eadem repetantur et ne sacerdotes Sacrae Scripturae ampliori cognitione et fruitione priventur.

4. Obligatio Breviarii recitandi servetur ut hucusque viguit, et quidem pro omnibus partibus, nec quaedam ad liberam uniuscuiusque voluntatem relinquantur, etsi earum recitatio maxime commendaretur.

Prae oculis habenda est humana fragilitas, de qua iam in initio huius

capitis dicitur, et in memoriam revocanda ad commoditatem propensio et ad dissipationem hodierna facilior inclinatio. Si lex Ecclesiae Breviarii recitationem non urget, sensim sine sensu partes liberae dispositionis ab omnibus vel fere ab omnibus derelinquerentur. Indesinenter orandum est, et neminem latet pulcherrimam et piissimam esse Breviarii recitationem.

5. Si in primo capite huius schematis usum linguae latinae licuit defendere in actibus liturgicis in genere, et saltem in praecipuis, admissa tamen lingua vernacula ut medio et instrumento melioris intellectionis, multo maiori ratione, cum de Breviarii recitatione agatur, quoad clericos spectat hoc pacto licebit arguere. Nam in hoc casu lingua latina certo certius et est signum visibile unitatis, signum visibile universalitatis Ecclesiae, et signum recognoscentiae et communicationis mutuae.

Omnes eius studio pro multo tempore vacavimus, eius studium a Sancta Sede hodie enixe commendatur, immo in Constitutione *Veterum Sapientia* Ioannis XXIII, feliciter regnantis instanter et graviter urgetur in Seminariis et Universitatibus catholicis ut ad sacerdotium candidati de latina lingua diligenter edoceantur.

Sublato linguae latinae usu pro Breviarii recitatione, immo etiam pro Missae celebratione, statim stimulus pro huius linguae studio disparebit, cum maximo nostri sacerdotii detrimento et multorum thesaurorum perpetua amissione, ut saepe saepius in hac aula conciliari audivimus, et mentem nostram, in hoc loco, opportune pandere non potuimus ob defectum temporis ad loquendi licentiam obtinendam. Quod etiam ex corde sincero sentimus et si quando eius suppressio acciderit, etiam vehementer plorabimus.

6. Proinde laeti esse non possumus nec minus eorum sententiam recipere, qui ad linguam vernaculam Breviarium transferre intendunt.

7. Congruum videtur quod horis, in quantum fieri possit, veritas temporis reddatur, sed diversas vitae conditiones et multiplices sacerdotum occupationes praetermittere incongruum esset. Splendidus Officii divini traditionalis cursus apparet, et eius observatio commendanda pro omnibus, et servanda pro non paucis saltem monialibus et religiosis choro adstrictis.

Pro maiori facilitate et ut obligatio Breviarii quotidie recitandi minus onerosa constituatur, forsan opportunum erit facultatem concedere praecepti adimplendi intra diei horas, etsi consilium detur sese accommodandi uniuscuiusque horae significationi et Ecclesiae desiderio et ordinationi.

8. Pauca pro Capitulis residentialibus proponuntur. Si eorum officium principale est Deo cultum publicum et solemne offerre, aliquid amplius videtur statuendum, sive laudes et tres horae minores cum Missa ponantur, quando a Capitulo cultus mane celebrentur, sive duae horae minores et vesperae cum Missa conventuali, si cultus vespere peragatur, ut in aliquo Capitulo cathedrali scimus hoc evenire. Quoquo modo fiat, censemus aliquid amplius exigendum quam in hoc n. 73 requiritur.

Sed tamen alias modificationes auderem, vestra venia, indicare: et quod chorus semel in unoquoque die, mane vel vespere, in omnibus ecclesiis ca-

thedralibus locum habeat, de consensu canonicorum et de iudicio Ordinarii, approbante Sancta Sede, et quod canonici et beneficiati, qui ad normam iuris episcopo inserviunt, vel qui nomine et persona episcopi aliquod munus v. g. ipsius vices gerere in aliquo actu officiali et aliis similibus acceperint, praesentiam in choro non amittant et distributiones chorales percipiant. Ita et libentius episcopo inservient, et distributionum amissione sublata, libentissime munus eis commissum adimplebunt et ad episcopo iuvandum semper facilius praesto erunt.

Cetera quae in hoc capite continentur et laudanda et accipienda sincere putamus.

36

EXC.MUS P. D. PHILIPPUS MATTHAEUS HANNAN
Episcopus tit. Hieropolitanus, aux. Vashingtonensis

Quoad obligationem Officium divinum recitandi, quandam proponere velim immutationem quae alleviare possit onus nunc impositum sacerdotibus qui in regionibus operosioribus laborant: Conferentiae episcopali nationali tribuatur facultas concedendi ut omnes qui ad recitationem Officii divini tenentur obligationi satisfacere possint recitando lectiones tantum Matutini una cum Laudibus ac Vesperis, dummodo Sacrificium Missae eodem die litaverint atque per septem saltem horas eiusdem diei in operibus ministerii sese exerceant.

Rationes sunt cura animarum pastoralis necnon sanctificatio sacerdotum.

Cura vero animarum in paroeciis magnis operosisque totum animum viresque omnes cuiusque sacerdotis postulat. His enim potissimum diebus sacerdotes per multas quidem horas sedulo se exercere coguntur in variis sodalitatibus atque confraternitatibus instituendis ac fovendis, exempli gratia confraternitate Doctrinae Christianae et confraternitate Sanctissimi Sacramenti; iidem sacerdotes in consiliis saepe dandis atque in Sacramentis conferendis tempus impendere vel diutinum coguntur. Praeterea in Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis aliud onus sacerdotibus maximum imponitur pecuniam colligendi ad aedificia paroecialia construenda, inter quae est fere semper schola paroecialis. Omnes fere paroeciae in archidioecesi Washingtonensi sitae, sicuti in plerisque dioecesibus patriae nostrae, in aere alieno sunt, quod quidem pecunia a fidelibus in dictis paroeciis data dissolvi debet. Ut praesentem paroeciarum nostrarum compaginem servemus, quae scholam independentem a Statu atque pecunia ex fontibus tantum paroecialibus sustentam includit, sacerdotes nostri multum temporis atque omnes vires suas impendere coguntur.

Quae cum ita sint, sanctificatio sacerdotum melior redderetur si onus Officii, sicuti nunc constat, alleviaretur. Si Officium divinum ad formam reduceretur breviorem, sacerdotes ipsa verba Sacrae Scripturae attentius animadvertere itaque devotionem magis ac magis fovere possent.

37

REV.MUS P. D. CORNELIUS HEILIGERS
Superior generalis S.M.M.

Pag. 187, n. 73, lin. 9. Cum non omnes Ordines Monialium obligatae sint recitatione chorali divini Officii (v. g. non tenetur recitatione divini Officii Ordo Visitationis B. M. V., Ordo Ursulinarum) post verbum « Monialium » adderem: *secundum proprias Regulas et Constitutiones* ».

In toto n. 73, litt. *a*) res ita est exprimenda ut ratio habeatur, sive pro recitatione divini Officii in choro persolvenda, sive pro recitatione a solo, iuris particularis Monialium et aliorum Religiosorum, necnon sodalium Institutorum status perfectionis.

Loco citato, n. 73 *c*) linn. 21-23. Utiliter exhortatio seu commendatio constitueret novum numerum in quo commendatio fieret sive pro recitatione in choro seu in communi, sive pro recitatione a solo persolvenda.

Pag. 187, n. 74, linn. 24-29. Dignitas orationis publicae agnoscenda videretur tantum si quod parvum Officium approbatione a S. Sede data, sicuti pro Breviario, decoretur.

Etiam recitatio Parvi Officii B. M. V., in usu apud plurimas Religiones mulierum praesertim, sive prouti in Breviario nunc continetur, sive prouti adaptatum fuit agnosci poterit uti oratio publica Ecclesiae.

Putarem Parva Officia non esse nimis multiplicanda. Censerem melius esse agnoscere dignitatem orationis publicae recitationi alicuius Officii tantum cum haec recitatio obligationi sive ex iure generali sive ex iure particulari mananti innititur.

38

EXC.MUS P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET
Episcopus tit. Doritanus, prael. null. Cluniensis

Art. 68. Opportunum mihi videtur unum ex articulis explanare, et quidem ad mentem commissionis praeparatoriae, uti constat in declarationibus ad schema.

Hoc erit perutile, ni fallor, Patribus Conciliaribus ut sibi facilius ad suffragia recte ferenda iudicium efformare valeant.

Agitur nempe de art. 68 nostri schematis, qui fundamentalem structuram Officii divini determinat. Ex praefatis declarationibus nonnulla vobis ad considerationem exhibere cupio et meam de his aperire sententiam.

1. Nonnulli episcopi, uti constat apud « Acta et Documenta » (cf. pag. 303-305), postularunt ut Concilium duplicem Officii divini recitandi formam decerneret, id est, ut *duo Breviaria* conficerentur, « communitarium » unum, alterum vero « privatum ».

Commissio praeparatoria, historiam et scientiam liturgicam prae oculis habens, unicum Breviarium proposuit, idemque « *communitarium* », his ducta rationibus:

a) Quia oratio sacerdotis qui solus recitat Breviarium, debet esse semper aperta fratribus, sacerdotibus et plebi fideli.

b) Quia hoc modo melius repraesentatur Ecclesia orans, nam sacerdos orat nomine proprio et nomine Ecclesiae.

c) Quia Ecclesia nunquam admisit formam Breviarii, quae recitationem communitariam excludat. Voluit semper (est eius magna Traditio) ut Officium divinum esset pro pluribus simul, ex eo quod, ut dixi, ita melius repraesentatur Ecclesia orans.

In memoriam revocare oportebit historiam Breviarii card. Quiñones, experimenti gratia iussu Clementis VII exaratum, benigne a pluribus receptum, a Patribus vero Concilii Tridentini reiectum et tandem a Paulo IV, anno 1558, definitive prohibitum.

Conclusio: *Unicum* proponitur Breviarium idemque *communitarium.*

2. Nemo ignorat clericalis vitae mutationes hodiernis temporum condicionibus inductas. Aliae sunt et quidem novae et perplures apostolatus formae quibus incumbere debent nostri sacerdotes; exiguus persaepe sacerdotum numerus, specialia hodiernae societatis adiuncta in quibus sacerdotes vitam agere debent et apostolicam operam navare debent. Haec omnia certissima sunt.

Inde tamquam sequela aliud factum eruitur quod sincere negare non possumus, scilicet: Sacerdotes, etiam ferventissimi et orationem publicam Ecclesiae magni facientes (quae in suo Breviario continetur), nihilominus Officium divinum generatim horis determinatis recitare non valent, et hoc non raro sed valde frequenter, etsi de hoc facto ipsi doleant. Laudes persaepe propter laborem cui incumbunt vespertino tempore persolvere coguntur, aut Vesperas matutino tempore recitant ne forte postea aliquo impedimento detineantur, aut tota series horarum uno tractu recitatur quando iam sub finem diei tempus urget et cum prae nimia defatigatione et somno, devotioni vix locus esse potest.

Agitur, ergo, de facto quod revera saepe contingit etiam iis sacerdotibus qui pietate praestant et Breviarium amore prosequuntur. Horae suo tempore revera non persolvuntur. Cum hoc factum persistat non obstante bona sacerdotum dispositione et voluntate, exhortationes, uti patet, remedium afferre non valent. Necesse ergo est ut opportunae et rationabiles mutationes vel adaptationes introducantur. Haec omnia commissio praeparatoria attente consideravit, quando schema praesens confectum fuit quod nunc prae manibus habetis. Haec est structura Officii divini prout in schemate invenitur, scilicet:

A) *Matutinum.*

1) Hora quae dicitur « Matutinum », omnibus mature perpensis, debet

etiam conservare suam propriam et quidem antiquissimam structuram cum psalmis et lectionibus.

2) Opportunis perfecta mutationibus vel aptationibus, non assignetur talis Hora liturgica determinatae diei horae, nec noctis nec matutini temporis, sed ita aptetur ut qualibet diei horae, cum veritate conveniat et vere recitari valeat. Consequenter, iam non deberet vocari « Matutinum »; proponitur ut nominetur *Hora lectionum.*

3) Sicut multi episcopi petierunt (cf. *Acta et Documenta,* pp. 316-318), abbrevietur talis « hora lectionum », eam reducendo ad mensuram unius « Nocturni », ut ita dicamus, secundum formam venerabilem Paschatis, ut iam fit, cum tribus tantum psalmis et tribus lectionibus, psalterio per plures hebdomadas distributo, secundum art. 69 praesentis schematis. Hoc etiam multi episcopi petierunt (cf. *Acta et Documenta,* pp. 314-316).

B) *Vesperae et Laudes intactae* maneant, forma sive a S. Pio V, sive a S. Pio X decreta.

C) *Horae Minores* ita instruantur ut tempore competenti faciliter recitari possint. Quidam ex commissione praeparatoria voluerunt omnes Horas Minores in unam fundere; aliis haec mutatio non bene visa est. Via tertia praevaluit, quae in schemate Patribus proponitur: Horae Minores sint brevissimae et psalmum unicum habeant ad sanctificandum laborem quotidianum.

Hora quae vocatur *Prima* est aliquid additum decursu temporum ob rationes vitae monachalis et non est cur etiam nunc conservetur, sicut unanimiter tenuerunt et periti et praelati commissionis. Solutio est ut apto modo cum laudibus uniatur, ne oratio matutina duplicetur.

Additamentum unicum pro Vesperis postulatur in art. 72, *b*), nempe *Preces.* Hoc ita proponitur, quia videtur esse magni momenti, ut secundum antiquissimam traditionem Orientis et Occidentis, impleatur melius mandatum Apostoli precandi pro variis necessitatibus mundi et Ecclesiae. Preces, tamen, debent esse breves, ut Officium non protrahatur.

His rationibus innixus, mihi videtur, Patres Venerabiles, articulum 68 bene mereri ut, cum magno amore traditionis et simul cum cognitione et recognitione modernae realitatis, ut ita dicam, a vobis benigne approbetur.

Tali modo Breviarium, ex una parte, internam suam structuram a saeculis sancitam conservaret; et ex alia parte, recitationem magis possibilem et desiderabilem Officii divini sacerdotibus redderet, qui vitam orationis magni aestimant et tamquam substantiam suae vitae sacerdotalis orationem Breviarii faciunt.

Art. 77. Valde mihi displiceret si iterum disputatio de lingua latina instauraretur. At hic quaestio de lingua magnum momentum habet.

Sunt qui velint ut Breviarium a sacerdotibus vernacula lingua integre omnino persolvatur, nam e contra sacerdotes quamplurimi, uti aiunt, non poterunt digne, attente ac devote, et ne scienter quidem, publicam Ecclesiae orationem recitare. Talis orandi modus esset potius actus mechanicus, formularius, graviter onerosus, et Breviarium nihil conferret ad Sacrae Scripturae

cognitionem neque Ecclesiae sensus in eo perciperetur neque devotionis pabulum in eo inveniri posset.

Alii vero omnino contrarium tenent et nullam mutationem patiuntur, sed hanc solam viam pro solutione proponunt, scilicet: Discant sacerdotes latinam linguam et orationem liturgicam scienter ac devote recitare valebunt. Nihil innovetur nisi quod traditum est.

Primae sententiae patronis dicimus: Si latinae linguae in recitatione Breviarii valedicimus, in Ecclesia de lingua latina actum est. Gravissima incommoda quae inde sequerentur, Venerabiles Patres, nemo est qui videre non possit. Quapropter, hanc sententiam quae finem in Ecclesia latinae linguae significaret, approbare non possumus.

Alterius vero opinionis fautoribus dicimus: Nolite extremam vestram sententiam omnino immutabilem tenere, nam adversae opinionis patroni gravibus et laude dignis rationibus moventur, nam spiritualis et asceticae vitae progressui in sacerdotibus, et quidem merito, consulere volunt et Ecclesiae bonum promovere intendunt.

Pius XII quondam locutus est de contrariis et quidem extremis liturgistarum atque antiliturgistarum assertionibus: Illis (liturgistis nempe) dixit: « Omnia probate. Quod bonum est tenete ». Aliis vero (id est antiliturgistis): « Spiritum nolite extinguere ».

En, uti existimo, solutio quae duas contrarias tendentias componere posset et sacerdotibus et simul Ecclesiae favere posset.

1. Sacerdotes latine integrum divinum Officium persolvant, ut proponitur in art. 77 *a*).

2. Decernat Concilium — nisi iusta de causa aliud in determinato loco fieri oporteat — aut saltem enixe commendet ut in Breviario versio vernacula iuxta latinam versionem contineatur modo synoptico. Hoc modo sacerdotes cum aliqua intelligendi difficultate in latino textu detineantur, statim ictu oculi versionem vernaculam in adiacenti pagina conspicere possent.

3. Declaretur eam tantum Breviarii recitationem esse validam quae latina lingua peragatur.

Quod si ita factum fuerit, sacerdotes Breviarium, utriusque versionis ope atque adiutorio, probe intelligerent et degustarent, et cum aliquid eis temporis suppeteret, in intimum et exactum orationis liturgicae sensum penetrantes, meditationis quoque pabulum ex Breviario abundanter haurire possent. Optime sacerdotalis animus aleretur Breviarii divinis laudibus atque doctrina. Sic etiam efficeretur ut Breviarium optimus idemque carissimus devotionis liber pro sacerdotibus existeret.

Duplex scopus hoc modo attingeretur qui ab adversae opinionis fautoribus intenditur, et finis aliquando disceptationibus imponeretur. Et latina lingua — venerandus Ecclesiae thesaurus — in labiis sacerdotum iugiter conservaretur; et Breviarium, non solum probe ab omnibus intelligi posset, sed devotionem et gustum ex eo omnes percipere possent, propter versio-

nem vernaculam accurate quidem et expressive factam quae, ornamenti instar, latinam linguam comitaretur eamque, vetustate gloriosam et pulchritudine decoram, legitimo atque iusto honore prosequeretur.

39

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

Unanimi ore et corde petimus (episcopi de Vietnam) ut divinum Officium *a*) a clericis in sacris constitutis integre recitetur et quidem lingua latina, cum facultate Ordinariis locorum facienda, ut possint in casibus particularibus et determinatis, pro suis missionariis in recitationem in alia quam in latina lingua eam commutare; *b*) pro religiosis vero utriusque sexus laicis, eis permittere ut quando necessitas vel utilitas id postulat, recitationem sui Officii divini in alia quam in latina.

40

Exc.mus P. D. IOSEPH KIWANUKA
Archiepiscopus Rubagaensis

Agere velim *de integritate divini Officii servanda.*

Quidam Officium divinum aliquibus horis canonicis reiectis deminuere exoptant quasi longitudo Officii divini muneri obstet pastorali, cum sacerdotibus, muneris pastoralis gravibus laboribus oneratis, tempus desit Officium integrum recitandi.

Probe tamen scimus munus pastorale perfici oratione et actione sacerdotali, quarum primatum obtinet oratio. In ea enim ipse Deus praesens operatur a quo tota supernaturalis ministerii pastoralis vis profluit. Oportet ergo sacerdotes iterum iterumque commonefieri ut orationem actioni praeferant.

Desiderium integritatis divini Officii servandae vobis propono quia in disceptationibus proxime elapsis quidam eo tetenderunt ut Officium divinum, oratio illa principalis sacerdotis, magnopere abbreviaretur. Multi eiusmodi conatui applaudunt. Timeo ne complures his opinionibus alliciantur non satis perpendentes quanti sit revera Officium divinum in vita pastorali.

Em.mi et rev.mi Patres, quanto temporis spatio Officium integrum a sacerdotibus absolvi potest? Rubricis Breviarii ad simpliciorem formam redactis plerumque sufficit *una hora.* Num nimium est hoc tempus orationi deditum? Ceterae horae actioni addici possunt. Saepenumero tamen sacerdotes, qui se de recitando Breviario excusare volunt, tempus nugis conterunt dum longas ephemerides perlegunt vel spectaculis televisivis intersunt etc.

Humiliter *censeo* Officium divinum integrum servandum esse ut unam saltem horam quotidie sacerdotes orationi dedant.

Cum diebus festis et dominicis sacerdotes maiore ministerii pondere opprimantur, Officium horum dierum ad simplicissimam formam oportet redigi pro iis qui curam animarum habent. Decursu Hebdomadae Sanctae celebratio liturgica aliquando locum partis divini Officii tenet. Cur non idem facimus diebus festis et dominicis quibus sacerdotes, duabus vel tribus missis oblatis, publicis etiam pomeridianis supplicationibus intersunt?

Hortemur igitur sacerdotes ut libentissime impendant et superimpendantur pro animabus (cf. *2 Cor.* 12, 15). Praeprimis autem eos exhortemur, ut instantes sint orationi (cf. *Act.* 6, 4), e qua pendent nervi actionis; Officium divinum praeponant actioni externae quae humanae infirmitati, orationi pertaesae, magis placet. Caveamus ne viam latam pandamus infirmitati naturae humanae.

41

Exc.mus P. D. LUDOVICUS LA RAVOIRE MORROW
Episcopus Krishnagarensis

Humiliter considerationi vestrae sequentes animadversiones propono « De Officio divino recitando ».

Quis possit negare recitationem Breviarii plerisque sacerdotibus *in sacro ministerio occupatis,* nullum afferre gaudium, nullam refectionem spiritualem, sed potius novum onus, impositum sub poena peccati mortalis?

Quid ergo utilius hoc Sacrum Concilium possit facere ad bonum spirituale cleri et Ecclesiae quam adaptare Breviarium tali modo ut ab omnibus sacerdotibus possit intelligi, amari, et cum devotione recitari?

In primis, in votis est ut praeter Breviarium usitatum, quod est indolis praecipue monasticae, conficiatur saltem unum Breviarium diversae indolis, quod sit melius accommodatum sacerdotibus *in ministerio constitutis,* eisque suppeditet amplius et varium nutrimentum pro variis gustibus, circumstantiis et necessitatibus. Sic oratio publica Ecclesiae facilius fiet oratio personalis uniuscuiusque sacerdotis, *vere* sincera ac fructuosa.

Praeterea, bene scimus quantum impedimentum devotionis sit lingua latina pluribus sacerdotibus. Revera, divitias Breviarii Romani non vere gustant nisi qui linguam latinam optime callent; et ii semper erunt parvus numerus.

Pro reliquis sacerdotibus, Officium divinum erit laboriosus conatus intelligendi textum, vel etiam recitatio verborum ad modum psittaci vel phonographi. Hoc impedimentum Concilium facile potest tollere si permittat sacerdotes Ritus Latini Deum laudare *sive latine sive lingua materna* sicut sacerdotes aliorum rituum.

Quapropter, haec sunt mea postulata:

1. Ad n. 73 (*Obligatio*), in lin. 5 addatur: « Haec autem obligatio non sit sub poena peccati mortalis.

2. N. 77 sic mutetur: « In Ecclesia Occidentali Officium divinum potest recitari sive *latine* sive *in lingua vernacula.*

3. Ad finem capitis, post n. 78 addatur n. 79 his fere verbis: « Praeter Breviarium nostrum *communitarium,* aliud Breviarium conficiatur pro sacerdotibus in sacro ministerio occupatis ».

42

EXC.MUS P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ

Episcopus Sideropolitanus

I. In prooemio aliqua verba addenda essent de oratione privata et oratione mentali (meditatione), quia oratio stricte liturgica ex isto fonte vivit et in tantum viva et non mere formalistica remanet, in quantum ex hoc fonte iterum atque iterum haurit.

II. Quod Officium divinum attinet, aliquae instaurationes et reformationes in eo sine dubio utiles et etiam partim necessariae erunt, et quidem parvae abbreviationes, modificationes et accommodationes. Sed omnes instaurationes tales sint, quae magis re quam lege ad vitam sacerdotum spiritualem alendam et ad christifidelium laborem cotidianum sanctificandum conducunt.

III. In concreto proponuntur:

a) *Abbreviationes*: non plus quam necessariae, quia Officium divinum fere satis abbreviatum est. Sacerdotes pro futuro non minus sed melius et magis pie orent. Abbrevientur ergo Officia festis I classis et II classis ad mensuram festorum III classis et festivitas magis in propriis textibus quam in eorum longitudine appareat.

b) *Modificationes*: Pro talibus schema nostrum satis convenientes propositiones facit, quae certe observationibus perutilibus Patrum adaugebuntur, respective talibus, quae in « Actis et Documentis » inveniuntur. Quibus omnibus perpensis et peritis auditis definitiva forma perficiatur.

c) *Accommodationes*: Breviarium sacerdotis saecularis vitae eiusque obligationibus accommodetur. Quia sacerdos saecularis tantum mane, meridie et horis vespertinis orationi incumbere potest, Officium recte contractum ad has tres partes diei distribuatur, et quidem in 1) Officium matutinum; 2) Officium meridianum; 3) Officium vespertinum.

Ut supra iam dictum est, non de abbreviatione sed tantum de meliori accommodatione hic agitur.

IV. Ad difficultates eliminandas aut saltem minuendas conducere possint, si Conferentiae episcopali aut Ordinario loci facultas detur: *a*) Officium divinum in alia opera pia, praeprimis in meditationem aut lectionem S. Scripturae aut alia opera pastoralia et gravia commutandi, aut *b*) ex causis iustis, gravibus et praecise statutis ab Officio divino dispensandi, aut *c*) in casibus particularibus recitationem Officii divini in lingua vernacula permittendi.

43

EXC.MUS P. D. NICOLAUS LAUDADIO
Episcopus Gallensis

Cum schema de S. Liturgia, in cap. IV, n. 71, *a*), peropportune proponat distributionem lectionum Sacrae Scripturae quae consentiat ut thesauri verbi divini in *pleniore amplitudine* adiri possint, et in eodem numero, *b*), instaurationem *mensura largiore* lectionis ex Patribus, hora quae Matutinum dicitur, videtur ita funditus reformanda ut indolem assumat exclusivam ordinatae et attentae lectionis sacrarum scripturarum et selectorum operum Patrum.

Quae quidem lectio ita ordinari posse videtur ut qui ad Officium divinum persolvendum tenentur, loco Matutini, attente percurrant, brevi tantum praemissa Sancti Spiritus invocatione, textum Sacrae Scripturae et Patrum pro unoquoque anni die a competenti auctoritate assignatum. Assignatio vero textuum fieri posset per librum liturgicum ad modum enchiridii compositum, qui colligat textus pro singulis diebus alicuius cycli annorum, puta quinquennii.

Commoda huius reformationis plura et magni momenti praevideri possunt.

In primis, vere *largiore mensura* attingeretur Verbum Dei et doctrina Patrum. Textus enim quotidiani ita determinari poterunt, ut, simul sumpti, 15 saltem momenta quotidie lectionis occupent. Porro selectio textuum facilior et opportunior evaderet si absque praeoccupatione indolis singulorum dierum liturgicorum fieret.

Et ita, lectionem S. Scripturae et Patrum quotidie peragentes optimum animae cibum invenirent et simul largiorem et magis organicam sacrarum Scripturarum et doctrinae Patrum cognitionem.

Insuper, lectio esset magis ordinata et continuata, absque etiam repetitionibus, per periodum plurium annorum.

Nec gravia incommoda videntur ex hac reformatione oriri. Matutinum enim, in quantum *laus nocturna,* quemlibet sensum iam amisit ex quo eius celebratio tempore nocturno fere penitus cessavit. Nocturno enim tempore celebratur tantum a paucis ordinibus religiosis, et in universa ecclesia tantum nocte Nativitatis. Posset concedi, iis qui nocturno tempore matutinum quotidie celebrare solent, aut in aliquibus festis celebrant, exemptio a peculiari nova lectione Sacrae Scripturae et Patrum.

Nec obiici potest Officium divinum absque Matutino mutilum extare. Matutinum enim pro sanctificatione nocturni temporis institutum fuit; pro sanctificatione vero temporis diurni, a summo mane (laudes) ad horam requietis (completorium), reliquis divini Officii horis cautum est.

Propterea non videtur necessarium nisi nocturno tempore celebretur.

Immo, associatio eius indolis *nocturnae laudis* cum aptitudine ut *qualibet diei hora recitari valeat* (cap. IV, n. 68, *c*) contradictoria videtur.

Verum quoddam inconveniens ex eo provenire videtur quod lectiones historicae ex biografia Sanctorum nullum locum amplius invenirent. At huic difficultati satis occurrere posset additio lectionis contractae, quam vocant, in festis Sanctorum. Quae de cetero festa numero reducenda erunt secundum laudabilia optata huius schematis.

Quapropter, emendationem n. 68, *c*) cap. IV ita proponerem: « hora quae Matutinum vocatur, ita ordinetur ut indolem lectionis Sacrarum Scripturarum et Patrum exclusive assumat ».

44

Exc.mus P. D. ALOISIUS LIVERZANI
Episcopus Tusculanus

Cum disceptatio in cap. IV schematis sacrae Liturgiae praeter exspectationem finita esset voto Patrum Conciliariorum, liceat mihi proponere studio commissionis ad s. Liturgiam propositae et postea, si ei placuerit, suffragio Concilii, duas propositiones, quae, nisi fallor, a nullo disceptante propositae sunt.

1. *Ad n. 73,* cap. IV. Ad obligationem divini Officii recitandi praescribendam, nonne esset utile non solum quantitatem divini Officii (de qua multum locuti sunt Patres) sed etiam *tempus ad illud recitandum necessarium* praescribere?

Ratio est quia non raro accidit quod clerici, praecipue qui animarum saluti se addunt et privata recitatione utuntur, divinum Officium nec devote nec attente recitent, cum eis praecipue intersit ad finem recitationis pervenire. Unde fit quod, v. g., per unam horam orent, sed sine attentione et sine devotione orent, quia tempus urget.

Oratio non est vera oratio sine attentione et sine devotione; sed attentio et devotio non dantur sine congruo spatio temporis. Deo sine dubio gratior est oratio per unam horam et paucis precibus, sed attente peracta, quam illa per unam horam et multis precibus, sed sine attentione. Et saepe fit quod attentio desit propter nimias preces.

Cum aliqui Patres velint totam quantitatem Officii conservare, quidam econtra illam abbreviare, nonne praescribi potest quaedam abbreviatio Officii tempore longiore (una hora cum dimidio) recitandi? Recitatio esset attenta, facilius devota, et evaderet gratior Deo et utilior menti recitantis.

Hoc principium generale, si placuerit, Concilium statuat; commissiones post Concilium quomodo in praxim deduci possit statuent.

2. Attento principio superius exposito, attentis etiam condicionibus vitae nostri temporis, nonne utile esset ad recitationem attentam divini Officii,

illud persolvi posse etiam post mediam noctem? Cura animarum saepe exigit laborem sacerdotis usque ad altam noctem protractum. Etiam Rubricae Breviarii hoc insinuare videntur, quia Completorium in fine diei ponitur cum examine conscientiae. Finis diei non raro evenit post mediam noctem.

45

EXC.MUS P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainanensis

Pro sacerdotibus sinensibus et, si non fallor, etiam pro sacerdotibus aliarum regionum terrae missionum, necessitas petendi concessionem non adest ut divinum Officium in lingua vernacula dicatur in recitatione privata sacerdotum. Nescio cur tanta necessitas urgeretur ut haec concessio detur sacerdotibus de Europa et America oriundis. De cetero studium linguae latinae multum facilius habetur pro seminaristis europaeis vel americanis quam pro nostris seminaristis.

46

EXC.MUS P. D. VLADIMIRUS MALANCZUK
Episcopus tit. Epiphaniensis in Syria

Eadem commissio Liturgica pro revisione Librorum Liturgicorum orientalium iam existens

a) Breviarium pro recitatione privata clericorum magis practicum et ordinatum ex Breviario iam existente conficiat.

b) Atque ita disponat partes onusque diei ut recitatio devota non duret ultra dimidiam partem, vel ultra 40 momenta unius horae.

47

EXC.MUS P. D. GEORGIUS MANRIQUE
Episcopus Orurensis

N. 68 (Cursus horarum) et n. 76 (Tempus recitandi). In his numeris ponitur tanquam « criterium » quod recitatio divini Officii ita sit ut « cursus horarum ita instauretur ut " Horis " veritas, in quantum fieri potest reddatur ».

Attamen hoc sapit « Monachismo », ita ut etsi dicatur hoc criterium esse « ratione habita diversarum conditionum vitae hodiernae in determinatione iuridica temporis », tamen certum manet quod vita pastorum hodie illud cri-

terium « cursus horarum » resisti non possit, ideoque vita spiritualis pastorum ex Breviarii recitatione haurienda semper habebit saporem inadaequationis ad illud criterium et dissociatio inter illud criterium et realitatem vitae pastoralis semper incommode a pastoribus patienda erit, cum ipsi vitam integram liturgicam ex toto corde desiderant.

Quare non adoptatur criterium vere obiectivum sicut respondet conditionibus realibus pastorum? Monachi habeant suum ordinem recitandi, cum habent diversam vitam, tranquillam et miro ordine partitam. Pastores autem valeant gaudere proprio ordine recitandi. Certe Monachi semper nobis praebent exemplum eximium *spiritus* liturgici; attamen haec non est causa ut etiam nimia particularia materialia vitae monasticae a nobis imitanda in mundo sint.

Unde ut fructuosior et efficacior sit recitatio nostra Breviarii, sequentibus criteriis ordinanda sit:

a) *mane* recitentur Laudes.

b) Cum oratio mentalis inchoetur, recitentur horae Matutinum, ita tamen ut, post psalmos, *ad libitum recitantis,* recitetur capitulum Sacrae Scripturae quod ad meditationem inserviat vel paragraphus Patrum, etiam lingua vulgari, ut melius ad orationem mentalem inserviat. Et finiatur cum oratione et « Te Deum ».

c) *Sero* recitentur Vesperae.

d) *Completorium* sit clausura diei, i. e., oratio ultima, cum examine conscientiae inclusa.

e) Ceterae horae, minores dictae, tollantur, vel ita reducantur ut sint facili et breviori recitatione, quasi mera elevatio mentis ad Deum intra laborem: v. gr.: Pater noster, unicus brevis psalmus (semper idem) et oratio.

N. 69 (Psalmi). In hoc numero dicitur « psalmos non amplius per unam hebdomadam, sed per longioris temporis spatium distribuendos ». Desiderandum est ut hoc temporis spatium sit integer mensis, ut melius distribuantur psalmi et recitatio non gravetur.

N. 71 (Lectiones). Optime ut revisentur lectiones ita ut « thesauri Verbi divini » et « sublimis doctrina Patrum » mensura largiore instaurentur. Ita tamen agatur haec revisio ut non lectiones pro unoquoque die determinentur, sed potius plura capitula S. Scripturae et Patrum pro unoquoque tempore liturgico offerantur, etiam lingua vulgari, ex quibus ad libitum pastor eligere valeat ad orationem mentalem peragendam. Unde sint ne nimis longa, sed breviora et divisa, iucunda et ad hunc finem orationis mentalis apta.

N. 72 (Orationes). Optime ut orationes quae praesto sunt in Sacramentariis includantur; itemque optime ut preces pro variis mundi et Ecclesiae necessitatibus inserantur. Non ita tamen ut recitatio longior evadat. Alia ex parte, optandum non esset ut hae orationes pro necessitatibus mundi et Ecclesiae sint ad hoc ut recitentur cum populo, lingua vulgari, in functionibus serotinis, quae fere in omnibus paroeciis et ecclesiis quotidie habentur, et ita « populus Dei » actuose participet in vero actu liturgico serotino? Nonne

optandum est ut functio serotina, in qua recitatio Rosarii simul cum benedictione Eucharistica et aliqua recitatione orationum pro necessitatibus mundi et Ecclesiae habetur, actio vere liturgica declaretur? Non enim intelligitur cur haec « devotio » et haec functio in ecclesiis facta a tot Summis Pontificibus per saecula et indesinenter et plurimis Encyclicis commendata, adhuc liturgica non habeatur... Maxime cum sit populo Dei tam apta, intelligibilis, amabilis et ex immo corde amata...

N. 73 (Obligatio). Circa obligationem sequentibus verbis utuntur in hoc numero: « servandum », « obligati », « tenentur ». Subintelligitur quod est « sub peccato *mortali* », etsi expressis verbis id non dicatur? Ita videtur.

Attamen optandum esset ut haec obligatio sub peccato mortali omnino dispareat. Sicut enim sacerdotes et alii obligati ad Officium divinum, alia, ad quae sub eadem obligatione non tenentur, adimplent, ut, v. gr. recitationem Rosarii, celebrationem Missae, examina conscientiae, visitationes Ss.mo Sacramento..., etiam recitationem Breviarii adimpleturi sunt. Et hoc modo non paucae anxietates conscientiae vitarentur, praesertim in diebus in quibus pastores ita laborant, ut, fatigati, recitatio Officii divini non nisi mechanice et quasi inconscie recitent tantummodo ut « pensum » adimpleant.

Unde, dignius et pro ipsa recitatione et pro ipsa liturgia, et pro ipsa Ecclesiae auctoritate praescribente, erit quod recitatio sit vere obligare at tantum sub levi, non vero sub mortali peccato.

Alia ex parte considerandum est pastores animarum quotidie et numerose actiones liturgicas peragere, ut sunt sacramenta dispensare (baptismum, Eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem), vel ad matrimonium adsistere, vel exequias, functiones serotinas in ecclesiis, etc., immo et diebus festis bis vel ter Missam cum praedicatione celebrare, etc. His omnibus actionibus liturgicis « Deus sine intermissione laudatur et interpellatur », sacerdos « ante thronum Dei stat » et « sanctificationem diei peragit ». Cur etiam adhuc recitatio Officii divini? Statuantur ergo normae, in quibus certe concrete et determinatim constet quando sacerdos vel minister, qui tot actiones liturgicas peragit, ad Officium divinum vel eius partem non teneatur.

Alia ex parte ad vitandas anxietates conscientiarum, Ordinarii facultentur ut sive dispensationem sive commutationem, sive totalem sive partialem concedere valeant, sive perdurante valetudinis causa sive perdurante speciali onere pastorali vel docenti.

Ultima petitio. Ad hoc ut criteriis dictis ordo divini Officii instauretur, desiderandum est ut specialis conciliaris commissio constituatur, cuius membra criterio reali et pastorali, circumstantiis hodiernis accommodato, et non criterio monastico, gaudeant.

48

Exc.mus P. D. OCTAVIANUS MÁRQUEZ TÓRIZ
Archiepiscopus Angelorum

Praeter animadversiones iam expositas, enixe rogare vos audeo ut sequentem propositionem prae oculis habere dignemini.

In pag. 187, ad art. 73, lin. 10, schema proponit quod « Capitula residentialia (obligata sint) saltem ad Laudes aut ad Vesperas ».

Summa cum reverentia propono ut lin. 10 auferatur et verba « Capitula residentialia » coniungantur cum praecedentibus lineis, ubi de *toto Officio* sermo fit, ita ut in linn. 8 et 9 sic remaneant: « *totum Officium* (celebrare tenentur) Ordines Canonicorum, Monachorum et Monialium, atque Capitula cathedralia et collegialia, nisi indultum habeant particulare ».

Rationes sunt: *a*) Parum omnino videretur si canonici tantum vel saltem ad Laudes *aut* ad Vesperas tenerentur, quia canon 391 Codicis Iuris Canonici clare dicit: « Capitulum canonicorum sive cathedrale sive collegiale seu collegiatum est clericorum collegium *ideo institutum ut sollemniorem cultum* Deo in ecclesia exhibeat... ».

b) Verum est in schematis lin. 10 apponi verbum « saltem », sed attenta humana fragilitate et quia favorabilia sunt amplianda, evidens est quamplurimi canonici ad Laudes *aut* ad Vesperas tantum, in choro, sese obligatos putarent. Quod certe non esset *sollemnior cultus* de quo in praefato canone.

c) Exiguum omnino esset canonicos ad ecclesiam cathedralem vel collegiatam pervenire, vel mane per pauca momenta, sex vel septem, ad Laudes recitandas, vel postmeridiem, tantum ad Vesperas, per eadem ferme momenta. Etiamsi tam mane quam vespere convenirent, tempus illud exiguum omnino esset.

d) Canonici sunt vere beneficiati qui emolumenta seu fructus beneficii percipiunt eo praecise fine ut divinum Officium nomine Ecclesiae celebrent quotidie ac pro benefactoribus seu donantibus orationem publicam agant. Tale est praecise munus proprium eorum.

e) Valde timendum est christifideles desaedificationem, fortasse scandalum, pati si Sacrum Concilium, loco orationem publicam in Cathedralibus et cultum fovendi ope canonicorum capitulis, talem cultum minueret, et quidem summo gradu ita ut fere ad nihil reduceretur.

f) Multis in locis, sicut in Hispania et in principalioribus Americae Latinae dioecesibus quae Capitula habent, tam sacerdotes quam fideles ita assuefacti sunt ut Capitulum *totum Officium* divinum celebret ut nihil mirum de hoc, e contra notabilis Officii divini diminutio non tantum admirationem sed incommoda practica provocaret.

g) Optimum est in Concilio saepe saepius — immo continuo — de « Pastorali » sermo fieri. Sed non magis necessarium est de « Oratione » loqui,

et quidem de oratione publica quae praecise a canonicis in ecclesiis cathedralibus et collegiatis fit?

h) Obiectiones quae in contrarium proponuntur, de multiplicibus « occupationibus seu laboribus », summa cum reverentia dico mihi potius praetextus apparere quam rationes. Etenim canonici pii, vere ferventes ac zelantes, experientia teste, coniungere sciunt ac valent divini Officii obligationem in choro, cum pastoralibus laboribus. Parum zelantes aut tepidi, etiamsi tantum Laudes aut Vesperas in choro recitent, pro animarum salute certe parum, fortasse nihil, laborabunt.

i) Pro locis illis valde in necessitate positis, iam providetur cum verbis: « nisi indultum habeant particulare ». Etenim, non raro Sancta Sedes benigne Capitulis non paucis concessit ut Officium divinum (totum) tantum aliquibus diebus in hebdomada, vel in mense, vel per annum, celebrent.

Sic, salvo meliore, coram Domino iudicavi.

49

EXC.MUS P. D. IOANNES McELENEY
Episcopus Kingstonensis

Artt. 68-78 (pp. 185-189). Totalis revisio huius capitis desideratur ita ut divinum Officium fiat aptum instrumentum ad sanctificationem cleri et populi Dei. Ea quae dicuntur in notula 5 (ad calc. p. 188) nullo modo convincent. Olim in historia Ecclesiae, idem omnino argumentum potuisset adhiberi ad probandam nullam obligationem divini Officii debere imponi (nam olim Ecclesia « nunquam admisit » talem obligationem).

Pro clericis choro obligatis, desideratur divinum Officium instaurandum fere ut in hoc capite. Pro opportunitate, clerici choro non obligati ac fideles apte possunt sese coniungere huic operi divinae laudis.

Pro clericis autem choro non obligatis, oratio cotidiana pro Ecclesia debet potius consistere in pia et meditativa lectione Sacrae Scripturae ad determinatum tempus — et quidem sine necessitate vocalizationis —. Sic cotidie ascendent ante thronum Dei preces ex mente et corde — non ex labiis tantum —. Saltem, de iudicio competentis auctoritatis territorialis, Officium divinum permitti debet lingua vernacula secundum versionem approbatam.

In specie, autem:

Art. 72 (pag. 186, linn. 32-36). Non mihi apparet necessitas vel convenientia harum additionum.

Art. 73 *b* (pag. 187, linn. 17-19). De iudicio competentis auctoritatis territorialis, satisfaciat obligationi qui totum Officium persolvit lingua vernacula secundum versionem approbatam vel qui pie legit (etiam mentaliter) ex Sacra Scriptura pro tempore bene determinato.

Art. 73 *c* (pag. 187, lin. 23). Non tantum permittatur sed *commendetur* recitatio lingua vernacula pro his.

Art. 75 (pag. 187, lin. 34). Addatur « *lingua sive vernacula sive latina* ».

Art. 77 *a* (pag. 188, lin. 6). Addatur « *salvo iudicio contrario competentis auctoritatis territorialis* ».

Art. 77 *b* (pag. 188, linn. 7-11). Desideratur potius ut non-clerici regulariter adhibeant linguam vernaculam — ita ut bene intelligant ea quae recitentur vel cantentur.

Art. 77 *c* (pag. 188, linn. 12-15). Debet deleri — nam nimis restrictiva est.

50

EXC.MUS P. D. IOSEPH MELAS
Episcopus Nuorensis

Pluries hucusque agitata et nondum soluta quaestio, iterum atque iterum in Concilio adhuc proponitur, de usu nempe latinae linguae in Officio divino recitando; et quamquam argumenta variantur eadem tamen substantialiter semper sententia est!

Miramur autem quod agitur nunc de sacerdotibus, quibus munus confisum est Breviarii horas Deo persolvendi. Cum enim in praecedentibus Congregationibus de fidelibus ageretur qui christianam plebem constituunt, nec studiis incumbere possunt, facile erat propositiones et mutationes suggerere quae aliquomodo populo satisfacere possent! Modo autem — incredibile dictu!... — idem dicitur de clero qui studium tamquam singulare munus sibi semper proposuit, et « labia sacerdotum custodiunt scientiam! ».

Si fidelium vulgus, multiplici quidem ratione, excusari queunt quod latinam linguam nesciunt, quomodo excusandi sacerdotes qui Officium divinum quasi peculiare sibi pensum impositum gerere debent? Quid mirum si ab ipsis merito exigitur ut hoc munus lingua latina perficiatur quae a prioribus est in Ecclesia tradita?

Quidam Patres de difficultatibus locuti sunt quae in hoc studio inveniantur. Quod nemo certe negare potest! Quid ergo? Candide tamen fatendum est eamdem difficultatem in studio omnium linguarum inveniri sive quae ad antiquitatem pertinent sive quae ad nostram aetatem! Quisnam dicat facile linguae, verbi gratia, anglicae studere, aut etiam gallicae quae facillima plerumque putatur? Quae alia quidem ratione scribuntur, alia autem leguntur, innumeris fere difficultatibus implicatae praesertim quod saepius solummodo consonantes litterae inveniantur, et vocales fere desint quibus verba efferre liceat? Immo eaedem fere difficultates in omnibus scientiis inveniuntur sive sacris sive profanis nec ullus hucusque invenire potuit mirabilem modum scientias facile addiscendi omni secluso incommodo! Non ergo amplius studendum erit aut omnes scientiae igitur spernendae erunt? Qui tamen rem bene animadvertat dicendum est haec incommoda pretium constituere quod

necessario solvendum est ut altissimus finis assequatur! Quod parum constat parum item valet; quod nihil constat nihil pariter valet; quod denique multum aut plurimum valet, multum plurimumque simul constat! Res enim inter se coniunctae, et prima est alterius mensura! Qui studiis quarumcumque rerum incumbunt quo magis incommodum experiuntur eo ipso earumdem possunt praestantiam metiri quae acquirunt! Quod si ita res se habent aut necessarium incommodum amplectendum ut scientia acquiri possit, aut secus abdicandum cuicumque studio adipiscendo! Si tamen sacerdotes quamcumque iacturam recusant quid aliud ab eis erit amplius expectandum, et si ministri Domini tam pigre se gerunt quid poterunt et ipsi a communibus fidelibus requirere? Si quis nihil dederit, nec quidquam acquirere poterit. Hic autem agitur non de re propria nobis acquirenda vel perdenda, sed de supremo S. Matris Ecclesiae bono, quae toto corde a nobis sedulo diligenda est, et cui dediti sumus, omni impedimento strenue supergresso!

Ad rem quod nobis exemplum ab Ecclesia proponitur? Studiumne repudiare et in deditionem venire, aut e contra novis argumentis, novoque animo arduum aggredi iter? Cum Pontificia Constitutio *Veterum Sapientia,* Summi Pontificis Ioannis XXIII gloriose regnantis ad rem deducta fuerit, sacerdotes sine dubio erunt qui latinam linguam optime percalleant, quibus maxime erit, gloria altissimusque honor illud noscere idioma quod supremas intellegentias penetrare et ea omnia legere sinet quae tot saeculis per millenos annos scripta sunt a maximis humanitatis ingeniis, sive metricis sive solutis verbis composita!

Quod ad divinum Officium attinet pauca addam ad ea quae ab aliis Patribus iam dicta sunt. Non mihi admittenda videntur eorum propositiones quae orationem sacerdotum adhuc reducere vellent. Verba meminerimus oportet a Domino prolata qui instanter et saepius ad orandum hortatur: « Oportet semper orare et numquam deficere! ». Sancta Mater Ecclesia, materna sua sapientia, officiale sacerdotum pensum in precibus recitandis iam reduxit; ergo contenti simus; immo desiderandum ut cum sint breviores preces intensius et profundius digne attente ac devote recitentur.

Nequit S. Concilium de suo asperrimo labore hunc fructum ferre et proponere ut in ore sacerdotum oratio minuatur. Norunt omnes mundum totum, clerum videlicet et fideles, anxie magna ab hac celeberrima Synodo expectare. Omnium autem opinionem falleret si aliud daretur nuntium quod praestolantur! Et in mentem veniunt poetae verba, ridenda quidem, sed tamen significantia: Parturiunt montes... nascetur ridiculus mus!...

Si quaedam facilitas adhuc permittenda erit, fiat solummodo pro sacerdotibus qui curae animarum addicuntur, sed tantum pro diebus dominicis et festis de praecepto, et quidem quando dumtaxat labor apostolicus ita tantus erit ut totum pene diem absorbeat, nec momentum quidem ad orandum relinquat. His in rebus, ad omnem anxietatem tollendam ita sacerdotes eximantur ut nullam prorsus Officii orationem recitare teneantur. Sufficiat his diebus Missa bis forsan aut ter celebrata, Sacramenta rite ministrata, cete-

rusque labor pro animabus consumptus, praecipue in Actione Catholica digne curanda, et sacra praedicatione peragenda. Ita facilius suo muneri incumbent, absque ulla animi sollicitudine!

51

Exc.mus P. D. PAULUS MOLIN
Episcopus tit. Garbensis

Animadversiones de Officio divino et speciatim de Ordinariorum potestate circa linguam in eo persolvendo adhibendam.

Ex his qui Officio divino persolvendo tenentur, multi, etiam sacerdotes, malunt horarias preces dicere in lingua vernacula, quam melius norunt quam latinam. Dicet aliquis oportere ut omnes ritus latini sacerdotes latine sciant. Assentio. Sed haec non est quaestio. In omnibus respice finem. Nonne Officium divinum institutum est ut preces quam optimae fiant ad maiorem totius Ecclesiae et ipsius orantis profectum praestandum? Atqui multi sacerdotes dicunt se melius orare in lingua vernacula, quam facilius intelligunt et quae proinde pietatem magis fovet.

Ideo mihi videtur optandum ut concedatur omnibus Ordinariis tum locorum tum personarum facultas permittendi suis subditis, etiam sacerdotibus, ut Officium divinum persolvere valeant in lingua quam praeferunt, in textu tamen legitime approbato. Audivi in itinere esse in Europa aliquot sacerdotes qui Breviarium iam dicant lingua vernacula. Nonne haec ratio agendi, quam approbare nequeo, confirmat propositionis meae utilitatem atque opportunitatem?

Ego autem malo Officium divinum persolvere lingua latina, et quidem, quoad Psalmos, in genuino latino sermone, a Summo Pontifice Pio duodecimo approbato. Sunt qui dicant se praeferre linguam latinam Ecclesiae. Sed quae sit lingua Ecclesiae latinae, non clare perspicio...

Ne autem longius protraham sermonem, transeo ad ultimum votum meum: opto nempe ut eximantur ex Officio divino, textibus tamen Sacrae Scripturae exceptis, ea omnia quae pessimam redolent personarum acceptionem gallice dictam « le racisme ». Exemplo sit hymnus festi Sanctae Martinae, in quo fit haec oratio bellicosa, quam me pudet dicere: « Armorum strepitus et fera proelia in fines age Thracios »!

Enimvero qui degunt in finibus Thraciis redempti sunt, sicut et nos, a Domino Nostro Iesu Christo et vocati sunt ad aeternam hereditatem; et non est personarum acceptio apud Deum, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Insuper, quando Ecclesia orat pro pace, nonne postulat a Deo ut pax Christi exsultet in cordibus omnium ubique terrarum, et etiam extra terram nostram, si qui forte sint incolae in astris.

Non sum locutus de Veteri Testamento, in quo multa inveniuntur feritatis antiquae documenta. Opto tamen ut omittantur, si fieri possit, duo ultimi

versus Psalmi « Ad flumina Babylonis », in quibus horrenda ista proclamatur beatitudo: « Filia Babylonis vastatrix, beatus qui rependet tibi mala quae intulisti nobis! Beatus qui apprehendet et allidet parvulos tuos ad petram »! Quam longe abest illud a mansuetudine Christi, qui dixit: « Beati pacifici » et « Sinite parvulos venire ad me et ne prohibueritis eos: talium est enim regnum caelorum ».

52

EXC.MUS P. D. CAESAR ANTONIUS MOSQUERA CORRAL
Archiepiscopus Guayaquilensis

Laeto animo audivimus in novissima congregatione generali, em.mos Patres clare et perspicue loqui de necessitate textum divini Officii exarandi, non uno eodemque sensu pro monachis et pro sacerdotibus saecularibus, sed ratione habita eorumdem vocatione atque ministerio: quod primi electi atque vocati sunt ad laudandum Deum et deprecandum pro mundo, dum alii mandatum receperunt deserviendi hominibus ut illos salvos facerent. Attamen mihi videtur:

1. Quod fortasse minime esset valde prudens statuere generali modo, nempe restringendo Officium pro omnibus clericis dioecesanis ad recitationem laudis et vesperae, etiam imposita obligatione quotidianae meditationis; nam non omnes sacerdotes saeculares labori pastorali aut alio apostolatu vacant: quot sunt qui praeter Missae celebrationem, parum aut nihil faciunt! Existimo necessarium esse legem statuere; eius tamen applicationem ad casus tradere episcopis, qui Dei voluntate ad hoc positi sumus, id est ad regendam eius Ecclesiam.

2. Optime sapienterque em.mus card. Ruffini aiebat, agendo de Breviario monacharum, necessarium esse id conficere vernacula lingua ut rationabiliter laudes canant Dei, sed quin obliviscatur earum naturae hypersensibilis, pronae ideoque ad verba intelligenda uti sonant, non ad scrutandum eorum verum sensum. Sunt psalmi, certo certius, ut em.mus cardinalis asserebat, quod eis non esset nutrimentum sed potius quid damnosi.

Ex parte nostra Concilium postulamus non tantum ut hae sapientes prolationes praxi dentur; petimus quod, etsi monacharum vocatio sit laudes Dei canere, prae oculis habeatur quod ipsae hodiernis temporibus carent oeconomicis subsidiis et operi et labori debent incumbere ad panem lucrandum vitae, et quod multis in locis episcopi possunt, venia Sanctae Sedis, committere eis munus aliquod, deserviendi populo. Ideoque oportet earum Officium divinum non sit nimis longum, potiusque sit humanum.

3. Postulo quoque corrigenda et emendanda officia propria locorum, confecta, fere semper, a personis orationi tantum deditis, liberis ab omni ministerio: sunt officia fere duarum horarum.

[*Subsignatus etiam*] Emmanuel Serrano Abad, arch. Conchensis in Aequatore.

53

Exc.mus P. D. CAROLUS R. MULROONEY
Episcopus tit. Valentinianensis, aux. Bruklyniensis

Verba mea in relatione ad hoc cap. IV, de Officio divino, in schemate *de sacra Liturgia,* habent referentiam ad aliquem paragraphum in pag. 187, scilicet, in art. 73, par. *b*): Clerici *choro non obligati* si sunt in Ordinibus maioribus, cotidie, sive in communi, sive a solo, tenentur totum Officium persolvere.

Propositum meum respicit introductionem alicuius dispensationis de iure, ab ista obligatione cotidiana Officii persolvendi; scilicet, in die quando sicdicti clerici intersunt Missis exsequiarum fratrum sacerdotum vel Missis pro occasionibus similibus, e. g. Missis pro Anniversariis, vel in Memoriam ad quas Ordinarius invitat clericos suos. Casus non est omnino rarus. Habet locum in dioecesi nostra sedecies vel septies-decies per annum. Deinde potest et debet lex providere.

Rationes quae arguunt pro dispensatione de iure in hoc casu sunt multae.

I. *Tempus veraciter deficit*: Primaria inter eas est hoc: quod sacerdotes implendo obligatione sua in tali die ordinarie Officium persolvent durante Missa. Tales non reprehendo. Etiam, ex numero eorum confiteor me esse. Et si veritas dicitur, factum est quod actualiter, practice loquendo, in casu, sacerdotes compelluntur uti hoc tempore ut Officium recitent. Quia, si consideratur non tantum assistentia in Missam, sed etiam concomitantes — assistentia in Officium defunctorum ante Missam, iter ad Ecclesiam designatam, regressum ad proprium domum — hoc opus misericordiae requirit non minus quam tres vel quattuor horas. Dies iam impletae per multiplices apostolicos labores supra modum implentur. Deinde quid faciunt, et quid possunt facere sacerdotes?

Sacerdotes aut Officium persolvunt durante Missa aut non intersunt Missis.

II. *Melior participatio in Missa*: Non volo negare quod sacerdotes possunt devote et cum fructu assistere ad Missam recitantes Breviarium. Eodem modo, possunt fideles, durante Sacrificio, recitare rosarium aut litanias. Sed, estne hoc quod Sancta Mater Ecclesia primarie vult? Sacerdotes possunt, certe certius, meliore modo adesse in actu centrali cultus christiani si, durante hoc sacrificio, non compelluntur attendere ad aliud Officium.

III. *Docetur praeeminentia Missae et Cultus communiter celebrati*: Per dispensationem a iure ab Officio private persolvendo in favorem participationis in Missis, in Missis quae habent speciale momentum pro communitate monstrantur (et sacerdotes ipsi in modo valde nervoso compelluntur id meminisse) praeeminentia omnino singularis Sacrificii Salvationis inter omnia Officia divina et desiderium Sanctae Matris Ecclesiae ut actio liturgica sit primarie actus communitatis.

IV. *Exemplum pro fidelibus*: Sed magis, non tantum sacerdotes inveniunt lucrum per hoc. Multi sacerdotes dioecesani *active* assistentes, ut unus, in modo omnino liturgico, Missis exsequiarum fratrum sacerdotum — quod exemplum pro fidelibus! (O, utinam possibile esset, ut greges nostrae possint interesse Missis quas cotidie nos offerimus in hac Basilica Vaticana — quod exemplum!).

V. *Scandalum avertitur*: Et, ex alia parte, si iam fideles christiani in dioecesibus nostris habent verum spiritum liturgicum, nonne causa admirationis eorum est eos videre sacerdotes eorum, durante sanctissimo Sacrificio, propter rationes practicas supra allatas, non active participantes sed ad aliquid aliud, etsi sanctum, attendentes.

VI. *Manifestatio reverentiae erga Officium Sacerdotale*: Ut supra dixi sacerdotes possunt respondere ad difficultatem exsurgentem ex obligatione Officium persolvendi: aut recitando Breviarium durante Missa cum effectibus modo indicatis, aut non veniendo ad Missam. Si sequuntur hanc ultimam solutionem fructus pretiosissimi perditi sunt.

Quare sacerdotes faciunt itinera ut possint interesse Missis exsequiarum fratrum sacerdotum? Est opus misericordiae. Etiam, sed hoc est verum in casu fidelium laicorum. Est actus caritatis. Etiam, et iterum, hoc est verum in casu fidelium laicorum. Est manifestatio reverentiae. Et hoc est praesertim ratio quare fratres sacerdotes et episcopi intersunt Missis exsequiarum fratrum sacerdotum. Quia fratres defuncti erant et sunt sacerdotes — participes Sacerdotii Aeterni Christi. Reverentia erga Officium Sacerdotale!

VII. *Manifestatio exemplaris pro fidelibus*: Et haec reverentia ex parte sacerdotum clare manifesta non potest non causare augmentationem reverentiae inter fideles circumstantes et audientes erga idem Sacerdotium.

VIII. *Stimulans vocationes sacerdotales*: Et sequitur ex hoc maior spes vocationum sacerdotalium inter iuvenes. Quia, ut evidens est, et ex historia patet, semper vocationes numerosiores sunt, ubi fideles, ex fide viventi, possident et monstrant maiorem reverentiam veram erga sacerdotes eorum.

Possum, sine dubio, addere alias rationes, et has et illas magis elaborare. Sed causa brevitatis, satis est.

Propono unam dispensationem quae potest, et videtur mihi, debet habere locum in lege generali art. 73 nostri cap. IV. Alius potest proponere aliam, sine dubio. Et constitutio istius Concilii Vaticani II debet providere, in quantum fieri potest, pro omnibus.

54

Exc.mus P. D. DRAGUTIN NEŽIĆ

Episcopus Parentinus et Polensis

Pag. 187, ad n. 73. Propono humiliter ut unicuique clerico in maioribus Ordinibus constituto, post annum 60 expletum, recitatio Rosarii B. M. V. loco Breviarii ipso facto concedatur.

55

Exc.mus P. D. LEO NIGRIS

Archiepiscopus tit. Philippensis

Ad nn. 68-76. Ut divini Officii structura mutetur, uti em.mus card. Bacci proposuit, opportunum saltem pro clero saeculari censeo, cuius maxima pars infra diem hodie, ob varias occupationes, horas suo tempore recitare non potest, proinde Officii divisio in horas sensu caret. Censeo autem Americanismum (qui virtutes activas excellere supra virtutes passivas ita dictas autumabat) a Leone XIII f. r. damnatum sapere sententiam plurium, qui proposuerunt ulteriorem notabilem Officii imminutionem, quidam usque ad fere nihil, hodiernae vitae activae praetextu.

Ad n. 77. Lingua vernacula in recitatione divini Officii opportunior videtur pro Monialibus necnon Sodalibus non sacerdotum quorumdam Institutorum statuum perfectionis, dummodo in traductione opportunis verbis vel circumlocutionibus verba mutentur ne sumpta prout litteraliter sonant in lingua vernacula sensibilitatem moralem tangant.

56

Exc.mus P. D. MARIANUS OBLAK

Episcopus tit. Flaviensis, aux. Jadrensis

Liceat mihi haec pauca exprimere.

1. In festis maioribus pastores animarum praesertim sed et alii sacerdotes magnum laborem perficere debent.

Propterea in his festivitatibus, humiliter propono, Officium divinum breve esse deberet, ut in festivitate Paschatis et Pentecostes, et non longum ut hodie praescriptum est.

2. Valde mihi placet et ex toto corde consentio propositioni in n. 77, litt. *c,* ubi agitur de satisfactione obligationis sacerdotum, qui Officium divinum una cum populo aliisque sub litt. *a* et *b* nominatis lingua vernacula persolvunt.

In pluribus dioecesibus nostrae croaticae gentis traditio est ut sacerdos una cum populo lingua vernacula praecipuas Horas in certis diebus dominicis, festis sollemnioribus, die Patroni loci necnon in Triduo Sacro sollemniter cantet. Sed sacerdos obnoxius erat omnia lingua latina iterare. Sine dubio gravis haec obligatio praeclaram hanc liturgicam traditionem in paroeciis non stimulavit sed, proh dolor, imminuit, quia erat onerosa propter alias obligationes parochorum praesertim in diebus festivis.

Haec nova propositio in allegato n. 77, litt. *c,* modesto meo iudicio, veteras liturgicas traditiones, ab immemorabili usque ad hodiernam diem perdurantes, in nostris dioecesibus iterum animabit necnon in tota Ecclesia novum liturgicae renovationis et intelligibilitatis spiritum efficaciori et practico modo optime suscitabit.

57

Exc.mus P. D. SYLVIUS ODDI

Archiepiscopus tit. Mesembrianus

Liceat humili Patri conciliari qui circa finem mensis octobris ad sedem suam remeare debuit, cui propterea erepta est facultas ut disputationibus adesse possit, modestam propositionem subicere quod spectat tempus recitandi divini Officii (n. 76, cap. IV « de Officio divino », pp. 187-188).

En propositio: In privata recitatione divini Officii, firmis manentibus ordinationibus quoad tempus singulis horis destinatum, liceat sacerdotibus ut in casibus exceptionalibus, satisfacere possint obligationi recitandi divinum Officium, non tantum usque ad mediam noctem, sed etiam adhuc antequam, respectu orantis, terminatur dies, ita ut sacerdos qui quacumque de causa, etiam propter negligentiam, Officium nondum recitavit intra tempus ordinarium, possit tuta conscientia illud recitare antequam decumbat, antequam ergo terminetur dies ipsius, etiamsi post horam vigesimam quartam hoc fieret.

2. Quamvis perspicua sit ratio retinendi varias classes etiam quod spectat recitationem Breviarii, optabilius videretur si divinum Officium ob practicas rationes, ad unam tantum classem reduceretur.

Dies solemniores praesertim illi sunt in quibus sacerdotes generatim magis in sacro ministerio occupantur. Propterea optandum foret ut in solemnioribus diebus, loco trium nocturnorum, unum tantum haberetur ad instar Officii in die Pentecostes.

3. Liceat etiam mihi hanc occasionem arripere ut aliam adhuc vocem addam illorum propositioni qui desiderant ut lingua latina, saltem substantialiter, in celebratione divini sacrificii servetur. Usus eiusdem linguae in diversis orbis partibus vinculum inter catholicos constituit, cuius ruptura gravissima consectaria habere posset, ut repetitis vicibus in ipso Concilio memoratum est.

Sectatores religionis islamicae qui in variis regionibus diffunduntur (Indonesia, Pakistan, India, Insulae Philippinae, Iugoslavia etc.), ubi lingua arabica penitus ignoratur, hanc unice linguam in suis orationibus ritualibus adhibent. Lingua immo unicum vinculum est quo uniuntur, nam neque hierarchiam neque ministros cultus habent. Ligamen unionis apud eos est illa identitas precum quae ubique lingua arabica veluti sacra considerata recitantur.

Etiam Liturgia Ecclesiarum Orientalium illarum etiam quae communionem cum Ecclesia Romana habent, singulae adhibent linguam suam liturgicam quae a populo ignoratur.

Paucissimi fideles aliquid intelligere potuissent in solemni Liturgia quae ritu bizantino in Concilio celebrata est feria IV, die vigesima quarta octobris, in qua celebrantes diversarum nationum praesertim lingua graeca utebantur.

Servetur ergo lingua latina quantum fieri poterit.

58

Exc.mus P. D. LEO ANGELUS OLANO Y URTEAGA

Episcopus tit. Laginensis

Duo, meo quidem iudicio, quod ad Officium divinum spectat, prae oculis habeantur oportet. Primum est quod oratio a sacerdotibus, etiam ab illis qui sive animarum ministerio sive humanis vel divinis disciplinis se totos dedunt, minime negligi posse sine vero discrimine vitae suae spiritualis ipsiusque vocationis sacerdotalis.

Alterum quod etiam ante oculos omnino versetur oportet, est quod procul dubio longiores orationes, sive ob nimium laborem sive humanae fragilitatis causa, etiam a piis sacerdotibus minus devote plerumque recitentur, dum e contrario breviores preces, saltem ab iis qui in perfectione sacerdotali assequenda serio adlaborant, devotius recitari soleant. Quod, nisi fallor, experientia cum propria tum aliena abunde testatur.

Quapropter dixerim ita fere Officium divinum institui posse, ut utrique rationi consulatur.

Matutinum, praeter Invitatorium et Hymnum, tribus psalmis et totidem lectionibus constet; Laudes vero tribus psalmis cum Hymno, cantico Benedictus et oratione diei propria; Horae vero minores unico psalmo cum Hymno et oratione diei, non omissis ad Primam saltem quibusdam ex illis precibus quas hucusque recitare consuevimus. In Vesperis tres recitentur psalmi, praeter Hymnum, canticum Magnificat et orationem diei. In Completorio unus psalmus recitetur; cetera vero quae post antiphonam recitantur, quippe quae aptissime accommodentur ad tempus quo quieti nos tradimus, sancte serventur. Curandum est autem ut psalmi longiores in duas vel tres partes dividantur. Et de his quidem hactenus.

59

REV.MUS P. D. MARIANUS OSCOZ
Superior gen. Congr. Erem. Camald. Montis Coronae

Punctum magni momenti circa psalmodiam Officii divini. Ut brevitati simul ac simplicitati consulam, quippe qui nemo, quorum interest, non illico capiet de qua re agatur, praetermisso quovis prolegomeno, propono ex abrupto quaestionem serio perpendendam et aequo solvendam.

Nonne in partitione psalmorum pro divino Officio recitando, magnopere oporteret psalmos, sic dictos, *imprecatorios* praeterire, eos praesertim qui duriores et acerbiores observantur, et primo loco ps. 108 (109), partim autem aliquos alios...

Fatendum sane, huiusmodi psalmorum recitationem, experientia propria et aliena teste, potius torquere quam iuvare psallentes.

In adiunctis omnimode aliis Veteris Testamenti, ac in eiusdem statu religioso et morali longe imperfectiori, ille quidem erat loquendi modus seu ita cogitabatur et fiebat. Secus autem in Novo, in quo totum « *caritas et amor* ».

Quodnam nefas deicidio atrocius? Erga illud, vero, non *imprecatio* sed deprecatio: Dimitte illis... (Lc. 23, 34), ignosce illis... parce illis... Et erga inimicos: « Audistis quia dictum est: " odio habebis inimicum tuum ". Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros... et orate pro persequentibus vos » (Matth. 5, 43-44). Et erga quoslibet peccatores: « Venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat » (Lc. 19, 10). Satis superque.

Rememoremur hic aliqua tantum de praedicto psalmo 108. (Hic afferuntur seu leguntur aliqui versiculi ex praecipuis). Dum haec canimus vel recitamus, cui applicare possumus? Nemini omnino. Verba proferimus ore, at non corde prout deberet esse. « Mens nostra et cor nostrum concordet voci nostrae », ait S. Benedictus in sua Regula. Oratio autem quae non fit ex corde, non est oratio.

Quid obstat quominus hunc psalmum et aliquem alium eiusdem furfuris praetermittamus, sicut praetermittuntur tot aliae partes Sacrae Scripturae, pro quibus locus non est.

Fortasse idipsum optandum foret pro aliquibus psalmis obscurioribus eo quod tali ineluctabili obscuritate obstante, proferuntur verba tamquam sonus sine sensu, quin sciant psallentes quid dicunt aut quid postulant. Huiusmodi obscuriores psalmi seligi deberent, non a nobis, sed ab eis ad quos spectat... a commissione ipsa. Hic satis esset approbare principium generale de praecipuis psalmis imprecatoriis atque obscurioribus praetermittendis.

Quapropter, nomine proprio et propriorum sodalium choro addictorum, necnon innumerabilium qui, tacito consensu, nobis adhaerere praesumuntur, instanter ac instantius, quod supra expositum est, humiliter imploramus.

60

Exc.mus P. D. PAULUS PHILIPPE

Archiepiscopus tit. Heracleopolitanus

Pag. 188, n. 77 *b*). Circa n. 77 *b*), sequentes animadversiones facere mihi liceat.

1. Cum Moniales muneri Officii Ecclesiae recitandi addictae sint, illud persolvere debent ad modum Clericorum, ideoque oportet ut linguam latinam in Officio divino servent.

Adest etiam alia ratio cur hanc regulam sequi oporteat. Etenim ad monasteria praesertim pertinet perpulchra officia atque cantum gregorianum sedulo servare. Quod fieri nequit, si monasteria linguam latinam derelinquant.

2. Lingua in Officio divino adhibenda apud Ordines Congregationesque iuris pontificii ab eorum Constitutionibus determinatur, quae ab Ordinariis mutari non possunt, sed tantummodo cum approbatione S. Sedis.

Quapropter propono ut n. 77 *b*) ita conscribatur: Sodalibus, sive viris non clericis sive mulieribus, Institutorum statuum perfectionis, in Officio divino, tam in communi quam a solo celebrando, a competenti auctoritate ecclesiastica concedi potest ut lingua vulgari utantur.

61

Exc.mus P. D. IANUARIUS PRATA

Episcopus tit. Hadrianiensis in Hellesponto, aux. Pacensis in Bolivia

Ad art. 77. Ni fallor potior ratio allata ut Breviarium a sacerdotibus lingua vernacula recitetur est eorum ignorantia in lingua latina, quae talis esset ut saltem difficile sit pro pluribus, sensum ipsius Breviarii intelligere.

Quoad huiusmodi rationem haec breviter adnotare velim.

1. Audivimus in hac aula linguam latinam ex ratione pastorali totaliter ab administratione sacramentorum et partialiter ex Sacrificio Missae expungendam esse, quia populus eam non intelligit.

Postea audivimus ab ipsa lingua latina etiam in prece officiali Ecclesiae, i. e. in Breviario a sacerdotibus recitando dispensandum esse, quia nec ipsi sacerdotes eam amplius intelligunt.

Hoc idem est ac renuntiare linguae latinae pro sacerdotibus. Nam, quosnam textus adhuc intelligere valent si nec eos quidem intelligunt quos per annos formationis sacerdotalis quotidiano studio sibi familiares reddere potuerunt ac debuerunt, scilicet Sacram Scripturam et Sanctos Patres?

Si omnis sacerdos aliquid latinae linguae scire debet — et omnes affir-

mant linguam latinam esse linguam Ecclesiae romanae — saltem textus latinos Missae et Breviarii intelligere debet.

Deplorabili ignorantiae sacerdotum in hac re, meo humili iudicio, non providetur per dispensationem generalem a lingua latina in recitatione Breviarii.

Falsa enim esset talis ratio pastoralis quae ex toto destruit quod potius reaedificare deberet. Et falsa esset caritas, quae ad consulendum huiusmodi ignorantiae rem concedit quae in damnum ipsorum sacerdotum et Ecclesiae vertitur.

Ita exempli gratia faciunt plures matresfamilias quae indulgent filiis in ignorantia quae eis pro vita futura maximo damno est.

Insuper si sacerdotes linguam latinam non intelligunt, ita nec episcopi, qui ex sacerdotibus adsumuntur, et ideo Summus Pontifex esset quasi unicus in Ecclesia loquens latine, et esset tamquam vox clamans in deserto, quam pauci omnino intelligunt.

2. Innumeri textus Romanorum Pontificum de absoluta necessitate cognitionis linguae latinae pro omnibus sacerdotibus ritus latini loquuntur. Ut unum tantum afferam Pii XII dulcissimae ac veneratae memoriae, audiamus quid dixit die 23 septembris anni 1951: « Nullus sit sacerdos qui linguam latinam nesciat facile et expedite legere et loqui... quare (aiebat ipse Summus Pontifex) sacrorum administer qui eam ignorat reputandus est lamentabili mentis laborare squalore » (*A.A.S.*, 43 [1951], 737).

Qui saltem pro futuro, rogo vos venerabiles Patres ut bene notetis: pro futuro, impossibile esse dicit sacerdotes non posse linguam latinam ita callere ut saltem textus Missae et Breviarii et communiorum precum intelligant, ex obliquo, si non directe, oppugnat constitutionem *Veterum Sapientia,* Summi Pontificis Ioannis XXIII, feliciter regnantis, quam ipse hic supra sepulchrum Principis Apostolorum et fundamenti unitatis Ecclesiae solemniter subsignando promulgavit et quam omnes nos episcopi ex iuramento humiliter et oboedienter recipere debemus.

Ceterum sicut omnis episcopus eos ordinare non debet qui in Theologia dogmatica et morali, Sacra Scriptura, Iure canonico et in aliis disciplinis ecclesiasticis praescriptis satis edocti non sunt, ita nec eos ordinare deberet qui linguam sacerdotalem non satis intelligunt.

3. Remedium hodierni miserandi status ignorantiae linguae latinae apud plures sacerdotes non datur per legem conciliarem quae ipsam ignorantiam etiam pro futuro admittit; nam lex non respicit status transitorios (et huiusmodi status ignorantiae omnino transitorius et revera accidentalis considerare debemus) sed est norma stabilis.

Actuali statui ignorantiae aliquorum vel plurium sacerdotum provideatur remediis transitoriis de iudicio S. Sedis statuendis, et pro iis tantum qui eis indigent, et remaneat omnino dispositio art. 77, cap. IV schematis de sacra Liturgia.

In hoc vera ratio pastoralis et recta caritas habetur, per quas iis sacerdo-

tibus providetur qui latinam linguam in statu praesenti rerum non bene intelligunt, quin tamen saecularis traditio et inderogabiles necessitates Ecclesiae Romanae offendantur.

62

Exc.mus P. D. BENEDICTUS PRINTESIS
Archiepiscopus Atheniensis

Sacerdotes nostri in vinea Domini adlaborantes ut quam pluribus, secundum dictum Apostoli, vitam praebeant, maximi momenti pro eorum vita sacerdotali recitationem divini Officii faciunt, scientes se publicum cultum nomine Ecclesiae et gregis sibi commissi Deo reddere, cum Christo magis ac magis se consociari et vim pro labore apostolico ibi se invenire.

Tamen liceat mihi, venerabiles Patres, sacerdotibus nostris omnem possibilitatem praebere ut ipsi magis ac magis vitam liturgicam Ecclesiae vivant, quin a cultu divino quid auferatur.

Ad hoc huic Sacro Coetui Patrum totius Ecclesiae proponere audeo ut a recitatione ratae partis divini Officii sacerdotes nostri se liberos habeant, quum vere actuose in actione liturgica suae ecclesiae cathedralis, paroecialis, communitatis adstiterint (in Missa magno cum concursu populi, Missa Pontificali, Missa paroeciali, Missa cum cantu...).

Hoc enim in ritu byzantino advenit, quamvis in eo iuridicum onus divinum Officium recitandi non adsit.

Si hanc facultatem sacerdotibus nostris praebuerimus tunc spectaculum, minime liturgicum, e medio auferemus, videlicet aspiciendi sacerdotes nostros (forsitan et nos metipsos), recitantes divinum Officium perdurante celebratione Sanctae Missae vel aliarum liturgicarum actionum, obliviscentes grave onus participandi vitae liturgicae dioeceseos, paroeciae vel communitatis, quamvis ab hoc Sacro Concilio impositum fuerit.

Mens Ecclesiae est ut per divinum Officium cultus publicus a suis sacerdotibus toto tempore diei ac noctis Deo offeratur, quod nunc minime adimpleri semper potest, ex alia vero parte tam recitatio divini Officii, quam actus liturgici cultus publicus sine dubio ab omnibus existimentur et habeantur, unde unum pro alio ponere nihil a divino cultu aufertur, verum etiam actuosa participatio sacerdotis alicui actioni liturgicae dioeceseos, paroeciae vel communitatis, magis consentanea verbis Christi invenitur, nam dixit « ubi duo vel tres in nomine meo inveniuntur, et ego cum ipsis sum ».

Addendum insuper est bonum exemplum Sacerdotis erga suum gregem commissum in Domino.

Mater vero Ecclesia tam in veteri, quam in novo ordine Hebdomadis Sacrae praxi sua exemplum nobis dat, quum pars divini Officii compensetur actuosa participatione sacerdotis Missae Resurrectionis, dum non participantibus tali liturgicae actioni totum Officium recitandi munus incumbit.

63

REV.MUS P. D. BENEDICTUS REETZ

Praeses Congregationis Beuronensis O.S.B.

Ad n. 69, pag. 186 (De Psalmis). S. Benedictus Officium divinum quod Opus Dei nominat, ita monachis iniunxit ut scriberet: « Operi Dei nihil praeponatur » (Cap. 43 S. Regulae). Officium divinum tum in Breviario Romano tum in Breviario Monastico quoad maximam partem psalmos continet qui in Breviario Monastico ab ipso Patriarcha Monachorum ita dispositi sunt ut semel per hebdomadam totum psalterium canatur. Scribit S. Benedictus in cap. 18 « ... ut omni hebdomada psalterium ex integro numero 150 psalmorum psallatur ».

Nullam omnino video rationem cur unus vel alter psalmus propter exsecrationes et imprecationes ab Officio divino excludatur, sicuti feria IV in congregatione generali ab em.mo D.no card. Ruffini propositum fuit. Em.mus Dominus certe mihi non indignabitur, si audeo contrariam sententiam defendere, omni qua par est reverentia.

Totum psalterium ad thesaurum Sacrae Scripturae pertinet, et etiam in iis partibus inspiratum esse credimus, quae a nobis non plene intelliguntur propter fragilitatem et debilitatem intellectus nostri et propter insufficientiam locutionis humanae. Quisnam ius sibi vindicat quosdam psalmos excludendi ab Officio divino et quodnam erit criterium huius exclusionis? Unusquisque in sensu suo abundabit et quod uni placet alteri omnino non placebit ideoque totum psalterium ex integro retinendum erit in Officio divino.

De cetero — et hoc dicens non cessabo — ipse Christus, Caput Corporis Ecclesiae, nobiscum et in nobis orat et omnes sensus Scripturae perfecte intelligit: sensum litteralem et allegoricum, sensum typicum et analogicum.

Ecclesia Catholica per XX fere saecula totum psalterium 150 psalmorum ex integro cecinit et non est, cur in saeculo vigesimo ab hac traditione declinet.

Ad n. 73, pag. 187, cui titulus: Obligatio (Officii divini). Certe monachorum non est iudicium ferre de obligatione recitandi Breviarium quando agitur de clero saeculari, qui tot laboribus opprimitur. Videant illi ad quos pertinet, dummodo structura Officii divini non mutetur et traditio ab immemorabili firmiter teneatur. Mutetur prudenter obligatio recitandi Officium divinum, sicuti a pluribus propositum fuit. Optimum esset ad quietem conscientiae multorum, ut omnibus Ordinariis vel etiam confessariis facultas tribueretur in particularibus adiunctis dispensandi ab obligatione recitandi totum Breviarium. Ita omnia temperentur « ut sit et fortes quod cupiant et infirmi non refugiant », ut verbis S. Benedicti utar.

Certo certius monachi paratissimi sunt Opus Dei die noctuque psallendi

pro tota Ecclesia sancta Dei, pro episcopis et clero et populo. Paratissimi etiam sunt non tantum linguas vernaculas addiscendi, sed etiam linguam latinam Sanctae Matris Ecclesiae Romanae. In Matutino huius diei ex libro Apocalypsis S. Ioannis Apostoli legimus: « Et murus civitatis habens fundamenta duodecim et in ipsis duodecim nomina, duodecim apostolorum agni ». Episcopi totius Ecclesiae hoc in Concilio congregati comparari possunt columnis Basilicae S. Petri, qui totum aedificium sustentant et muros inter se coniungunt. Omnes fundatores Ordinum a S. Benedicto usque ad S. Ignatium et alios cum suis asseclis liberrime se abscondunt in sinu episcoporum, id est in columnis Ecclesiae. Nihil magis nobis cordi est, quam coadiutores esse episcoporum orando, sacrificando, laborando, etsi privilegio exemptionis a S. Pontificibus a saeculis concesso gaudemus.

Ad n. 74, pag. 187, cui titulus: Sodales religiosi. Textus sic sonat: « Sodales cuiusvis Instituti, qui vi Constitutionum partes aliquas divini Officii absolvunt, orationem publicam Ecclesiae agunt... etc. ». Haec verba impugnata sunt ab em.mo card. Ruffini, qui, ni fallor, dixit sacerdotum tantum esse « orationem publicam Ecclesiae agere ». Iterum veniam peto ab em.mo cardinali, quia omnino aliter sentio.

Liturgia est cultus publicus Ecclesiae. Si laici et religiosi utriusque sexus et sacerdotes hunc cultum publicum ab Ecclesia praescriptum exercent, orationem publicam Ecclesiae agunt. Fundamentum theologicum huius enuntiationis habemus in doctrina de charactere sacramentali tum baptismi tum confirmationis tum ordinis. S. Thomas hunc characterem sacramentalem definit dicendo ipsum esse participationem sacerdotii Christi, quo fideles deputantur ad cultum divinum. « Sacramenta — sic S. Thomas — novae Legis characterem imprimunt inquantum per ea deputamur ad cultum Dei secundum ritum christianae religionis » (S. Th. III, q. 63, art. 3 in corpore).

Quid dicit Pontificale Romanum hac de re? In Consecratione Virginum sollemniter traditur a Pontifice Breviarium virginibus consecratis his verbis: « Accipite librum ut incipiatis horas canonicas et legatis Officium in Ecclesia in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen ». Clarius exprimi vix potuit moniales deputari ad orationem publicam Ecclesiae. Approbari ergo potest textus huius n. 74.

64

Exc.mus P. D. ANTONIUS REITERER
Episcopus Lydenburgensis

Subscripti praesules in sollicitudine pro suo munere apostolico et *in nomine suorum sacerdotum* subditorum propositionem sequentem praebent, ut Breviarium fons magis efficax pro eorum vita spirituali et apostolatu fiat.

Ad hunc finem consequendum opportunam credunt reformationem totius structurae Breviarii:

1. *Segregare* e Breviario omnes psalmos qui preces proprie dicti non sunt, scilicet: psalmos historicos et imprecationis.

2. *Pro matutino* sufficiunt 3 psalmi cum 3 lectionibus melius selecti.

3. *Structura nova* talis esse debet, ut magis alliciat sacerdotes et bene nutriat eorum spiritum et apostolatum, pro eis fieri debet *fons uberrimus et delectans,* ad quem semper volenter vadunt et in quo omnia necessaria pro eorum vita spirituali et apostolatu inveniunt.

4. *Lingua vernacula* multum adiuvat et pro pluribus sacerdotibus omnino necessaria est ad consequendum talem finem.

5. Si haec nova structura Breviarii non approbatur, *saltem restringatur* gravis obligatio sub peccato gravi.

Iidem praesules pro *ieiunio eucharistico* aliam petitionem proponunt, ut illud restringatur ad unam horam praesertim pro sacerdotibus.

Nam plures sacerdotes in apostolatu 3 Missas in dominicis celebrare debent et saepe in diversis locis cum concionibus et confessionibus. Cum autem numquam 3 horae intersint, saepe usque ad horam 13 aut 14 ad ieiunium coacti sunt, non solum in damnum eorum salutis, sed etiam operis apostolatus.

[*Subsignati etiam*] Nevinus Hayes, prael. n. Sicuanensis; Lucianus Metzinger, prael. n. Ayaviriensis; P. Marcus Libardoni, prael. n. Huariensis.

65

EXC.MUS P. D. AUGUSTINUS REMY
Episcopus tit. Turuzitanus, adm. ap. Portus Principis

Circa art. 73, litt. *b*) cap. IV schematis « de sacra Liturgia », reputo retinendam esse pro clericis in sacris Ordinibus constitutis obligationem divini Officii in sua distributione per varias diei horas ita ut diversae diei partes, prout mos per tot saecula exstans fert, mediante oratione sanctificentur. Bonum tam sacerdotum quam fidelium, seu bonum totius Ecclesiae, requirere videtur ut oratio ac divinae laudes ad Deum, nomine Ecclesiae, sine intermissione, in quantum possibile, ascendant de corde et de labiis sacerdotum, quorum munus est etiam mediatores inter homines et Deum esse.

Cum tamen, animarum ministerium magis ac magis sacerdotes, saepe numero necessitatibus impares absorbeat, opportunum videtur aliquas mutationes facere. Meo iudicio, Officium divinum reducendum est. Sed quomodo? Haec est quaestio. An aliquae Horae removeantur? Aliter censeo: etenim, ex una parte, ad derelinquendum tam antiquum usum Ecclesiae, sufficientem rationem mihi videtur non adesse. Ex altera parte, utile est pro sacerdotibus pluries in die, etiam inter ministeria, aliquod insumere tempus pro suiipsius recollectione ac pro oratione persolvenda. Certe, ministerium ipsum et praesertim Sacramentorum administratio, cum sancta sancte tractantur, diem ac

horas sanctificare valet. Quod, tamen, uti experientia docet, non semper evenit. Frequens oratio faciliorem reddit sanctam rerum sacrarum tractationem, ac communionem cum Deo magis explicitat et confirmat. Praetermissa ergo quaestione de Horarum numero, nonne opportunum erit expertos hac in re cogitare de quadam divini Officii contractione? In hac materia, duo proposita:

1. *Pro tempore,* dum opus revisionis Breviarii perficitur, talis reductio proponatur: *diebus dominicis* ac *festis primae et secundae* classis, *Matutina* dicuntur cum tribus psalmis ac tot lectionibus, dummodo iuxta prudens iudicium Ordinarii, ministerium pastorale id postulet. Concedendum est ministerium pastorale, saltem aliquibus diebus, valde onerosum esse; concedendum est quoque, si in his diebus, iuxta legem moralem dispensatio obligationis Breviarii ipso facto conceditur, multos tamen sacerdotes et praesertim ferventiores, saepe nescire quid facere debent, et propterea aliqui conscientiae angoribus officiuntur. His positis, mihi videtur interventum ecclesiasticae auctoritatis hac in re, si non necessarium, saltem valde utilem esse.

2. *In futuro, Horae* quae *Maiores* dicuntur, *aliquatenus* reducuntur (v. g. ad mensuram *Horarum Minorum*), praesertim diebus dominicis aliisque diebus festivis. Peracta divini Officii instauratione, non facile seu non nimis frequentes novae mutationes fieri deberent. Hae mutationes, praeterquam onerosis expensis pro sacerdotibus in missionibus vel in aliis regionibus mediis oeconomicis destitutis versantibus, ansam praebent diminutioni reverentiae publicae orationi et ipsi ecclesiasticae auctoritati debitae.

66

Exc.mus P. D. FRANCISCUS RENDEIRO
Episcopus Pharaonensis

Loquar non tantum nomine meo, sed etiam nomine episcoporum Lusitaniae seu Portugalliae, et quidem non tantum eorum qui metropolitanum occupant territorium, sed etiam ultramarinum.

Ad cap. IV quod attinet, scilicet de Officio divino, ante omnia extollere volumus characterem pastoralem totius schematis, et adhuc praecisius eius relationem cum labore apostolico sacerdotum nostrorum.

De difficultatibus horum sacerdotum cogitandis circa obligationem divini Officii, aliquas faciemus observationes.

Et sit prima circa necessitatem orationis, tum pro vita spirituali ipsius sacerdotis, tum pro eius vita apostolica.

Scimus enim in difficillimis temporum nostrorum adiunctis, praecipue in multiplicatione pastoralium laborum, non paucos esse sacerdotes, laxioris conscientiae, qui faciliter ab obligatione divini Officii recitandi sese dispensant. Alii vero, timoratae conscientiae, postquam per totum diem extraordi-

nariis laboribus incubuerunt, recitationem divini Officii non omittunt, etiam magno cum sacrificio benemeritae nocturnae requiei suae, non tamen in opportunis conditionibus ad eius fructum percipiendum.

Episcopi Portugalliae hanc quaestionem coram Deo perpendentes, autumnant: Orationem esse unum ex primis muneribus sacerdotis, secundum verba S. Petri in institutione diaconorum. Apostolus enim, coram incremento nascentis Ecclesiae positus, ministros instituit, scilicet diaconos, ad munera secundaria obeunda, dicendo: *nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus* (*Act.* 6, 4).

Ergo, secundum apostolicum criterium, sacerdos non potest esse bonus sacerdos si non est homo orationis.

Nostris etiam temporibus Spiritus Sanctus suscitat in Ecclesia animas vere apostolicas, homines et feminas, qui ad vitam activam in saeculo sese deputant, et quotidie orationi mentali vacant per unam integram horam, et insuper in sacrificio Missae participant, visitationem eucharisticam serotinam et lectionem sacrae Scripturae faciunt.

Si hae animae necessitatem habent orationis, plus et sacerdotes.

Et ideo prima nostra propositio est ut retineatur ordinatio divini Officii prout est in schemate huius cap. IV, quae nobis placet specialiter quoad participationem fidelium (n. 75) et quoad linguam (n. 77).

Censemus tamen attendendum esse ad multiplicationem hodiernam pastoralium laborum, praecipue diebus dominicis et aliis de praecepto, aliquando etiam in eorum vigiliis, quando sacerdotes duas vel tres Missas celebrare debent, duas vel tres homilias facere, plura sacramenta administrare, laicorum apostolatum moderare et alia huiusmodi.

Pro his enim sacerdotibus censemus quod post n. 73, pag. 187, ubi agitur de obligatione divini Officii, ponendum esse alium numerum *de dispensatione*. Et non loquimur de simplice dispensatione prout apud theologos moralistas, sed potius de aliqua substitutione seu compensatione.

Mens nostra haec est: ad tranquillitatem conscientiae horum sacerdotum, et etiam ad compensationem eorum laborum, opportunum videtur quod Sacrum Concilium aliquod statuat principium dispensationis.

Exemplum habemus in novo ordine Hebdomadae Sanctae. Nempe qui in vespertinis caeremoniis participant feriis quinta et sexta, dispensantur a recitatione Vesperarum, et qui Vigiliae Paschali intersunt, a recitatione Matutini.

Simili modo nobis videtur opportuna dispensatio partialis vel etiam totalis divini Officii pro illis sacerdotibus in supra dictis circumstantiis.

Officium divinum, sive habeatur tamquam sacrificium laudis, sive tamquam pensum vel onus diei, partialiter vel totaliter potest compensari illis pastoralibus laboribus, qui verum habeant characterem divinae laudis.

Et ideo secunda nostra propositio est ut in cap. IV huius schematis, post n. 73, vel post n. 76 addatur alius numerus ubi statuatur principium de proportionata dispensatione divini Officii in toto vel in parte, pro sacerdo-

tibus qui diebus dominicis et aliis de praecepto, vel etiam in eorum vigiliis, extraordinariis laboribus pastoralibus incumbere debeant, secundum normas a Sancta Sede stabiliendas.

Ad psalmorum revisionem et distributionem quod attinet, n. 69 pag. 186, lin. 16, optime dicitur « perducatur ad finem » et quidem secundum *originalem sensum* quidquid sit de traditione Vulgatae editionis.

Dicitur etiam in hoc n. 69, lin. 14, quod psalmi non amplius per unam hebdomadam, sed per longius temporis spatium distribuantur.

Si ita fit, probabiliter divinum Officium abbreviatum erit, etiam si pro lectionibus sanctorum Patrum mensura largior instaurata fuerit.

Et sic Officium Matutinum ad tres tantum psalmos reduci potest, quod multi desiderant.

Aliqua exempla iam habemus huius reductionis. In ritu romano tres tantum sunt psalmi ad Matutinum in hebdomada Paschae et in hebdomada Pentecostes. Alii tamen ritus ampliori gaudent favore.

Ritus Bracharensis, qui hodie honoratus erit in hac Basilica, et ritus Ordinis Praedicatorum, et forsitan alii, tres tantum habent psalmos ad Matutinum per totum tempus paschale, scilicet per duos menses. Pro sacerdotibus horum rituum, reductio ad tres psalmos, constituere videtur aliqua periodus spiritualium vacationum post quadragesimales labores. Extensio talis reductionis ad totum annum opportuna nobis videtur.

Sed in nova aptatione Officii matutini, in parte scilicet Lectionum Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum et vitae Sanctorum, optamus ut hae lectiones ordinentur ita ut pabulum praebeant meditationi quotidianae.

Proh dolor, multi sacerdotes meditationem non faciunt, quae tamen fundamentum esse videtur structurae totius spiritualitatis.

Et ideo sicut recenter excussio conscientiae integrata est in Officio Completorii, ita nunc petimus ut meditatio integrata sit in Officio Matutino, cum aliquo spatio temporis determinato.

Et haec est tertia propositio, nempe quod: Officium Matutinum ad tres psalmos reducatur et eius Lectiones ordinentur ad quotidianam meditationem seu orationem mentalem faciendam.

67

Exc.mus P. D. CAROLUS H. RODRIGUEZ-QUIRÓS
Archiepiscopus S. Ioseph in Costarica

Iam omnia fere dicta sunt, de Officio divino, ab em.mis Dominis cardinalibus et ab exc.mis episcopis diversarum Nationum, et quidem perpulchre et sapientissimis verbis, quibus mentes nostras refecti sunt, magna cum laetitia spirituali.

Nihilominus, quaedam audeam reverenter dicere adhuc. Nomine episco-

porum ex America Centrali, nempe: Guatemala, Honduras, El Salvador, Nicaragua, Costa Rica et Panamá, et nomine proprio, loquor. Paucas observationes, et quidem perbreviter faciam ad nn. 68, 76 et 77 huius de divino Officio capitis.

Attamen liceat mihi praemittere quaedam. Propter notam quamdam de Matutinis agentem (pag. 188) ubi dicitur: « Officia vero perpulchra et antiquissimae traditionis tribus nocturnis insignita ne destruatur, immo instauretur si opus sit »; necnon propter verba quae ab em.mis atque exc.mis Oratoribus, his diebus, ut iam dixi, pulchre et sapienter prolata sunt, quibuscum plene consentimus, eo sensu quidem ut breviarium servetur in quantum fieri potest intactum, praeter emendationes necessarias ad hoc ut in melius instauretur; propter haec omnia, repeto, mihi visum est, petitionem nostram de hac re, licet eadem sit, eam aliquomodo temperare, ut statim videre est, in numeratione subsequenti.

Insuper, nobis pergratum est patefacere intimum sensum nostri profundi amoris ac venerationis, ex fide manantium, erga sublimem orationem publicam Sanctae Matris Ecclesiae, nempe divinum Officium, quo in Spiritu Sancto, cum Christo Domino Nostro, Capite, in eius Corpore Mystico, constanter laudes Deo tribuuntur, atque pro omnibus necessitatibus Ecclesiae et animarum omnium, sacerdotes favorem divinum, perpetuo petunt ubique terrarum.

Et quidem, praecise ob hanc nostram profundam venerationem, nobis est causa magni doloris, quod saepenumero Officium divinum, sacerdotes etiam valde pii, necessitate affecti ob circumstantias ab eorum bona voluntate alienas, pie ac devote recitare non possint. Non agitur tantum de penuria sacerdotum, ut iam optime dictum est pluries in Concilio, sed agitur etiam de mira illa coincidentia, maioris gravaminis occupationum pastoralium, simul cum gravamine obligationis longius Officium peragendi, v. gr. diebus maioris festivitatis liturgicae; quod tamen quamdam videretur exigere proportionem, ut eo magis quo habeatur longitudo Officii divini, eo minus extendatur eius obligatio ad singulas partes integrantes, et ita servetur quoddam minimum obligans, quod sit semper eiusdem extensionis, omnibus diebus per totum annum liturgicum. Illud minimum obligans sub gravi, verbi gratia, unum nocturnum, laudes et vesperae, sit utique semper idem, non obstantibus differentiis sollemnitatum liturgicarum, ita ut possint sacerdotes, occasione data, libere omittere reliqua, praesertim quando propter occupationes pastorales tempus non sufficit. Hoc modo certo, maior aderit possibilitas, magna cum pace interiori ac sine oppressione timoris ob penuriam temporis, horas canonicas vere pie ac devote recitandi, et quidem pro posse, etiam complete et integre, etiamsi Sacrosanctum Concilium conservaret Breviarium uti nunc est, illudque instauraret ut Sanctae Matris Ecclesiae monumentum gloriosum, mirabile constructum tot perdurantibus saeculis pietate et amore tot tantorumque Sanctorum, monachorum, sacerdotum, episcoporum, ac Romanorum Pontificum.

Quapropter, ob has memoratas rationes, indolis pastoralis, praesules Conferentiae episcopalis ex America Centrali, reverenter Venerabilibus Patribus Concilii, exponimus:

1. Ad n. 68, pag. 185: ut Matutinum reducatur, pro toto anno liturgico, ad unicum nocturnum, tribus tantum psalmis, tribusque solummodo lectionibus, constans; aut saltem, et hoc fortasse esset melius, quod obligatio recitationis Breviarii non extendatur, quoad Matutinum, nisi ad unum tantum nocturnum.

2. Ad n. 76, pag. 187: ut divinum Officium, etsi pro posse — ut iam habetur in schemate — debeat statutis horis diei persolvi, quod tamen liceat etiam illud recitare, ratione habita de obligationibus pastoralibus, quocumque momento unius diei solaris. Salva etiam facultate anticipandi Matutinum.

3. Ad n. 77, pag. 188: ut Ordinarii locorum possint permittere, *etiam* suis sacerdotibus, quibus spiritualiter hoc erit proficuum, divinum Officium lingua vulgari persolvere, quando illud privatim recitant.

4 et ultimo: ut obligatio sub gravi, in recitatione Officii divini, non afficiat nisi tres horas canonicas, videlicet: unum nocturnum, laudes et vesperas cuiusque diei.

68

Exc.mus P. D. IOANNES I. RUSSELL

Episcopus Richmondiensis

Quaeso ut paucis verbis emendationem proponam ad art. 77, pag. 188, in cap. IV schematis, de Officio divino, de lingua adhibenda in recitatione Officii divini.

Officium divinum oratio officialis Ecclesiae est per quam cleri Ecclesiae universalis consociati sunt in laude cultuque divino.

Ergo maximi momenti est ut recitatio Breviarii fiat attente ac devote ac fructuose.

Omnes sacerdotes sponte cogitant et loquuntur in lingua vernacula. Omne negotium vitae geritur in lingua nativa, et ergo orant et meditantur facilius et maiore cum devotione in lingua vernacula.

Recitatio cotidiana Officii divini in lingua vernacula adiuvabit eorum vitam spiritualem ac devotionem, quia tunc verbum inspiratum nec non doctrina Patrum Ecclesiae, facilius mentes eorum illuminabunt et corda commovebunt.

Talis recitatio vernacula maiorem facilitatem eis dabit in praedicando, in catechizando et in instruendo fideles.

Quapropter suffragium Patrum Concilii peto in favorem petitionis meae ut in recitatione privata Officii divini optio recitandi in lingua vernacula permittatur.

Saltem centum quinquaginta episcopi ex Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis in hac opinione consentiunt quia putant quod recitatio Breviarii in lingua vernacula cotidie crescentem fructum et incrementum spirituale tum sacerdotibus tum fidelibus reportabit.

In par. 77 dicitur « iuxta saecularem traditionem Occidentalis Ecclesiae, in Officio divino lingua latina clericis servanda est ». Certe admittendum est quod in monasteriis et fortasse in certis locis recitatio in lingua latina optima est, sed in aliis locis et circumstantiis lingua vulgaris melior est. Ergo propono ut verba « lingua latina servanda est » sic emendentur: « ab Ordinario proprio, annuente Sancta Sede, sacerdotibus concedi potest ut lingua vulgari in privata recitatione Breviarii utantur.

69

Exc.mus P. D. CAROLUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

Ad n. 69, pag. 186, lin. 13 sq., cap. IV. Humiliter sed instanter peto, ut revertamur in recitatione psalterii ad veterem versionem « Vulgata », sicut in usu fuit ante versionem novam a dulcissimae memoriae Pio Papa XII propositam. Denuo adhibeatur illa traditionalis versio; attamen versus inintellegibiles, qui sunt, sed non multi, melius et clarius formulentur. Aliqui psalmi, ut e. g. 129, 67, videntur certe totaliter novam traductionem recipere debere. Sunt autem pauci. Nec illa nova, nec novissima versio introducatur seu imponatur.

Rationes:

1. Traditio antiquissima. Vetus illa « Vulgata » est per se prima « italica » versio, in qua cum summa laetitia SS. Patres, ut Augustinus, Ambrosius, Hieronymus psalmos canebant et ante eos innumerabilis sanctorum Martyrum multitudo. In qua ob reverentiam S. Hieronymus pauca tantum mutare ausus est, ut ille ipse asseritur. Non ob despectum traductionis, sicut primitus dicebatur, sed ob reverentiam, dicunt hodie historiographi, S. Hieronymus alteram omnino novam traductionem facere noluit.

2. Novissima versio, si imponatur, confusionem maiorem efficiet quam nunc est. Iam paucum a perpluribus, sicut hic in aula dictum est, recitatio Breviarii amatur. Minus, si denuo forma psalmorum mutetur. Meminerimus ad exemplum plurae quae factae sunt ieiunii et abstinentiae legislationes. Finis fuit poenitentiae, nam in schemate, loco proprio, proponitur solummodo adhuc ut pro sexta feria Maioris Hebdomadae ieiunium retineatur. Idem accidet cum psalmis, si novissima versio imperetur.

3. Quis nostrum aliter psalmos Miserere, De profundis, Laudate Dominum omnes gentes, alios magis usitatos, vel cantica Magnificat, Nunc dimittis, Benedictus, Benedicite omnia opera Domini, alia, dicere aut canere amat,

nisi in vetere illa versione? In communi, a quibuscumque, aliter esset impossibile. Ne in ipsa hac sancta Vaticana Basilica in caeremoniis papalibus aliter canitur. Cum populo nunquam aliter facere poterimus.

Revertamur quoque ad « Dominus vobiscum » in recitatione privata Breviarii. Num haec recitatio non amplius officialis et communis Ecclesiae oratio est, ab officialiter institutis viris recitanda? Inde.

Ad n. 73, pag. 187, lin. 3 sq. atque alios numeros. Patres beatissimi, memineritis, quaeso, Breviarium nunquam fuisse orationem in se monachorum. Monachi eam orationem ab Ecclesia didicerunt. Oratio, quae hodie dicitur Breviarium, exsistebat iam plus 4 saecula, antequam a Sancto Benedicto melius organizaretur, eo modo quo posterius plus minusve a Sancta Ecclesia recepta est. S. Benedictus vero ordinationem orationis quotidianae ecclesiasticae in 7 horis canonicis iam factam invenit, solummodo melius organizavit, et adiunxit completorium; hoc postremum autem non ut horam canonicam, sed ut orationem in ambulando ad dormitorium; inde referentias habet ad somnium. Quia Ecclesia ipsa, Sponsa Agni, numquam dormit; proinde non habebat completorium; oratio eius numquam complebitur. Sed semper vigil exspectat adventum sui amantissimi Sponsi Christi ad regnum beatitudinis, ut perpulchre in Vigilia Paschatis innovata invenimus expressum. Ecclesia orationem suam quotidianam inde ab initio fundationis offerebat ad exemplum Divini sui Fundatoris et ad exemplar, ut videtur, institutionum iudaeorum. Quare, a principio christianismi suos deputatos oratores instituit, qui erant, quos nunc nominamus clericos, ad perficiendum opus (et onus, si vultis, onus vero amoris et exspectationis) laudis Dei indesinenter diu noctuque. In qua laude, seu sacrificio laudis, et orationes et lectiones et ipsum sacrosanctum Missae sacrificium continebantur. Cum autem nemo singillatim diu noctuque pervigil stare potest, Ecclesia, amantissima et prudentissima Mater, opus diei per 7 horas pro unoquoque suo deputato circumscripsit, ita ut fragilitatem humanam coram Deo confidenter et amanter confitens, saltem intentionaliter per diem et per noctem in oratione permaneret. Monachi cum tempore haec maxime exaggeraverunt usque ad pulcherrimam innovationem S. Benedicti.

Haec innovatio tamen pro nostris temporibus longior et extensior valde appareret! Unde postea pro itinerantibus, qui non poterant secumferre totum immensum volumen orationum in viis, *Breviarium* ortum est, id est reductio orationum et lectionum pro aggredientibus viam. Quod nomen in usu invaluit et Ecclesia adoptavit. Non habeo mecum documenta ad demonstrandum quod dico, sed sunt periti in hac aula, qui verba mea approbare sciunt.

Proinde, non monachi, sed clerici primi sunt obligati ad recitationem Breviarii, hocque diu noctuque, in amantissima nempe dispositione quam Mater Ecclesia constituit.

Ergo Breviarium ita manendum ut est, in sua structura trium nocturnorum, Laudum, quatuor horarum minorum, vesperarum; quibus adiungitur ad consolationem completorium. Pro nostra aetate imminuatur, si Matri nostrae bene visum fuerit. Nemo autem se excusatum velit, eo quod non est

monachus, nec paucum tantum tempus ad orationem officialem Ecclesiae adhibere praetendat.

Nec formalismus, de quo iam locutio fuit in hac aula, in se condemnandus est. Christus eum, in se, non condemnavit, alioquin non deberet externas iudaismi leges adimplere, sicuti fecit, et rigorose. Formalismus a Domino nostro condemnatus est: recitare orationes formales sine anima, sine bona intentione, sine *studio* devotionis conservandae. Quis in orationibus, quas proferimus in lingua nostra, aliquando et multoties distractionibus non occupatur? Exinde preces nostrae formales tantum evadunt? Minime. Misericordias Domini, quod sic non est. Unus celerius alter lentius et Missae formulas recitat, omnia prout gratia Spiritus unicuique dat!

Conclusio: Breviarium ametur; demus iuvenibus nostris occasionem, ut psalmos comprehendere valeant, et ut latinam linguam addiscant, postquam a gymnasiis civilibus ad nostra Seminaria veniunt, et omnia, ut Ecclesia statuit, a clericis cum amore perficientur.

70

EXC.MUS P. D. ALFONSUS SÁNCHEZ TINOCO
Episcopus Papantlensis

Magna vi impulsus qua, meo iudicio, gaudet divinum Officium tum in sacerdotali ministerio cum in ipsius sacerdotis sanctificatione, audeo quae sequuntur proponere relate ad cap. IV schematis de sacra Liturgia, quaeque relationem habent ad privatam recitationem Officii divini.

I. Remaneat obligatio recitandi Officium divinum prout apparet in n. 73 *b*) schematis. Ita, puto, ad huius obligationis satisfactionem meliori modo prospici.

Rationes:

1. Quo maior est obligatio, maior adest cumulus gratiarum ut ea adimpleatur.

2. Maior obligatio maiori vi influit in voluntatem ad eiusdem adimpletionem.

3. Si obligatio Officii in aliquibus eius partibus minuitur hae quam facillime omittentur praesertim a sacerdotibus qui, non fervore gaudentes, maxima orandi necessitate compulsi sint.

II. Relate ad n. 71 *b*) optandum est ut non minuatur pars proprie precatoria Officii.

Nam:

1. Officium divinum, natura sua, est: « ... ut Deum sine intermissione laudet et pro singulis interpellat... laudis canticum... quod christianorum omnium nomine eorumque in beneficium adhibetur Deo... (cf. cap. IV, linn. 9, 12-14).

2. Sacerdoti nostri temporis urgentior est necessitas orandi necnon ad Deum accedendi.

3. Fieri potest ut quibusdam sacerdotum unica oratio diei consistat in celebratione S. Missae et recitatione divini Officii.

III. In aptandis « Horis Minoribus » optatur ut clare, in unaquaque earum, elementa constitutiva tendant vel ad specialem virtutem fovendam in sacerdote vel ad gratias pro eo aut pro mundo obtinendas.

Rationes:

1. Maior unitas esset in elementis singularum horarum.

2. Varietate maxima gauderet unaquaque earum in hebdomada.

3. Forte eae plus allicerent sacerdotes eisque maiorem fructum spiritualem afferrent.

IV. Antiphonae in matutinis, laudibus et vesperibus non iterentur post singulos psalmos.

Quia:

1. Si antiphonae praesertim sunt ad sensum psalmorum indicandum sufficiens erit ut initio eorum recitentur.

2. Optabilior apparet ut post « Gloria Patri » uniuscuiusque psalmi spiritus liber sit et aptior ad sensum sequentis psalmi capiendum.

3. Iteratio antiphonarum innecessariam longitudinem gignit Officio.

71

EXC.MUS P. D. FELIX SCALAIS
Archiepiscopus Leopoldpolitanus

Ad n. 77: Nomine episcoporum Conferentiae episcopalis regionis Congo Leopoldpolitanae, arch. Leopoldpolitanus Felix Scalais, intervenit ut notare faciat:

1. Magnam sacerdotum partem onus divini Officii recitandi suavius et facilius maioreque cum devotione adimpleturam esse in lingua sua materna;

2. Textus Sacrae Scripturae et alios qui in Breviario inveniuntur, lingua vernacula recitatos facilius memoriae praesto fore tempore sermonum ad populum habendorum in eadem lingua vernacula.

Votum suum sic proponit: *a*) in Officio divino clericis licet lingua vernacula uti; *b*) et *c*) ut in schemate.

72

EXC.MUS P. D. ALEXANDER SCANDAR

Episcopus Lycopolitanus

Nul ne peut nier l'effet salutaire du Bréviaire pour les âmes sacerdotales et la bénédiction qu'il attire sur les fidèles. L'Eglise dans le rite latin, en fait une obligation pour ses clercs, et elle a raison. Cette obligation ne doit-elle pas être étendue aux clercs de l'Eglise orientale, et je parle ici de l'Eglise copte d'Alexandrie.

A vrai dire, si je me base sur l'histoire, c'est bien cette Eglise qui, inspirée par l'Esprit Saint, et imitant la coutume des juifs, a donné à ses fidèles « l'horologion » leur demandant de prier sept fois par jour. Nos moines, nos religieux, et nos fidèles, jusqu'à ce jour, dans certains endroits, restent fidèles à la récitation du Bréviaire, ou de l'horologion appelé dans leur langue « Agb » ou « Agbiah ». Nos prêtres, du moins la grande partie, récitent l'horologion ou l'absegeout parfois. Pour le bien de leur âme ne doit-on pas leur donner un bréviaire dans le vrai sens du mot, en faisant apparaître ce qui se trouve dans nos couvents et qui se pratique dans certains monastères durant certaines périodes de l'année.

A l'occasion du Concile je sollicite humblement du Saint-Siège qu'un ordre soit donné pourqu'un bréviaire complet soit donné à nos clercs. Ils puiseront dans ce livre la nourriture de leur âme, imitant en cela leurs pères. Ce livre en plus de psaumes distribués d'une manière rationnelle, contiendra des lectures: 1) Nouveau Testament-Ancien Testament-Commentaires et homélies de nos pères; 2) Synaxaire-vie de nos saints corrigée et abrégée; 3) Prières et louanges propre aux divers temps liturgiques et fêtes principales de l'année. Ces prières seront prises dans: Psalmodies, Theodiquis, Difnai, Livres de la Semaine Sainte ou offices de cette Semaine etc.

Cette question est importante et il est nécessaire que notre rite ait un office divin.

La prière est la vie de l'âme et le prêtre doit avant tout être l'homme de la prière.

73

EXC.MUS P. D. IOSEPH SCHNEIDER

Archiepiscopus Bambergensis

Norma in n. 77 schematis constitutionis de sacra Liturgia statuta, nempe « Iuxta saecularem traditionem Occidentalis Ecclesiae, in Officio divino lingua latina clericis servanda est », uti norma generalis omnino tenenda et susti-

nenda est, sed locum det exceptionibus quibusdam ultra eas, quae sub n. 77 enumerantur.

Rationes quasdam meo iudicio gravissimas afferre fas videtur, nempe:

1. Clerici, etsi linguam latinam bene didicerint et calleant, hac lingua in vita sacerdotali plerumque non utuntur nisi in sacra liturgia. Inde lingua latina loqui vix valent, et quae latine orando in Breviario legunt, percipiunt quidem modo, ut ita dicam superficiali, at intellectum eorum, quae sic latine legunt, penitius et profundius non assequuntur. Ut ea, quae v. gr. in psalmis enuntiantur eorum mentibus vere communicentur et approprientur, debent ea iterum atque iterum etiam lingua eis familiari, i. e. materna legere et recitare. Quod non fit, si textui psalmorum quandoque studuerint, sed utique si eundem textum, quem latine recitare debent, saepe saepius lingua quoque materna recitaverint.

Nimium pondus sacerdotibus, nostris in vinea Domini operariis fidelibus, imponeretur, si eis ad obtinendum effectum, de quo supra, suaderetur, ut praeter recitationem Breviarii latinam cotidie obligatoriam idem Officium semel atque iterum in hebdomade lingua vernacula recitent.

2. Dolendum est praeterea effectum, ut ita dicam, asceticum et pastoralem recitationis Officii divini minorem aequo esse.

Certo certius finis primarius Officii divini est cultus Dei. Qui finis quadamtenus obtinetur, etsi sacerdos, recitando Breviarium, inde nihil vel parum fructus ad augendam suam spiritualitatem et ad actionem suam pastoralem adiuvandam percipiat. Neque dubitandum est Deum fidele obsequium recitationis Officii remunerare posse ad suum beneplacitum gratiis divinis, etsi effectus spiritualiter beneficus oriens naturali modo (psychologice) ex recitatione Officii divini parvus et mancus est.

Nihilominus dolendum valde est effectum istum de facto quasi totaliter deficere. Quamvis enim sacerdos cotidie psalmos et alios sacros textus legat, eosque magna ex parte memoriter teneat, isti textus uti experientia communis docet, ei in mentem non veniunt, si praedicationem, catechesim etc. parat et suscipit. Cum enim Officium latine tantum recitet, praedicationem autem, catechesim etc. lingua materna paret, deest id quod vis associationis vocari potest. Propter quod ille qui praedicat de certa quadam re lingua sua familiari, non recordatur sponte se multoties eandem rem orando latine tetigisse. Hoc manifestat recitationem sola latina lingua factam mentem non satis formare ad normam illius verbi in ordinatione presbyteri: quod legerint credant, quod crediderint doceant.

3. Scientia linguae latinae eiusque perfectio imminuta est ita, ut multi sacerdotes textum Breviarii in ipso legendo saepe non intelligant. Inde eorum oratio saepe nonnisi attentione sic dicta superficiali absolvitur. Ne dicamus hunc defectum eo sanari debere, quod clerici latinam linguam melius addiscant. Nemo est qui non optet, ut scientia linguae latinae apud clericos perfectior reddatur. At oblivioni dari nequit Ecclesiam hunc finem ex se sola assequi non posse. Nam scholae, in quibus elementa linguae latinae discun-

tur, magna ex parte non subsunt Ecclesiae, sed Statui. Unde quae in scholis istis deficiunt, a nobis corrigi universaliter nequeunt. Nec dicendum hunc defectum scholae sanari posse in seminariis minoribus. Nam parva solum pars alumnorum seminarii maioris ortum ducit ex seminario minori, maior pars hisce temporibus et saltem apud nos gymnasium apud familiam habitando absolvit. Nisi renuntiare velimus huic maiori numero candidatorum, ab eis exigere nequimus scientiam, quam in schola non didicerunt. Si autem scientiam linguae latinae annis studiorum philosophiae et theologiae perficiendam valde urgemus, permulti ob timorem huius rigoris studium theologiae non capessent. Quamvis ergo maximopere optandum sit, ut scientia linguae latinae promoveatur et omnia quae ad hoc iuvent fiant, attamen factum ignorari nequit scientiam hanc hodie imminutam esse et factum hoc neque immediate neque a nobis solis universim mutari posse. Melius est habere clerum sat numerosum, qui, etsi non adeo perfectus in lingua latina, libenter statum clericalem arripuit et ob virtutes ceteras laudari potest, quam absterrere multos iuvenes a capessendo statu clericali eo quod ab ipsis exigimus scientiam linguae latinae tantae perfectionis, quae ipsis ardua nimis et inaccessibilis apparet.

Unde propono emendationem ad n. 77 sequentem: Iuxta saecularem traditionem Occidentalis Ecclesiae, in Officio divino lingua latina clericis servanda est, facta tamen episcopo (Ordinario loci) potestate concedendi singulis clericis ut secundum normam ab ipso episcopo prudenter et onerata sua conscientia constituendam Officium divinum statutis vicibus vernacula quoque lingua recitent.

74

Exc.mus P. D. NICOLAUS SCHNEIDERS
Archiepiscopus Makassariensis

Omni qua par est modestia liceat mihi dicere hoc caput multo minus placere quam praecedentia. Duo praesertim sunt quae displicent:

1. Prooemium clericalismum quamdam redolet. Sermo est de munere totius Ecclesiae ut Deum laudet et pro hominibus interpellet. Deinde additur Ecclesiam hoc munus absolvere non solum per Eucharistiae celebrationem, sed etiam per speciale illud munus divini Officii celebrandi, quod sacerdotibus aliisve selectis incumbit. Quasi ad illud laudis et deprecationis munus non pertineret oratio quae a simplicibus fidelibus fit.

Quare ad pag. 185, linn. 11-12 hanc emendationem proponere vellem: *Legitur*: « sed etiam per mirabile illud laudis canticum ». *Propono*: « sed etiam per orationes filiorum suorum, inter quas eminet mirabile illud laudis canticum ».

2. Decretum in concipiendo Officio divino claudicare videtur. Hoc iam

ab aliis explicatum est, et insuper ita patet ut argumenta repetere superfluum sit.

Argumenta sunt haec: Ab una parte schema intendit Officium divinum adaptare necessitatibus hodiernis, in quibus Breviarium de facto recitatur a sacerdotibus et religiosis cura animarum occupatissimis. Ab altera tamen parte decretum retinet indolem monachalem Officii divini.

Hinc aperta contradictio in iis quae de Matutinis dicuntur (n. 68, pag. 186, linn. 8-10). Praesertim vero decretum sanctificationem totius diei quaerit in « sanctificatione diversarum horarum » per orationes singulis horis aptatas (pag. 185, linn. 24, 28). Iamvero hoc sacerdoti vitae activae dedito plerumque impossibile erit. Huic etiam sacerdoti necessarium est, ut certum tempus orationi tribuat. Sed haec oratio potius consistet in consecratione matutina et gratiarum actione vespertina, qua labores suos Deo dedicat iisque fructum spiritualem impetret.

Vehementer opto ut Patres votum exprimere velint, quod omnino novum conficiatur Breviarium. Quodsi fit, ex diuturna experientia vitae missionariae, commendare velim ut hae normae prae oculis habeantur:

a) Pro recitatione a solo vel in communitate — Breviarium Monachorum non tango — unum habeatur Breviarium identicum. Ita tamen componatur, ut in recitatione a solo omitti possint quae ibi sensum non faciunt.

b) Tempus tranquillae recitationi necessarium melius non excedat triginta vel quadraginta momenta. Praesertim vero in festis solemnioribus eorumque vigiliis, quae maiorem sacerdotibus laborem imponere solent, Officium abbrevietur.

c) Officium componatur Laudibus et Vesperis, quae aptatae sint ad initium et ad finem diei, et insuper hora quadam intermedia, quae in qualibet diei hora recitari possit.

d) Principalem omnino locum in his horis obtineant Psalmi et Cantici, quibus in hora intermedia iungatur lectio quaedam protractior Sacrae Scripturae. Haec lectio ne interrumpatur responsoriis, quae devotionem saepe turbant potius quam iuvant. Si casus ferat, habeatur lectio quaedam ex Patribus vel ex vita Sanctorum historica. Huic autem officii nucleo ne addantur multae fimbriae.

e) Tempus Breviarii recitandi extendatur ad diem naturalem hodiernum, ita ut Vesperae recitari possint etiam post horam mathematicam vigesimam quartam.

[*Subsignati etiam*: A. Djajasepoetra, arch. Djakartanus; G. Manek, arch. Endehensis; A. Soegijapranata, arch. Semarangensis].

75

Exc.mus P. D. IOSEPH SCHROEFFER
Episcopus Eystettensis

Tum a sacerdotibus tum a moderatoribus spiritualibus cleri maxime optatur, ut modus aliquis, qui recitationem Breviarii magis meditativam permittit, concedatur.

Non pauci enim sacerdotes, laboribus obruti, in adimplendis officiis suis multiplicibus a mane usque ad vesperum continuo agitantur. Quare vera medicina eis esset, si, omni festinatione deposita, tranquillo animo cum Deo conversari ac diutius meditative apud unum aliumve psalmum vel aliam Officii partem morari possent.

Propono igitur, ut Concilium sacerdotibus optionem det aut persolvendi totum pensum diurnum aut tantum temporis in id insumendi quantum pro recitatione totius ordinarie requiritur, scil. unam horam, quin omnes et singulae partes de facto persolvantur.

Haec optio aut omnibus sacerdotibus concedatur aut singulis petentibus de licentia episcopi.

Quare in n. 73 *b*, post verba « ... tenentur totum Officium persolvere », addatur « aut saltem unam horam in eius recitationem insumere ».

76

Rev.mus P. D. AUGUSTINUS SÉPINSKI
Minister generalis O.F.M.

Placet cap. IV generatim loquendo. Breviter loquar de tribus articulis, scilicet de art. 69, ubi agitur de psalmis; de art. 73, ubi tractatur de obligatione recitandi divinum Officium, et de art. 74, ubi schema verbum facit de sodalibus religiosis. Alias animadversiones secretariatui generali scripto tradam.

Ad pag. 185, linn. 7-10: omittatur citatio, quae refertur ad « Pontificem », non proprie ad « Ecclesiam »; et dicatur: « Ecclesia autem, sacerdotio mirabili in suo Capite insignita et divinam ipsius missionem in terris pergens, Deum sine intermissione laudat et pro singulis interpellat. Quod munus absolvit... ».

Ad pag. 186, lin. 1: tollatur verbum « cleri », ut locutio generalior evadat.

Ad pag. 187, linn. 1-2: proponerem ut nihil in hac re innovetur; ratio est, quia « oratio diei » haberi debet pro tota die tamquam versus interca-

laris (« Leitmotiv », uti dicunt). Ceterum recenter oratio « Pater noster » ex horis sublata est; nunc iterum introduceretur?

Ad pag. 188, linn. 4-6: omnino placet quod dicitur de « lingua latina clericis servanda » in recitando Officio divino. Casibus vere exceptionalibus semper provideri potest recursu ad S. Sedem, quae iam concessit aliquibus sacerdotibus, sacrum ministerium peragentibus in Republica Israel, psalmos lingua hebraica recitare.

Ad pag. 188, lin. 13: corrigatur textus hoc modo: « vel cum iis qui sub *b*) nominantur ».

Nunc autem ad particularia:

1. In art. 69, pag. 186, linn. 16-17, legitur: « Opus revisionis psalterii, feliciter inchoatum, perducatur ad finem, respectu habito latinitatis et usus liturgici ». Proponerem ut dicatur « *quam primum* perducatur ad finem » etc. Ratio est, quia impraesentiarum in Ecclesia, et speciali modo in monasteriis et in aliis domibus religiosis, ubi divinum Officium choraliter persolvitur, haesitatio orta est quoad textum psalterii adoptandum. Ideoque vehementer desideratur ut unitas psalterii in Liturgia latina quamprimum restituatur.

Quoad modum futurum textum definitivum elaborandi, adhaereo iis quae nudiustertius clare sapienterque em.mus Dominus card. Frings proposuit.

2. Art. 73, pag. 187, lin. 3 et sequentibus. Proponerem ut in schemate agatur, etsi paucis verbis, de obligatione morali recitationis Officii divini, a solo factae, et aliquantisper rigor obligationis temperetur. Ita anxietates bonorum sacerdotum e medio tollerentur et amor divinum Officium recitandi forsitan augeretur.

Insuper liceat votum, iam ab aliquibus membris commissionis centralis emissum, iterum proponere, ut concedatur praesulibus facultas suos subditos in quibusdam casibus ab obligatione recitationis divini Officii dispensandi.

3. Art. 74, pag. 187, lin. 24 et sequentibus. Placet articulus uti iacet.

Dicitur enimvero: « Sodales cuiusvis Instituti status perfectionis, qui, vi Constitutionum, partes aliquas divini Officii absolvunt, orationem *publicam* Ecclesiae agunt. Item, *publicam* Ecclesiae orationem agunt, si quod parvum Officium, vi Constitutionum, recitant, dummodo in modum Officii divini confectum ac rite approbatum sit ».

Ratio cur articulus uti iacet servari deberet est, quia Ecclesia potest « indolem orationis publicae » determinare, sicut etiam in materia votorum unice ex voluntate Ecclesiae pendet, utrum vota sive fratrum clericorum et fratrum laicorum sive sororum, consideranda sint publica an privata.

77

REV.MUS P. D. GABRIEL SORTAIS
Abbas generalis O.C.R.

Canon 69. Placet iuxat modum. Ut scilicet, in ultima sententia, post verbum: « latinitatis », addatur: « Christianorum propriae et non de quacumque latinitate ... ».

78

EXC.MUS P. D. ANTONIUS TEDDE
Episcopus Uxellensis et Terralbensis

Cum in disceptatione de cap. V loquendi facultatem petiissem breves animadversiones de cap. IV secretariae generali Concilii Oecumenici Vaticani II scripto trado.

Anxio animo miror de aggressione — sit venia verbo, sed efficacius meum animum exprimit — contra linguam latinam in recitatione divini Officii adhibendam.

Cum de lingua latina in Sacrificii Missae peragendo actum est, reverenti animo auscultavi, quae a plurium regionum episcopis, praesertim ex terris Missionum provenientibus, de usu linguae vernaculae, praecipue in Missa Cathecumenorum, dicta sunt. Et his attentis, n. 41 ut se habet probandus mihi videtur. Cum in cap. IV autem de clericis agatur, qui convenienti doctrina praediti esse debent, amarissime me taeduit vehementiores sermones contra linguam latinam in recitatione Officii divini a clericis adhibendam audire.

Nunc temporis in usum venit etiam apud coetus operariorum unam vel etiam duas linguas alienigenas discere. Qui usus frequentior est apud coetus quos « medios » vel « mediae eruditionis » vocant. Humiliter, igitur, censeo omnes clericos occidentalis Ecclesiae Catholicae, iuxta saecularem traditionem, obligatione devinciri linguam latinam, sua natura universalem, discendi, saltem usque ad sufficientem cognitionem qua Sacra peragere et Officium divinum intellegenter recitare valeant.

Si a scholis in quibus latina lingua non edocetur iuvenes ad Seminarium accedunt, ut alias disciplinas ita et linguam latinam, quae est lingua viva Ecclesiae Catholicae occidentalis discant.

In Ecclesia occidentali, humillimo meo iudicio, non est admittenda inter clericos ignorantia linguae latinae, quae igitur in Officio divino clericis servanda est.

N. 77, igitur, meo iudicio, ut se habet adprobandus est.

Quoad obligationem divini Officii recitandi, n. 73, attenta humana fragilitate, qua etiam coetus sacerdotalis, gratiarum divinarum distributor affligitur, humiliter censeo sub gravi retinendam esse.

Vi enim dynamismi, ut aiunt, seu quam maxime assiduae sollicitudinis qua relationes sociales nunc temporis urgunt, facilius omittendi orationem vocalem et mentalem periculum instaret, nisi graviter onerata conscientia, clericos obligatio divini Officii recitandi urgeret, ut et n. 41 etiam n. 73, meo humili iudicio, ut se habet adprobandus est.

Ad maiorem Dei gloriam, et B. M. V. adiuvante.

79

Exc.mus P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ
Episcopus Auriensis

Qui propter bonum animarum et iuxta normas bis in eadem die celebrant, sint dispensati a recitatione Horarum Minorum, qui ter litant, etiam a Matutinis dispensentur.

Ut conditio sine qua non requiritur, ut saltem per dimidiam horam ipsa die orationi mentali incumbant in loco apto.

Rationes patent.

80

Exc.mus P. D. PETRUS M. THÉAS
Episcopus Tarbiensis et Lourdensis

De divino Officio pauca dicam.

I. Opportunitas accommodandi Officium divinum praesentibus Ecclesiae adiunctis retinenda est. Sed, meo sensu, necessitas et excellentia orationis nomine Ecclesiae aperte, clare et publice a Patribus Conciliaribus pronunciandae sunt.

Hodie enim, in Ecclesia, Officium divinum multum negligitur et non adest compensatio per orationem privatam: ista etiam multum decrescit.

Huius facti ecce consequentia: multiplicantur sacerdotes tepidi, sacerdotes « activistae » et, proh dolor!, sacerdotes infideles.

II. Nec putandum est quod oratio publica erit melior, ex parte sacerdotum, si brevior fiat. Familiaritas divina quandam diuturnitatem requirit.

Instantissime moneantur omnes sacerdotes Ecclesiae ut prolixius et ferventius orent. Hoc ad triplicem scopum: 1. ut meliori modo laudent Deum, unum et trinum; 2. ut unusquisque, in vita sua pastorali, sit vere instrumentum coniunctum cum Deo; 3. ut unusquisque fidelis sit usque ad mortem et ut Deo intime uniatur, quod pro singulis, est officium minime dubium.

III. Trahentur sacerdotes ad orationem, 1. exemplo Christi Domini; 2. verbis Apostolorum: « Nos vero orationi ac ministerio verbi instantes erimus » (Act. 6, 4); 3. exemplo omnium sanctorum pastorum; 4. constanti Traditione Ecclesiae et doctrina Summorum Pontificum.

81

Exc.mus P. D. DINUS TOMASSINI
Episcopus Isclanus

Subsignatus proponit ut in schemate constitutionis de S. Liturgia ad cap. IV (de Officio divino), in art. 73, post litt. *b,* addatur « Lex canonica vel Conferentiae episcopales dispensationem pro congrua parte Officii statuant in commodum sacerdotum qui, die dominica, duas vel tres Missas cum homelia celebrant vel peculiares et adprobatas precationes (processiones, horas sanctas etc. secundum locorum consuetudines) cum populo sibi commisso sollemniter faciunt ».

Ratio patet, praesertim relate ad missionarios et ad parochos, qui magnas vel plures paroecias curant.

82

Exc.mus P. D. ROBERTUS E. TRACY
Episcopus Rubrubaculensis

Veniam peto, ad aliquid breviter dicendum, relate ad cap. IV: de Officio divino.

His in diebus, habetur, inter plurimos nostros sacerdotes, praxis laudabilis frequenter assistendi Missis speciali occasione celebratis, e. g., Missis nuptiarum, exsequiarum, anniversariorum, etc. Deficiente autem tempore, ad labores pastorales adaequate persolvendos, hi sacerdotes nunc se sentiunt constrictos ad Breviarium recitandum, sacro durante, ex quo fit ut fideles, talem modum agendi ex parte sacerdotum animadvertentes, aliquatenus distrahantur ab illa plena participatione in Missa ad quam ipsi sacerdotes, saepe praedicando et docendo, eos inducere optant.

Quapropter peto dispensationem totalem ab obligatione Officium diei recitandi, illis sacerdotibus concedendam, qui talibus Missis specialibus actuose assistant. Hac dispensatione adepta, ipsi sacerdotes in actionem liturgicam plenius participandam libenter et expedite intrarent, et simul fidelibus praeberetur exemplum, magis idoneum et efficax, illius actuosae participationis in Missa ad quam sacerdotes, tamquam eorum magistri et duces in re liturgica, eos constanter exhortantur.

83

Exc.mus P. D. ALFREDUS VIOLA
Episcopus Saltensis in Uruguay

Expressa delegatione episcopatuum ditionum Chiliensis (de Chile) et Uruguariensis (de Uruguay), quoad cap. IV schematis de sacra Liturgia, nempe de Officio divino, quaedam exponam.

Studium totius huius capitis nobis suggerit totam hanc rem speciali peritorum commissioni deferendam esse, aliquibus tantum generalioribus principiis ab ipso Oecumenico Concilio stabilitis.

Ratio est quia in hoc capite multa sunt laboriose ac longo tempore determinanda, quae in congregatione generali vix perfici possunt.

Sequentia ergo proponimus:

I. Cap. IV schematis sacrae Liturgiae totum cuidam peritorum commissioni tradatur, ut intra quinquennium Officium divinum funditus recognoscatur, saltem pro clero apostolatui operam dante.

II. Periti ad recognitionem designati non solum quae a Patribus hic et nunc verbo vel scripto suggerantur prae oculis habeant, sed etiam studia quae facta fuerunt a commissione praeparatoria, in quibus multa procul dubio ipsis maiorem lucem ad suum munus rite adimplendum invenient; quin hoc ullo modo significare velit ad primitivum schema ex toto redire.

III. In congregatione generali ergo solummodo perpendantur annotationes genericae sequentes:

1. Clare affirmetur Officium divinum Ecclesiae magni interesse. In munere enim sacerdotali bene fungendo divinum Officium grave momentum habet, non tantum pro clero, sed et pro omni populo fideli, immo et pro toto hominum genere. Sacerdos etenim, vir orationis esse debet, non solum pro seipso sed et pro ceteris, nam mediator est pro hominibus constitutus in iis quae sunt ad Deum.

2. Ita Officii structura ordinetur ut ipsum non sit aliquid addititium et quasi mere disciplinare in vita sacerdotum, sed potius aliquid expedite et, magis re quam lege, ad munus mediatoris et magistri naturaliter aptatum, ita ut multum conferat ad vitam spiritualem ipsius sacerdotis alendam, et insuper ad sanctificationem quotidiani laboris totius communitatis fidelium.

3. Amplior in divino Officio Sacrarum Scripturarum lectio locum obtineat; tamen ad breviorem formam in sua integritate contrahatur. Ad hoc faciendum adhibeantur, imprimis, ea quae in § 23 cap. I istius schematis enuntiantur; insuper in recognitione facienda non attendatur tantum ad quasdam rationes historicas morose ac mordicus perpensas, sed etiam, immo et potius, ad hodiernam conditionem et necessitatem cleri ad opus pastorale vocati.

4. Denique, hae practicae determinationes ab ipso Concilio statuantur:

a) Ordinarii dispensationem Officii concedere possint iis sacerdotibus

qui, in diebus festis, eorumque vesperis, vel multum in opere pastorali adlaborare debent vel pluries litare.

b) Omnibus monialibus, quae ad divinum Officium tenentur, liceat, Ordinarii iudicio, lingua vernacula illud recitare.

c) Fere omnes episcopi supralaudati arbitrantur ut si quae sint graves causae, Ordinarius possit etiam sacerdotibus concedere usum linguae vernaculae in divini Officii recitatione.

84

EXC.MUS P. D. HERMANNUS VOLK
Episcopus Moguntinus

Discussione cap. IV schematis de sacra Liturgia iam finita peto, ut hoc meum votum de Officio divino dirigatur ad commissionem de re liturgica tractantem.

1. *De Breviario servando.*

a) Necessarium duco, sacerdotes persolvere totum Breviarium Matutinum, Laudes, Horas minores, Vesperas et Completorium complectens.

b) Ne mutetur Breviarii forma, qua etiam alternatim et in choro recitari possit.

c) Breviarium in toto suo ambitu obligatorium maneat. Nam pro ipso sacerdote et ut cultus publicus magni momenti, immo essentialis functio sacerdotum est. Id quod Breviarii abbreviatione reduci iniustum esset et efficeret, ut fideles minus parati redderentur orandi extra S. Missam. Ex his et similibus rationibus multi sacerdotes non desiderant, ut abbrevietur Breviarium.

2. *De levaminibus in Breviario recitando necessariis.*

a) Quam celerrime permittatur, ut Breviarium recitetur in lingua vernacula ab omnibus, quibus hoc utilitati vitae spiritualis est, ad normas art. 24 pag. 167, in quo mutetur verbum « proponere » in verbum « determinare » aut « instituere ».

(I) Inde recitatio Breviarii plerisque reddetur fructuosior, quo fiet, ut libentius et facilius orent. Breviario in lingua vernacula usitato haud pauci fortasse redibunt ad recitationem latinam, quae deinde fieret maiore cum fructu.

(II) Cum textus Breviarii magna ex parte desumuntur ex Sacra Scriptura, Breviarium in lingua vernacula recitatum efficiet, ut Sacra Scriptura etiam fidelibus fiat magis fructuosior. Nam textus Sacrae Scripturae facilius et magis spontanee praedicationibus inserentur. Qui fructus utilitatem recitationis latinae valde superabit.

(III) Breviarium in lingua vernacula recitatum simul cum aliis modis orandi, e. g. rosario, etiam coetui fidelium oranti utilis erit. Nam augetur numerus laicorum, qui Breviarium vel saltem partes eius recitant.

b) Permittatur, ut ipsi recitantes lectiones ex Sacra Scriptura et Patri-

bus desumptas commutent. Probabile videtur multos ex eis deinde lecturos esse maiores partes Sacrae Scripturae maiorem unitatem sensus complectens quam in Breviario nunc existente. Sic fiet, ut Breviarium et lectio scripturistica melius coniungantur.

Ut breviter totum complectar: Desideria valde urgentia implebuntur et augebitur laetitia, qua sacerdotes recitent divinum Officium, si permittetur, *a*) ut Officium divinum recitetur in lingua vernacula, *b*) ut ipse recitans commutare posset lectiones ex S. Scriptura et Patribus desumptas.

85

Exc.mus P. D. ANTONIUS GREGORIUS VUCCINO
Archiepiscopus tit. Aprensis

I. *De fundamento doctrinali Officii divini.*

Videtur quod sicut habet hodie divini Officii ordinatio constituit pondus et fastidium pro aliquibus cleris non tam propter diuturnitatem suam quam propter qualitatem quae dispar apparet cum conditionibus hodierni ministerii (sacerdotalis) cleri nostri qui Officium divinum recitando intendit non solum munus suum complere sed etiam vitam suam religiosam fovere. Unde, ante omnia debet sacerdos rectum de qualitate officii conceptum habere.

Nam considerandum est quod divinum Officium partem essentialem esse cultus divini. Etenim, « Unus est Deus, unus Mediator Dei et hominum, Christus Iesus » (*1 Tim.* 2, 5). « Habentes ergo Pontificem magnum » (*Hebr.* 4, 14), Iesum Christum, qui, ut scribebat in Encyclica *Mediator Dei* Pius XII f. r., « humanam naturam assumens, terrestri huic exilio hymnum illum invexit, qui in supernis sedibus per omne aevum canitur. Universam hominum communitatem ipsi sibi coagmentat eamdemque in divino hoc concinendo laudis carmine secum consociat ». Unde cultus divinus ab ipso Christo et in nomine illius rite et debite Deo Patri offertur ab Ecclesia.

Iamvero, cultus divinus amplexatur Sacramenta et Officium divinum quae Spiritu et verbo Dei efficiuntur. Sed inter sacramenta potiorem locum tenet sacramentum eucharisticum, quia, ut sacrificium Redemptionis humanae ut opex et fons divini cultus reputandum est. Unde, e rerum natura, divinum Officium intimum connexum habet cum sacrificio eucharistico et merito appellatur « sacrificium laudis », quod in persona Christi et in nomine Ecclesiae offertur.

Divinum igitur Officium explendo, sacerdos in nomine Christi et Ecclesiae agit et orat, publicoque fungitur officio. Unde Officium divinum non est considerandum ut actus individualis, sed magis socialis, ecclesialis et quodammodo oecumenicus. Sequitur quod sub aliquo aspectu, quadruplex finis sacrificii eucharistici convenit etiam sacrificio laudis, quatenus Ecclesia consociatur Christo qui suo officio sacerdotali fungitur sive in Missae sacrificio sive in sacri-

ficio laudis. Propterea, si haec principia generalia recte applicantur in sacra Liturgia, tunc evidens apparebit intimus connexus inter sacrificium eucharisticum et sacrificium laudis, ita ut sacrificium laudis efficiatur vera praeparatio ad sacrificium eucharisticum simulque eius emanatio.

II. *Et iam ad praxim.* Agitur de n. 68 ad 71.

Principium recognitionis divini Officii: ita ordinandum est ut evidens appareat eius cum sacrificio Missae connexio. Et hoc sequenti modo:

a) *Hora matutina,* recitantur Laudes cum psalmis in quibus adoratio et laus divina ab Ecclesia exprimatur.

b) *Hora meridiana,* in qua tres psalmi recitantur cum propria oratione, in quibus gratiarum actio ab Ecclesia exprimatur.

c) *Hora postmeridiana,* in qua recitantur psalmi tres sensu impetratorio, quibus adiungentur lectiones e Sacra Scriptura et ex Patribus assumptae accommodatae ad memoriam revocandam virtutum vitae christianae et sacerdotalis. Adiungitur lectio hagiographica et concluditur cum oratione diei.

d) *Hora serotina,* in qua recitantur primum Vesperae ad confitendam fidem Ecclesiae ad divinam Providentiam, deinde Completorium cum duobus psalmis paenitentialibus post examen conscientiae et confessionem, quibus adiunguntur oratio et marialis supplicatio.

86

Exc.mus P. D. IGNATIUS ZIADÉ

Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

Ad art. 73. Circa Officium divinum plene assentimus illis quae proposuit em.mus card. Léger, quod scil. retineantur pro clericis saecularibus Laudes et Vesperae, quibus accedunt lectiones Scripturae Sacrae et Patrum.

Circa has autem lectiones licet quaedam addere pro tota Ecclesia:

Sacerdos, diversis operibus ministerii et saeculi iam occupatus et ad pensum sat extensum Officii divini obligatus, inclinatur ad hoc pensum persolvendum, cum aliqua celeritate, immo, post aliquod tempus, maxima cum celeritate. Repetitio autem celerrima eorumdem textuum, lingua non connaturali, reddit attentionem difficiliorem et ducit paulatim ad formalismum. Formalismus autem fugat pietatem.

Ad hoc malum sanandum, duo ergo praecavenda sunt: celeritas et formalismus. Praecavetur celeritas si obligatio fertur non in extensionem materiae legendae, sed in spatium temporis occupandi. Si enim obligatio fertur in spatium occupandum, iam non adest propensio ad explendam maiorem quantitatem materiae in minore quantitate momentorum, sed e contra, loco propensionis ad celeritatem, advenit attentio ad id quod legitur: quae attentio est via ad vitam et remedium ad malum.

Praecavetur etiam formalismus excludendo repetitionem. Repetitio autem

excluditur, si facultas conceditur legendi textus, quos ipse lector eligit in quodam Elencho, ad hoc confecto, Scripturarum et Patrum. Textus qui eliguntur, eliguntur enim sive desiderio amplioris instructionis, sive ex desiderio alicuius delectationis animae. Amplior autem instructio adiuvat ad magisterium, et delectatio animae ad pietatem, quae beneficia non sunt despicienda. Et sic liberantur sacerdotes a malo ad sanitatem.

Ergo summa propositionis ad hoc reducitur:

1. Retineantur ex Officio divino horae principales, ex cura fidelitatis ad Ecclesiae traditionem;

2. Imponuntur variae lectiones, eligendae in elencho ab Ordinario loci statuto, ab ipso sacerdote, per spatium temporis determinatum, ad formalismum et celeritatem praecavendam.

CONGREGATIO GENERALIS XVII

12 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XVII

12 novembris 1962

Exc.mus P. D. Pericles Felici, *secretarius generalis Concilii*:

Hodiernae congregationi generali praeest em.mus ac rev.mus Dominus card. Antonius Caggiano, arch. Bonaërensis.

Audiant omnes! Prouti nuntiatum est, Sanctissimus Dominus dignatus est statuere ut sessiones primae seriei finem habeant die 8 proximi decembris, in festo Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, sollemni sacro cui ipse Summus Pontifex praeerit. Sequenti die, idest 9 decembris, habebitur sollemnis canonizatio.

Idem Sanctissimus Dominus dignatus est statuere ut sessiones iterum incipiant dominica IV post Pascha, nempe die 12 mensis maii anni proximi, et finem habeant in festo Sanctorum Petri et Pauli, quae est sabbato. Tempore quod intercedit inter primam seriem et secundam seriem sessionum operam navabunt commissiones conciliares.

Circa capita V, VI, VII et VIII eorumque articulos, loqui petierunt: em.mi cardd.: Iacobus de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii; Mauritius Feltin, arch. Parisiensis in Gallia; Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaënsis in Tanganyika; Conradus Bafile, arch. tit. Antiochenus in Pisidia; Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis in Sinis; Ioseph Marling, ep. Civitatis Jeffersoniensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis in Polonia; Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis in Mozambico; Ioseph Khoury, arch. Tyrensis Maronitarum; Iacobus Nuer, ep. Phatanensis in Aegypto; Victor Reed, ep. Oklahomitanus in Stat. Foed. Americae Sept.; Cyrillus Zohrabian, ep. tit. Acilisenus in Armenia; Antonius Jannucci, ep. Pinnensis in Italia; Russell Ioseph McVinney, ep. Providentiensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Laurentius Bereciartua, ep. Seguntinus in Hispania; Simon Hoa Hien, ep. Dalatensis in Vietnam; Leonardus Raymond, ep. Allahabadensis in India; Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania; Marius Castellano, arch. Senensis in Italia; Petrus Ngo-dinh-Thuc, arch. Huéensis in Vietnam; Emmanuel Larraín, ep. Talcensis in Chile; Primus Gasbarri, ep. aux. Veliternus in Italia; Paulus Gouyon, ep. Baionensis in Gallia; Ioseph

Urtasun, arch. Avenionensis in Gallia; Aloisius Alonso, arch. tit. Sionensis, vicarius castrensis in Hispania; Antonius Fustella, ep. Tudertinus in Italia; Caesarius D'Amato, ep. tit. Sebastenus; Aloisius Almarcha, ep. Legionensis in Hispania; Petrus Zilianti, abbas nullius Montis Oliveti Maioris; Ioseph Soetemans, abbas generalis Canonicorum Regularium Lateranensium; Henricus Golland Trindade, arch. Botucatuensis in Brasilia; Casimirus Kowalski, ep. Culmensis in Polonia; Paulus Taguchi, ep. Osakensis in Iaponia; Franciscus Jop, ep. tit. Dauliensis in Polonia.

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA
Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Venerabiles Patres,

Circa *musicam sacram eiusque naturam* [1] liceat mihi aliquid dicere. Sed non omnia *legam quae hic scripta sunt,* [2] brevitatis amore.

Musica sacra est illa quae ex sua natura composita et inventa fuit ad Liturgiae inserviendum. Ex sua natura manifeste apparet quod finis primarius cantus et musicae sacrae est, et esse debet, Dei gloria et laus. Deducitur ergo quod musica, ut ars sacra, debet semper tendere ad cultum divinum ampliandum et promovendum. Liquido patet quod in isto sensu musica sacra quandoque ipsa Liturgia dici potest.

Hucusque assertum a multis fuit quod musica sacra solummodo « ancilla est liturgiae », sicut in schemate n. 90 legitur. Sufficit autem dicta S. Pii X prae oculis habere quando, de musica sacra loquendo, non dicit simpliciter « humilis ancilla », vero autem « pars integrans liturgiae ».

Musica sacra revera est ancilla Liturgiae quoad actionem, attamen quoad suam naturam est « pars necessaria vel integrans ipsius Liturgiae »... [3] Musica in ecclesia movet affectus, animum mulcet, mentem ad Deum elevat.

Sacer cantus semper fuit in ecclesia adhibitus « ad gloriam Dei atque salutem animarum ». Proinde « Sancti Patres nostri antiqui docuerunt et instituerunt subditos suos... formam cantandi sive psallendi in choris suis esse et placuere sacrificium laudis nostrae... [4] ».

Si naturam musicae sacrae attente consideremus, aperte videtur quod Deus canticis hominum proprie numquam indiget, quatenus, sicut Ecclesia canit: « Pleni sunt caeli et terra gloria tua ». Sicque recte dicit Hieronymus: « ... non quod Deus laude alicuius indigeat, sed quod laus Dei laudatoribus prosit et dum per singula opera maiestatem ipsius ma-

gnitudinemque cognoscunt, ad laudandum cum miraculo stuporis erumpant »...[5]

Iuxta mentem Ecclesiae et Sanctorum Patrum « vera » musica sola illa est, quae ecclesiastica et sacra, quatenus mediante ista compunctio cordis in cultu liturgico obtineri potest.

Ex hucusque dictis et ex ipsa natura cultus divini liquido patet, quod in cultu catholico ars musicae, ex sua natura, non semper constituit actum liturgicum, utique autem « in ipsis caerimoniis sacris et ritibus exsolvendis praecipuum obtinet locum » (*Musicae sacrae disciplina*).

Liquido patet quod non erit possibile spiritum liturgicum inter fideles creare sine cantu sacro adaequato. Plenitudo et perfectio Liturgiae exigit participationem fidelium in cantu sacro, quia in cultu christiano, utpote cultus eminenter eucharisticus, omnimode necessarius est cantus sacer, sicuti vox fidelium et communitatis.

Unde manifeste apparet quod sacerdotes et clerici, necnon fideles omnes, studiose divinas laudes concinere atque audire debent. Unde realis instauratio liturgica haberi nequit quousque sacerdotes et religiosi non efformentur in musica sacra a magistris in hac arte bene peritis, indeque a pristinis annis educationis in seminariis et in scholasticatibus religiosis...[6]

Nunc practice propono:

1. In seminariis, praeter alumnos selectos pro schola cantorum, omnes alii bene instructi sint in cantu gregoriano, saltem ad bene canendas partes quae in Missa solemni a celebrante vel ministris canendae sunt.

2. Ad hoc obtinendum, directores nihil omittant ut alumni, etiam non cantores, revera addiscant necessaria pro functionibus sacris. Nam, sicut illi, qui in schola cantant, bene apti esse debent ut functiones ad altare rite peragant (quod multoties non accidit), etiam, ex altera parte, et iisdem rationibus, illi qui ad altare aliquo munere funguntur in quo cantare debent, reapse illud bene adimpleant, rite canendo. In sacris functionibus, caeremoniae et cantus ita intime connectuntur ut separari non possint. Ideo omnes clerici et cantare et bene se gerere ad altare rite addiscant, propter rationes tum liturgicas tum pastorales.

3. Ultima propositio mea: saltem cantus religiosos populares, necessarios pro catechesi, missionibus et similibus, nullus sit sacerdos qui eos canere nequeat. Experientia personali, per tot annos in directione seminariorum, unum tantum alumnum inveni cui impossibile fuit cantica, nec faciliora quidem, addiscere. Sed unum tantum; alii, etiamsi difficulter, didicerunt. Media impendamus, et effectus percipiemus.

Ne remaneant ergo tantum in scriptis omnia ea quae in schemate statuuntur, praesertim sub n. 93. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] naturam musicae sacrae. [2] hic scripta legam. [3] Quod Isidorus de musica sacra loquendo affirmavit, quod « sine musica nulla disciplina potest esse perfecta, nihil enim est sine illa... », possumus etiam de cultu publico dicere: Liturgia nunquam solemnis esse potest sine cantu, sine musica. [4] angelis vero acceptabile et iucundum; omnibus hominibus intuentibus et audientibus delectabile et aedificatorium; generans devotionem et compunctionem et suscitans animum ad indagandum Scripturarum intellectum et erigens mentem ad contemplandum ea quae super se sunt, caelestia et divina » (Instituta Patrum, in Gerbertus, Scriptores, I, 5). [5] (Comm. ad Eph., PL 26, 451). Mens divi Thomae idipsum brevius exprimit: « necessaria laus oris non quidem propter Deum, sed propter ipsum laudantem, cuius affectus excitatur in Deum et ex laude ipsius » (*Summa Th.* 2-2, q. 10). Natura cantus sacri expostulat quod in ecclesia homines corde melius quam ore canant, iuxta illud Augustini: « Laudamus ergo Dominum Deum nostrum, non tantum voce, sed etiam corde. Quoniam qui corde laudat, interioris hominis voce laudat. Vox ad homines sonus est, vox ad Deum affectus est » (Sermo 267, PL 38, 1193). In antiquis temporibus rector artis musicae, quatenus ista pro bono societatis inserviebat, Status semper fuit; cum adventu autem liturgiae christianae, Ecclesia sicuti rector artis sacrae se erigit, atque moralitatem artis musicae proclamat. Consequenter sancti Patres causam musicae sicuti proprium negotium et sicuti quaestionem primi ordinis suscipiunt. [6] (cf. Instructio S. Congr. de Seminariis diei 15 aug. 1949; Litt. Enc. *Musicae Sacrae Disciplinae,* 25 dec. 1955; Instr. *de Musica sacra et sacra Liturgia* diei 13 sept. 1958).

2

EM.MUS P. D. MAURITIUS CARD. FELTIN
Archiepiscopus Parisiensis

Venerabiles Fratres,

Cap. V, n. 85, pag. 192, agitur de festo paschali.

Quin ad diuturnas controversias revertar, quae primis Ecclesiae saeculis intervenerunt, et salvo ecclesiarum orientalium calendario, votum exprimere velim:

Ut in calendario nostro latino festum Paschae celebretur die fixa, verbi gratia, dominica prima mensis aprilis.

Hoc votum revera antiquissimae traditioni opponitur. Sed nonne hic ipse sit finis Concilii Vaticani II: recognoscere institutiones nostras, et eas modificare, si id, ob aetatis hodiernae exigentias, necesse sit?

Atqui hodie fideles, in nostris regionibus, non intelligunt cur anniversaria commemoratio huius historici eventus, mortis et resurrectionis Salvatoris nostri, singulis annis diversis diebus celebretur.

Quod si ipsis datur explicatio historica, obstupescunt quod ordo lunaris pro hoc tantum servetur, cum solaris ordo nostris temporibus omnia regat.

Si vero solemnitas Paschae statueretur prima dominica mensis aprilis, id est semper intra primum et septimum diem huius mensis, hoc non longe abesset a traditione venerabili, circa diem quartum decimum « Nizan » vertente.

Et hoc aliunde plures convenientias praeberet:

1. Multum adiuvaret pastores; sineret enim apostolicas activitates diversarum associationum melius ordinari, necnon vitam paroeciarum et dioeceseos.

2. Hoc maius momentum daret festivitati Paschali in vitam civilem. Etenim usque nunc festa religiosa aliquod momentum habent in vitam civilem, sed, societate in materialismum vertente, haec efficientia paulatim minuitur.

Iam nostis in quantis casibus, nomine oeconomicarum necessitatum, ordo laboris operariorum sine consideratione diei dominicae celebrandae instituitur.

Ipsa festivitas Paschae, adhuc generaliter observata, periculum incurrit suum momentum perdendi, nisi certa die instituatur. Iam in aliquot regionibus vacationes scolares verni temporis, magistrorum et alumnorum commodo statuuntur, absque respectu ad solemnia Paschalia.

3. Haec decisio multum praestaret commodum et satisfactioni esset: tum magistris operum et operariis, quia eos adiuvaret in labore et vacationibus ordinandis; tum auctoritatibus civilibus, quibus, in nostris saltem regionibus, valde interest festum diem Paschae pro semper statui; tum familiis, christianis quidem sed et non-christianis, quibus festum Paschae fixum, sicut et Nativitatis Domini, facilius congregandi locum daret.

Scio fratres nostros orientales de hac re habere rationes a nostris diversas, et libenter subscribo propositioni ab exc.mo secretario Nabaa, recenter factae, hanc quaestionem deferre ad commissionem mixtam, cui annumerarentur delegati ecclesiarum orthodoxarum ritus byzantini, atque aliarum orientis orthodoxarum ecclesiarum.

Attamen, ut in nostris regionibus festa christiana serventur, et ut respondeatur aliquibus nostri temporis exigentiis, quaero *ut dies solemnis Paschae, in ecclesia latina, pro semper statuatur dominica prima mensis aprilis.* Dixi.

3

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA
Episcopus Bukobaënsis

Em.mi, exc.mi et rev.mi Patres,

Loqui velim de quibusdam viis quibus in Africa optime promoveatur musica sacra, de qua in n. 97 cap. 7 agitur.

Musica in Afrorum vita magnam partem habet atque eorum cultui religioso plurima confert elementa. Quaeritur nunc quomodo traditione musicali africana uti poterimus ut cultus christianus indoli nostrae aptetur.

Multa quidem tentamina, plus minusve felicia, aliquando simplici occasione vel casu exorta, saepe temere excogitata, aliquoties tamen cum quadam vera peritia exarata, ab iis qui putabant se artem authentice africanam cognoscere. Plures studium artis nostrae impenso conatu fovebant, sed « non secundum scientiam » (cf. *Rom.* 10, 2), cum nimis generatim de universa indole africana loquerentur et melodias locales concentumque instrumentorum qui alicubi Afris placet, ac si cunctis Afris placerent eodem gradu ac modo, pro scientia experimentata tenerent.

In cap. I (n. 34-36) iam actum est de commissionibus liturgicis atque de commissionibus de musica sacra et de arte sacra. Commissionis de musica sacra est, tentamina prudenter et caute dirigere, necnon quaenam melodiae moribus ac pietati christianae repugnant, iudicare. Sed quomodo sine peritis tales commissiones constituemus? In peritis stabit et valor obiectivus et progressus utilis musicae africanae.

Obsecro ergo peritos, ut nos adiuvent in instituendis scholis ad investigandam veram naturam musicae africanae in quibusdam institutis de musica sacra vel etiam profana. Futuri periti sic efformati, sive clerici sive laici, sive Afri sive alii quibus studium musicae africanae cordi est, illuc confluent ut, auxilio principiorum generalium musicae, modos africanos componere addiscant et de novis melodiis sapienter iudicare conentur. Pontificio Instituto Romano de musica sacra (P.za S. Agostino, Roma) iam adiuncta est schola de musica in missionibus. Sed quid hoc ad ea tanta quae necessitas flagitat? Eiusmodi incepta pro viribus ab omnibus provehenda sunt ut musicae sacrae africanae fundamenta solida iaciantur. Periti qui in re musicali generali et insuper in notione obiectiva indolis africanae funditus perceptae et varietatum musicalium

iuxta diversas partes Africae callebunt, liturgiam nostram adaptare feliciter sensui religioso novo satagent. Dixi.

Animadversiones additae:

Problema forsitan magis arduum oritur de *Arte sacra africana.* Quidam artifices instituta expellere nituntur quae a primis christifidelibus Africae usque ad nos tradita sunt, et quae summa veneratione prosequimur. « Recedant vetera, nova sint omnia », aiunt, artem abstractam introducentes, quae indoli nostrae nequaquam accommodatur. Hunc novum modum Africanum appellant; figuras Christi et Mariae ita exprimunt ut fideles offendantur.

De indole futura Afrorum praeiudicare nolo, sed puto nos prudenter procedere debere, ne, sicut parvuli fluctuantes, omni vento novitatum circumferamur (cf. *Eph.,* 4, 14).

Quo principio fundamentali fulti, distinguendum est. *Architectura* in magna parte Africae typis simplicibus reducitur: tuguria, rarissima aedificia vix maiora; nisi in Africa septemtrionali, ubi Semitae et Chamitae aedificia maiora construxerunt. Ceteri Africani paucissimos habuerunt cum ipsis contactus, nec quidquam de arte illa ab iis imparaverunt.

Missionarii aedificia sacra modo europaeo constituerunt. Sub influxu progressuum in scientia missionologica ab initio saeculi nostri, plures proposita excogitarunt, sicut, verbi gratia, ecclesia vel templa nostra in modum tugurii amplificati ad mensuram numeri christifidelium, id quod problemata insolubilia de soliditate atque de pretio constructionis incredibili evocabat. Insuper, in omnibus regionibus mundi, sensus populi semper poposcit ut domus Dei a domibus privatis differat.

Ergo, in pluribus quaestionibus, in architectura absolute, in ceteris relative, novitas imponitur et quidem, ita ut labor noster et conatus opera exstruant quae per annos et annos permaneant ac pietatem populorum nostrorum foveant.

Summopere ergo desiderantur *periti artis sacrae Africanae,* qui veri nominis progressui et accommodationi studentes cum episcopis invigilent ne confusio extrema stabiliatur.

4

Exc.mus P. D. CONRADUS BAFILE
Archiepiscopus tit. Antiochenus in Pisidia

Venerabiles Patres,

In pag. 192 huius cap. V, in art. 86, quaestio est de *calendario fixo seu perpetuo* inducendo.

Proposita reformatio tenderet ad hoc: ad efficiendum scl. ut omnes anni semper per eandem hebdomadae diem initium habeant, ita ut v. g. dies prima ianuarii semper die Dominica cadat, dies secunda ianuarii semper feria secunda, et ita porro.

Cum annus civilis constet ex 365 diebus, i. e. ex 52 hebdomadis

plus 1 die, praecise haec ultima dies est causa instabilitatis calendarii. Quae dies cum supprimi non possit, varia excogitata sunt systemata ad obtinendam stabilitatem seu perpetuitatem calendarii, quae *systemata* [1] ad 2 principaliora reducuntur (loquor de systematibus tantum, quae hebdomadam retinent).

Primum systema consistit in hoc quod 365ma dies cuiusque anni, *ultima dies anni scilicet,*[2] non amplius computatur in serie hebdomadarum, i. e. tamquam dies extra hebdomadam habetur, ita ut neque uti dominica, neque uti feria 2 neque uti alia hebdomadae dies consideretur. Vocatur dies alba seu nulla. Idem dicendum de die 29 februarii anni bissextilis.

Diebus 365ma cuiusque anni et 29ma februarii annorum bissextilium sic eliminatis ad hebdomadarum serie, novus annus semper incipiet eadem die. Inter varias formas reformationis calendarii, quae ad hoc systema reducuntur, illa maxime nota est, quae venit sub nomine « Calendarii Orbis seu Universalis » (vulgo « World Calendar »), de quo in nota 5 in pag. 192.

Alterum systema consistit in eo quod, ad eundem finem obtinendum, reducitur ipsa duratio anni civilis ad 364 dies ita ut, transacta die 364, statim incipiat novus annus. Ad compensandam autem amissionem illius diei, quae supererat in unoquoque anno, et diei 29 februarii in annis bissextilibus, inseritur integra hebdomada in fine cuiusque quinti vel sexti anni, prout casus feret. Tali modo, duratio normalis anni civilis erit 364 dierum; post vero 5 vel 6 annos habebitur — instar anni bissextilis — annus 371 dierum. Et sic, post hanc hebdomadam intercalarem, initium novi anni iterum cum initio anni secundum calendarium gregorianum, nunc vigens, coincideret.

Adoptioni alicuius calendarii huius ultimi systematis non videntur obstare peculiares difficultates sub aspectu religioso, quia hebdomada intacta maneret cum in sua constitutione tum in suo rhythmo seu in successione hebdomadarum.

Hoc systema tamen parum considerari visum est apud Organisationes Internationales, quae de calendario reformando praeteritis annis egerunt.

Non semel e contra de primo, supra numerato, systemate calendarii perpetui disputatum est, et quidem anno 1937 apud Societatem Nationum et anno 1956 apud Consilium Oeconomicum et Sociale Organisationis Nationum Unitarum, quin tamen ad practicam conclusionem perveniretur.

Utilitates, quae ex adoptione huiusmodi calendarii profluerent, essent non parvi momenti, etenim:

a) Calendarium fieret vere stabile, cum profectu societatis civilis, praesertim apud quosdam populos, apud quos plura differentia calendaria simul vigent.

b) Huiusmodi calendarium ex una parte, hebdomadam, etsi non prorsus intactam, tamen servaret, et ex altera parte, exigentiis vitae civilis optime responderet. Quare, si aliquando contingeret ut idem calendarium ope Organisationum Internationalium introduceretur in universo orbe, in tuto aliquomodo poneretur ipsa hebdomada a conaminibus eorum qui futuro tempore, materialismo grassante, novum calendarium propugnare possent, quod ab hebdomada prorsus praescinderet (sicut tentatum est tempore Revolutionis Gallicae et iterum tempore Revolutionis Russicae).

Sed introductioni calendarii huius generis, i. e. primi systematis, *i. e. systematis quae ultimam diem anni extra seriem hebdomadarum ponit,*[3] non leves obstarent difficultates:

a) sicut dictum est, rhythmus hebdomadae frangeretur, i. e. successio hebdomadarum interrumperetur, et quidem denuo unoquoque anno. Nemo est, qui non videat quam grave sit rem sanctam, quae est hebdomada, tangere seu laedere, quae ipsi divinae revelationi innititur;

b) in periculum incurreretur novas divisiones inter Christianos inducendi. Scio non deesse, qui sperent introductionem calendarii perpetui etiam causae unionis Christianorum profuturam esse. Sed hoc valde dubium videtur. Ad rem meminisse sufficiat adhuc hodie, post 4 fere saecula a gregoriana reformatione calendarii, nondum omnes Christianos calendarium gregorianum acceptavisse, siquidem maiores communitates Christianae orientales separatae adhuc haerent calendario iuliano.

Quid eveniet nunc, si tam profunda innovatio actuetur, quae hebdomadarum successionem interrumpat, praesertim cum hodie, praeter Ecclesias separatas Orientis, tam multae exsistant confessiones acatholicae?

c) Hebdomada, uti compertum est, in vigore est non tantum apud Christianos, sed etiam apud Hebraeos et Mahomedanos; utrique — Hebraei praesertim — ei totis viribus haerent et cuivis interruptioni in successione hebdomadarum se opponunt. Hebraica sodalitia et nonnulla Mohamedanica Gubernia per suam firmam actionem effecerunt, ut quaestio de sic dicto « Calendario Universali » introducendo, quae, uti diximus, anno 1956 apud organos Nationum Unitarum in discussione erat, amplius ne agitaretur pro illa vice et sine die differretur. Iam vero, in praesenti situatione, Christiani naturales, ut ita dicam, cooperatores in

defendenda hebdomada apud organisationes internationales habent populum Hebraicum et nationes Mohamedanicas. Sed defensio hebdomadae debilior evadet, si haec spontanea et naturalis concomitantia deficiet.

Meminisse ceterum iuvabit — solummodo per transennam — quod introductio huiusmodi calendarii perpetui, quod rhythmum hebdomadae frangeret, secumferret etiam necessitatem fixationis diei Paschatis, de qua in art. 85 (eadem pag. 192), quia computatio diei Paschatis secundum regulam Nicaenam, interrupta serie hebdomadarum, impossibilis evaderet.

Conclusio:

1. Cautissime in hac materia procedendum videtur.

2. Cum autem art. 86 schematis non distinguere videatur inter *systemata* calendarii perpetui, quae hebdomadam et eius rhythmum servant, *et systemata,* quae hebdomadam quidem servant, sed eius rhythmum frangunt, proponere audeo humillime ut secundae paragrapho art. 86 sequentia adiciantur verba: « itemque hebdomadarum successionem intactam (i. e. sine ulla interruptione) relinquunt ». Proinde integer textus articuli erit: « Sacrosanctum Concilium declarat se non obstare mediis et inceptis quibus tenditur ad calendarium perpetuum in societatem civilem inducendum. Variorum autem systematum, quae ad calendarium perpetuum stabiliendum excogitata sunt, illis tantum non obstat, quae hebdomadam septem dierum servant et tutantur, itemque hebdomadarum successionem intactam (i. e. sine ulla interruptione) relinquunt ».

3 et ultimum. Quia vero in futuro novae circumstantiae, eaeque graves, Ecclesiae suadere possent, ut alicui calendario perpetuo adhaereat, quod hebdomadam quidem servet at non hebdomadarum ininterruptam successionem, opportunum videtur huiusmodi decisioni ostium non claudere.

Velint proinde venerabiles Patres Conciliares non parvi momenti quaestionem examini subiicere, utrum expediat eidem art. 86 adhuc aliquid ad hunc finem addere, v. g. verba sequentia: « Systemati vero quod hebdomadarum successionem interrumpat non est accedendum nisi aderunt causae adaequate graves, de quibus Apostolica Sedes iudicium feret et adhibitis cautelis ne adoptio huiusmodi calendarii causa profundioris divisionis evadat inter Catholicam Ecclesiam et communitates Christianas ab Apostolica Sede separatas ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest.

5

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres et Fratres omnes carissimi,

De cultu sacrarum imaginum optima iam sunt dicta in hac aula die sabbati. Nunc breviter et cum humilitate propono rem concretam.[1]

Addendum ad cap. VIII schematis de Liturgia vel ubi aptius sit:

De veneratione sacrarum imaginum in ecclesiis, doctrina Ecclesiae patet ex definitionibus Conciliorum Nicaeni II et Tridentini (D. 302-304, 986-988), necnon ex damnatione errorum Synodi Pistoriensis de hac re, in Constitutione Pii VI *Auctorem fidei* (D. 1569-1572). Pius autem XII, fel. rec., in Litteris Encyclicis *Mediator Dei* lamentatur aliquorum nostri temporis « cogitandi agendique rationem... multiplices illos restituere eniti errores (Pistoriensium) quos Ecclesia iure meritoque reprobavit », atque edicit: « is ex recto aberrat itinere, qui sacras imagines ac statuas e templis prohibeat »; et tandem cultum Sanctorum data opera in eadem Encyclica inculcans, idem Pius XII asserit: « Ut autem nostri quoque sensus salubriter excitentur, vult Ecclesia nostris in templis Sanctorum caelitum imagines proponantur, semper tamen eadem ratione permota, ut nempe quorum colimus imagines virtutes imitemur » (*A.A.S.*, 39 [1947], 546, 581-583, 590-591).

Quae cum ita sint, vere dolendum est id quod videmus fieri his postremis annis. Etenim in non paucis ecclesiis et oratoriis, quae exstruuntur in usum sive omnium fidelium, sive catholicorum alumnorum alumnarumve, sive ipsorum religiosorum et religiosarum, nulla prorsus venerationi proponitur imago Christi Domini eiusque Sanctissimi Cordis, nec Beatissimae Virginis Mariae, neque alicuius Sancti.

Abstineo a disserendo de origine huius falsae doctrinae et praxis, de eius pessimis effectibus, de inanitate rationum quibus inniti conatur, de magna utilitate et genuinae pietatis fructibus, quos e Sacrarum imaginum cultu fideles obtinent.

Solummodo nunc humiliter exopto, ad tantum malum praecavendum, ut, in loco qui competenti commissioni magis aptus videatur, sequentia vel similia addantur verba: « Haec Sancta Synodus iterum perniciosam doctrinam damnat quae docet, non oportere venerationi fidelium proponere imagines Domini Nostri Iesu Christi, Beatissimae semper Virginis Mariae et Sanctorum in sacris aedibus quibus Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur. Contra vero, Sacrosanctum hoc

Concilium optat et commendat ut in cathedralibus, paroecialibus aliisque ecclesiis, necnon in oratoriis sive publicis sive privatis, et quantum fieri possit in ipso maiore altari vel iuxta illud, meliore quo videatur modo, imagines ostendantur nobiles Domini Nostri Iesu Christi eiusve Sacratissimi Cordis, Beatissimae Virginis Mariae et aliorum Sanctorum, eorum saltem qui singularum ecclesiarum titulares vel Patroni habeantur ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

6

Exc.mus P. D. IOSEPH MARLING
Episcopus Civitatis Jeffersoniensis

Venerabiles Fratres,

Me excusate, quod rem attingam iam disceptatam, sed duo tantum momenta requirunt verba mea. Nihil mirum quod quisque suum proprium Sanctum provectum esse vult. Quapropter, meo iudicio, firmanda est in n. 84 regula ad seligendos Sanctos, quorum festum in universa Ecclesia celebrandum sit.

Hanc ut unam normam propono: [1] « In calendario Ecclesiae universalis locum habeant *festa* [2] eorum Sanctorum qui officiali auctoritate agniti sunt ut apostoli, seu principales promotores maiorum et universalium devotionum, quae momentum habent in Ecclesia ». *Ita assignaretur festum universale illustrissimo fautori* [3] devotionis erga Sanctissimum Sacramentum, Petro Eymard, quando in catalogo Sanctorum adscriptus erit. *Exemplum mihi fas sit adducere etiam S. Gasparis.* [4]

Summus Pontifex Ioannes XXIII in epistola apostolica *Inde a primis* dicit devotionem erga Pretiosissimum Sanguinem, una cum cultibus erga Ss. Nomen et Ss. Cor Iesu pertinere ad illas pietatis formas quae in universa Ecclesia « omnino praecipue aestimantur et ad sanctimoniam assequendam aptiores ». In eodem loco declarat S. Gasparem, e clero Romano sacerdotem, cultus Pretiosissimi Sanguinis fautorem extitisse admirabilem (*A.A.S.*, 52, p. 545).

S. Gaspar *novem ante annos* [5] inter Sanctos relatus est, sed eius festum nondum ad universam Ecclesiam pertinet; quod me impellit ut additionem supra dictam in n. 84 enixe commendem. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] In n. 84 norma proponitur ad seligendos Sanctos quorum festivitas in universa Ecclesia celebranda sit. Mihi persuasum est eam

firmandam esse quibusdam exemplis et declarationibus; inter quae proponere intendo: [2] festivitates. [3] Huius causae exemplum mihi fas sit adducere clarissimi promotoris. [4] Nominatione dignus est etiam S. Gaspar del Buffalo. [5] anno 1954.

7

Exc.mus P. D. ANTONIUS BARANIAK
Archiepiscopus Posnaniensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres Conciliares,

Loquar de calendario recognoscendo et de die certa diei dominicae Paschatis assignanda. Cum tamen iam plura hodie de hac re optime dicta sint, praesertim ab em.mo card. Feltin, sermo meus abbreviabitur.

Unus ex Patribus formulam exposuit; breviter aliam solutionem proponam quoad calendarium. Quae magis placuerit et plura vota favorabilia retulerit, illa, ut speramus, Organisationi Nationum Unitarum proponetur.

Praetermissa igitur introductione, ad propositionem meam simpliciter deveniam.[1]

Nostris...[2] temporibus praesertim, homines ordinem stabilem expetunt, quam ob rem — inter tentamina plurimorum — conatus sum etiam calendarium perpetuum conficere quo huiusmodi ordo statueretur, adimpletio officiorum religionis facilior redderetur atque festa ita disponerentur, ut vita humana cum cursu naturae aptius conveniret.

Proinde calendarium perpetuum opinioni venerabilium Patrum Concilii submisse proponere audeo, spem fovens propositiones nostras etiam apud fratres orientales assensum et favorem inventurum iri.

Propositio constitutionis Concilii Oecumenici Vaticani II relate ad calendarium reformandum:

1. Secundum Vaticanum Concilium Oecumenicum statuit introducere novam divisionem temporis in usitato per totum fere orbem calendario solari — si O.N.U. (l'Organizzazione delle Nazioni Unite) admittet — per maiorem partem suffragiorum — stabilita in Concilio principia — iuxta necessitates cultus religiosi.

2. Ecclesia Catholica proponit, et ad O.N.U. mittit tamquam sua sequentia statuta quoad reformationem calendarii:

— Introducere divisionem anni solaris in 13 aequales menses, quorum unusquisque 28 dies numeret.

— Statuere dies dominicales 1, 8, 15, 22 cuiuscumque mensis.

— Reliquum diem et diem accrescentem in anno bissextili adnectere diei 15 augusti, ita ut constituat simul sic dictam « Dominicam lon-

gam ", et sic efformatum spatium temporis signare: " 15 augusti ", " 15 augusti bis ", respective " 15 augusti ter ".

— Novi mensis nomen statuere: " Mensis Pacificus " (mensis pacis) et collocare in medio anni post mensem iunium.

— Stabilem diem festi Paschatis assignare diei 8 aprilis, Nativitatis vero diei 22 decembris.

Dies 1 ianuarii, tamquam initium anni civilis, manet immutata.

— Ne per istas mutationes confusio oriatur, novum calendarium introducendum esset iam die 22 decembris anni 1963, qua die eveniet simul dies dominica et solstitium hiemale, ita ut erit in posterum in novo calendario.

Secundum Vaticanum Concilium decernit propositum illud quam primum Nationibus Unitis mittere ut examini subiciatur.

Amplas et minutas explanationes hac de re litteris consignatas exc.mo secretario Concilii tradidi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Neminem latet quam difficilis sit quaestio de Calendario (de quo est sermo in schemate constitutionis *de sacra Liturgia,* pag. 192, cap. V, « De Calendario recognoscendo »), et quot conatus usque adhuc suscepti sint ad id reformandum, eo consilio ut perfecta congruentia hac de re haberetur inter leges ecclesiasticas et civiles omnisque confusio in cultu divino vitaretur. Etenim, ubi deest certus, definitus et stabilis ordo, confusio habetur; quod contingere videmus in sacra Liturgia, id est in Missali et Breviario, eo quod dies festorum Ecclesiae et dominicarum persaepe mutantur. Quam ob rem, ii qui in rebus liturgicis operam dant saepe nesciunt quid agant propter occurrentia et concurrentia festa, ferias secundae, tertiae et quartae classis hisque similia. Ex hoc necessitas oritur Calendarium certum et stabile efficiendi diemque Paschatis immutabili diei assignandi. Ecclesia magnum momentum huius quaestionis, scilicet reformationis Calendarii liturgici et civilis olim agnoscens, difficultatibus et confusioni huiusmodi consulere studuit reformatione Gregoriana; quae quidem optima censenda non est, propter nimiam varietatem, ordinem incertum et instabilem, quae ex diversa mensium duratione oriuntur. [2] autem.

8

Exc.mus P. D. SEBASTIANUS SOARES DE RESENDE
Episcopus Beirensis

Em.me Praeses, praeclarissimi Patres, percarissimi Observatores,

Vere pauca dicam de n. 81 coniunctim cum n. 84 huius cap. V et etiam de paragrapho II eiusdem cap. V.

1. De nn. 81 et 84. Doctrina est de fide, quod Iesus Christus Dominus noster verus et unicus Redemptor et Salvator mundi est. Ergo,

in anno liturgico renovando, adhuc maiorem vel totalem debemus praevalentiam dare « Proprio de Tempore » super « Proprium de Sanctis », scl. per totum annum liturgicum Officium divinum et Missa de tempore habeantur. Attamen in unoquoque die Officium proprium et Missa propria sint, sicut nunc accidit in tempore quadragesimali, in quo, in omnibus diebus, Officium et Missa cum oratione, Epistola et Evangelio propriis tenentur et non, ut hodie fit v. g. in tempore post Pentecosten in quo, semper et valde monotone, in feriis, Missa de Dominica transacta repetitur. In hac praevalentia autem Proprii de Tempore super Proprium de Sanctis exceptiones fiant relate ad aliqua festa, quae tamen in calendario retineri deberent.

Exceptiones sunt sequentes: [1]

a) Festa Domini Nostri, quae mediate vel immediate mysterium Christi sunt.

b) Festa Beatae Mariae Virginis et S. Ioseph qui partem habuerunt in mysterio unionis hypostaticae.

c) Festa Sanctorum Apostolorum super quos mysterium Ecclesiae constitutum est a Christo.

d) Festa principaliorum Sanctorum, quorum nomina in Canone Missae referuntur quia ab initio Ecclesiae venerati sunt.

e) Festa Sanctorum principaliorum Patronorum loci, fundatorum Ordinis et Congregationis religiosae et Sanctorum evidentiorum in Nationibus. Attamen talia festa non pro Ecclesia universali essent, sed tantum pro illis locis, Congregationibus et Ordinibus et Nationibus.

Reliqui autem Sancti in Missa tantum commemorentur et in Officio praeter commemorationem contracta inter lectiones habeatur.

2. *De paragrapho II.* Praeter ea quae in hac paragrapho dicuntur de calendario ut sic, postulo quod de calendario liturgico aliqua addantur.

Imprimis mihi liceat declarare quod quae statim refero absque ullo praeiudicio assero. In novo codice rubricarum, iuxta Acta Apostolicae Sedis n. 52, anno 1960, calendarium dioecesanum et calendarium religiosum adhibentur in Missae celebratione, sicut antea. Attamen in rubrica n. 283 *b,* affirmatur quod « in ecclesiis et oratoriis cleri dioecesani quae religiosis commissa sunt ... etsi sint paroecialia » calendarium religiosum adhibeatur. Loquitur ergo non de Officio divino, sed tantum de Missa dicenda. Fortasse talis dispositio optima est in territorio Europae, ubi maior pars paroeciarum vel omnes clero dioecesano traditae sunt. In regionibus autem Missionum, in quibus fere omnes paroeciae religiosis commissae sunt, certo certius non convenit. Nam, praeter alia inconvenientia, formationem et consolidationem verae structurae liturgicae et spiritualis dioecesium impedit vel saltem difficiliores reddit. In multis

diebus et per magnum territorium dioecesanum quaedam festa calendarii dioecesani non celebrantur, quia a festis calendarii religiosi impedita sunt.

Ergo secundum aliam rubricam, n. 275 eiusdem codicis supra citati, quae sic sonat: « In ecclesia ... quilibet sacerdos, tam dioecesanus quam religiosus, celebrare tenetur iuxta calendarium ipsius ecclesiae », et in illis circumstantiis, nuper descriptis, hoc revera mirabile fit: sacerdotes dioecesani, activitati pastorali per totam dioecesim dediti, sive pro Actione Catholica sive pro praedicatione verbi Dei et ceteris, in ecclesiis suae ipsorum dioecesis Missam celebrantes, calendarium religiosum sequi debent. Adhuc mirabilius esset quod in his casibus ipse episcopus, in iisdem ecclesiis, non suum sed alienum calendarium adhibere debuisset, saltem quia ibi Missalia propria non haberet.

Omnibus his bene perpensis, duo vobis propono, Patres Conciliares:

a) In dioecesibus Missionum, ubi maior pars ecclesiarum paroeciarum, dioecesi omnino pertinentium, religiosis commissa est saltem parochus et omnes sacerdotes ecclesiae paroeciali extranei calendarium dioecesanum quoad Missae celebrationem adhibeant.

b) Hoc vobis moderate proposui, sed fortasse audacter et audacius aliud proponere poteram; scl. confectionem calendarii unici pro universali Ecclesia, tam pro clero dioecesano quam pro religioso, et omnibus ecclesiis publicis et semipublicis. Et certissime unitas haec calendarii liturgici in celebratione Missae adhibendi signum unitatis Ecclesiae adhuc efficacius esset quam usus linguae latinae. Et iam dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

9

Exc.mus P. D. IOSEPH KHOURY
Archiepiscopus Tyrensis Maronitarum

Em.me Praeses, venerabiles Patres et carissimi Observatores,

Sit mihi venia tria proponendi circa cap. V, de anno liturgico.

1. *De die liturgico et dominico.* In hoc cap. V tractatur de anno liturgico in genere (sub n. 79), et de die dominico (sub n. 80) et mirum videtur quod nulla mentio fit de die liturgico. Attamen haec quaestio diei liturgici est magni momenti tam in seipsa quam ut principium solutionis aliquarum difficultatum disciplinarium et liturgicarum.

Traditionalis praxis est tam in Occidente quam in Oriente, computare diem a Vesperis ad Vesperas, et non videtur ratio cur ab hac computatione nuper recessum est, in detrimentum rei adhuc communis per totam Ecclesiam. Ex una parte enim structura liturgicae celebrationis, praesertim Officii divini, eam supponit, et sociales consuetudines cum ea intime connectuntur. Ex alia parte si haec ...[1] computatio admittitur ut norma disciplinaris, via aperitur ad solvendas ...[2] praecipuas difficultates quae obstant plenae observationi praecepti Missae dominicalis et abstinentiae in Vigiliis festorum.

Difficultates abstinentiae patent, pro omnibus qui ministerium exercent, propter consuetudines populares[3] in Vigilia Natalis et Paschatis et Sanctorum Patronorum; *quae*[4] difficultates solvuntur si abstinentia incipit et cessat ad vesperas ...[5]

Quoad Dominicam vero, nemo ignorat difficultates quas patitur Ecclesia ad obtinendam plenam observationem praecepti dominicalis, inter quas recenseri possunt:

In regionibus christianis: numerus insufficiens sacerdotum et increscens fidelium; angustia locorum cultus aut illorum dispersio; impossibilitas aliquando cessandi a labore immo et necessitas se dedicandi iustae et completae vacationi.

In regionibus autem non christianis: necessitas laborandi die dominico et vacandi die vacationis officialis qui est sextus aut septimus hebdomadae, ut advenit apud Mohametanos et Iudaeos.

Hae difficultates solvuntur, saltem ex parte, admittendo regulam liturgicam ut regulam disciplinarem, praesertim post renovationem antiquae praxis Missae vespertinae.

Hoc proposito, ad solvendam difficultatem ex necessitate laborandi die dominico in regionibus non christianis, et vacandi alio die, nonne vident Patres, ut plures putant, posse dari Ordinario facultatem indicandi aliquem diem suppletorium in hebdomada, praesertim sextum in memoria Passionis Domini, ita ut possit praecepto satisfacere, qui in dominica impeditus est.

Hoc modo: fidelibus patebit diem dominicum esse ad urgendam non ad finiendam obligationem; sacerdotum possibilitates in implendo hoc ministerio reddentur maiora, faciliora et fructuosiora; et occasio praebebitur valde opportuna ad dirigendas preces fidelium, in spiritu missionario vero, ad illos qui convivunt cum eis et sunt fratres etiam in fide Patris Abrahae.

2. Ad n. 83: *De ieiunio et abstinentia tempore Quadragesimae.* Immemorabili traditione viget in Ecclesia praxis immo et peculiare praeceptum *de ieiunio quadragesimali*[6] a ieiunio Christi Domini deducta;

quae apud fratres Orthodoxos manet sacra et immutata;et similis ...[7] praxis *consideratur* [8] apud Mahometanos ex ipsius fidei fundamentis.

Haec praxis enervata est paulatim primo reductionibus, *secundo* [9] dispensationibus, non sine detrimento traditionis, disciplinae et pietatatis, ...[10] praesertim in orientalibus regionibus. Nonne putant Patres illam *posse in honorem denuo restitui?* [11]

Difficultates solverentur non delendo sed explanando, scl.:

insistendo simul in causis excusantibus ut sunt labor, aegritudo, status, etc., et in suppletionibus veris ut sunt preces, eleemosynae, paenitentiae;

vel etiam, si opus sit, declarando ieiunium, globatim sumptum, uti gravem obligationem, non autem pro unaquaque die, *aut pro* [12] minima manducatione;

restaurando denique, tempore Quadragesimae, duas dies abstinentiae: quartam scl. et sextam, ad peculiarem paenitentiam inducendam *in hoc tempore sancto illudque distinguendum a ceteris anni temporibus.*[13]

Et sic: reditur ad sanam sacramque traditionem, quae revera est in bono et animae et corporis; salvatur etiam pretiosa communio cum fratribus acatholicis et Mahometanis; et cessat scandalum, ut ita dicam, declarandi gravem obligationem ieiunii unius diei et tollendi omnia unica dispensatione indiscriminatim data.

3. Ad n. 85: *De sacro festo Paschatis.* Valde opportuna videtur commendatio proposita a Sacro Concilio ad assignandum festum Paschatis certae dominicae, sed tamen insufficiens, data magna exspectatione christianorum, catholicorum simul et acatholicorum, immo et omnium hominum. Unde duo videntur proponenda:

1. Ut Concilium instruatur, si id fieri potest, a competente Dicasterio Sanctae Sedis, de aliquo « statu quaestionis », de iis quae iam dicta aut facta sunt cum fratribus acatholicis, aut in instantiis internationalibus, et de difficultatibus obstantibus in hac re tanti momenti.

2. Ut deinde tractationes instruantur quam primum, commendante Sacro Concilio, cum fratribus separatis per medium v. g. secretariatus unionis, ita ut, Deo adiuvante, ad bonum finem deducantur, ante exitum Concilii, quod magnum gaudium foret pro omnibus christianis, quibus talis quaestio est maximi momenti ad manifestandam unionem, saltem hoc modo inchoatam.

His dictis, sequentes proponuntur emendationes:

Ad [14] n. 79 et 80 addatur: « Dies liturgicus a Vesperis ad Vesperas computatur, ut in traditionali praxi, et proinde praeceptum dominicale impleri potest iam a Vesperis dominicae. Extenditur autem facultas satis-

faciendi praecepto ad alium diem suppletorium ...[15] maxime sextum, ad nutum Ordinarii loci ».

Ad n. 83, sic *dicatur*:[16] « Ieiunium quadragesimale et abstinentia duarum saltem dierum in hebdomada hoc sacro tempore restaurantur, consideratione habita causarum excusantium et gravi obligatione urgente non pro unaquaque die sed pro maiore parte totius quadragesimae ».

Ad n. 85, *addatur*: « *Sacrum Concilium commendat,*[17] optando ut tractationes statim incipiant ad finiendam rem, si id fieri potest, ante eius felicem exitum ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] liturgica. [2] duas. [3] Omnibus qui ministerium exercent, difficultates abstinentiae patent. [4] illae autem. [5] quin inutiliter et inane contradicantur consuetudines populares ab ipsis celebrationibus liturgicis deductae. [6] ieiunii quadragesimalis. [7] quoque. [8] habetur. [9] et postea. [10] nec sine scandalo praedictorum fratrum. [11] in honorem denuo restaurandam esse? [12] nec. [13] in hac sacra periodo illamque distinguendam a ceteris anni partibus. [14] inter. [15] in hebdomada. [16] dici potest. [17] addi potest post verbum « commendat »:

10

EXC.MUS P. D. VICTOR REED
Episcopus Oklahomensis et Tulsensis

Venerabiles Patres Concilii,

In cap. V, de anno liturgico instaurando, pag. 191, art. 81, legimus: « Fidelium animi dirigantur ad dies festos Domini... » et reliqua.

Relate ad hunc articulum tria velim proponere:

1. Ut maior varietas textuum Scripturarum adhibeatur in Missis de dominicis et in Missis ferialibus.

2. Ut formulentur Missae feriales pro omnibus diebus anni praeter festa primae et secundae classis, nec non Missae particulares pro diebus in quibus Missa vel de dominicis vel de festo actualiter repetitur.

3. Ut formulentur Missae votivae indolis magis determinatae.

Quoad primum punctum: Proprium de tempore actu impeditur ne ampliorem scientiam de dictis et actis Salvatoris nostri populo impertiat, tum ob multitudinem festorum de Sanctis, tum ob frequentem repetitionem Missarum de dominicis in diebus ferialibus.

De multitudine festorum Sanctorum in calendario Ecclesiae universalis nunc vigente, multi iam locuti sunt. Solum hoc velim addere, nempe spero retineri in calendario universali tantummodo illa festa Sanctorum

quae significationem vere universalem sibi vindicant; nec non in calendariis regionalibus, illa festa quae particularibus historicis ac devotionalibus rationibus gaudent.

Porro, deficientibus ulterioribus textibus ad instructionem populi de vita Christi aptis, saepe repetimus textus ex Missa de dominica tum durante tempore Adventus, tum aliis temporibus anni liturgici. Exempli gratia: hebdomada elapsa, Missam de domnica ter vel quater repetivimus.

Item, Missa in festo Epiphaniae Domini generatim repetitur sine mutatione per dies festum sequentes, exceptis festo de Sanctissima Familia et nuper in Commemoratione Baptismi Christi.

Quoad punctum secundum: hoc est, ut formulentur Missae feriales pro omnibus diebus anni, praeter festa primae et secundae classis, nec non Missae particulares pro diebus in quibus Missa vel de dominicis, vel de festo actualiter repetitur. Talibus Missis formulatis, maiore cum claritate durante anno liturgico, exemplum perfectum Christi Domini per verba S. Scripturae elucescens videre poterimus, et maiorem varietatem textuum ut fontem homiliarum ad populum instruendum adipiscemus.

Quoad punctum tertium, hoc est: ut formulentur Missae votivae indolis magis determinatae, velim dicere quod quaedam occasiones, quae frequentius in particularibus regionibus locum habent, videntur requirere Missas votivas istis occasionibus magis specifice accommodatas: exempli gratia: Missa votiva de Sancto Spiritu late adhibetur in America Septemtrionali ad instaurandos et annos scholasticos, et conventus dioecesanos ac provinciales et alios conventus tum sacerdotum, tum laicorum. Hac de causa, mihi videtur, quod non solum una Missa de Sancto Spiritu, sed plures, talibus occasionibus specifice accommodatae, haberi debent.

Experientia mea sacerdotalis triginta trium annorum in eadem dioecesi fere totaliter de cura pastorali animarum acta est. Velim dicere quod populi de mea dioecesi, cum enthusiasmo recentes reformationes liturgicas acceperunt. Non solum opus est eis maioris participationis liturgicae in Missis et Sacramentis, sed etiam hanc participationem maxime exoptant quia, profundius his in diebus educati, quaerunt pleniorem intellectionem et aestimationem divitiarum et pulchritudinis sacrae Liturgiae.

Meo submisso iudicio, per ampliorem usum linguae vernaculae et maiorem applicationem Scripturarum in sacra Liturgia, hic finis efficacius obtinebitur. Dixi.

11

EXC.MUS P. D. CYRILLUS ZOHRABIAN
Episcopus tit. Acilisenus

Em.mi, exc.mi Fratres carissimi,

Permittatur mihi quaedam faciliora intellectu adiicere iam a duobus exc.mis Fratribus dicta: Calendarium perpetuum; Systema 12 mensium cum hebdomade 7 dierum. Utilitas adoptionis calendarii perpetui *pro calendario gregoriano*: [1] 4 vel 5 annos ante, clarissimus Terragni Ioseph, Italicae Reipublicae christianissimus senator, per manus meas litteris ad Summum Pontificem Pium XII latis, breviter exponebat utilitates practicas calendarii perpetui. Sanctus Pater respondit Sedem Apostolicam esse paratam adoptandi hanc disciplinam statim ac nationes inter se consentierint.

Nobilis autem ille vir thesim suam exposuit in sessione diei 16 octobris anni 1961 plaudentibus publicis legatoribus coetus. « Hoc problema », ait, « non est novum. Primo quidem, anno 1910 ad mercatorum coetum internationalem propositum fuit. Anno autem 1923 Societas Nationum Genevae invitavit viros competentes ut singuli exponerent suas sententias. Numero 185 fuere solutiones exhibitae. Porro studia subsecuta sunt usque ad annum 1937 in quo Societas Nationum elegit duas solutiones, h. e., quae dividit annum in 13 menses et World Calendar Association Americae Provinciarum Foederatarum quae in 12 menses dividit. Nationes uno ore acceperunt solutionem Americae Associationis.

« Perscriptio huius systematis est simplicissima », ait nobilissimus senator. « Annus dividitur in 4 trimestres, h. e., in 91 dies. Singuli autem trimestres simillimis characteribus pollent: Primus mensis singulorum trimestrium componitur 31 diebus, h. e., 5 dominicis et 26 servilibus diebus. Hi menses sunt: ianuarius, aprilis, iulius et october, quorum primus dies cadit semper die dominico. Primus dies aprilis, qui cadet semper die dominico, naturaliter designabitur pro solemnitate Paschae. Secundus autem et tertius menses componuntur 30 diebus, h. e., 4 dominicis et 26 servilibus.

Sed et maximi momenti innovationis factum consistit in eo quod singulus anni dies respondet semper eidem hebdomadis diei, v. g. 4us dies mensis octobris respondet semper feriae IV primae hebdomadae, in quo Sancta Mater Ecclesia *Catholica* [2] agit festum Seraphici Patris nostri Francisci.

« Diximus vero — prosequitur idem christianissimus senator — annum constare quater 91 i. e. 364 diebus; e contra annus solaris componitur 365 diebus. 365us dies vocabitur: 31 mensis decembris, absque denominatione hebdomadali. Similiter in anno bissextili dies excedens vocabitur: dies 31 iunii absque denominatione hebdomadali ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] contra Calendarium Gregorianum. [2] deest.

12

Exc.mus P. D. ANTONIUS JANNUCCI
Episcopus Pinnensis-Piscariensis

Venerabiles Patres,

Duo mihi dicenda sunt circa annum liturgicum.

1. *De Adventu et tempore Natalicio.* Dum mysterium Paschale, praesertim per instauratos ritus Maioris Hebdomadae, in liturgia vividius clarescit, idem factum nondum est de ineffabili mysterio Nativitatis Domini.

Nam, character temporis Quadragesimalis, nempe baptismalis et poenitentialis, speciatim per paradigma liturgicum, quotidie diversum in Sacrificio Eucharistico et in Officio divino ...[1] de die in diem clarius exprimitur.

Tempus iucundae spei, e contra, in quo exspectamus adventum magni Dei, paupertate et, ut ita dicam, avaritia liturgica signatur.

a) Imprimis tempus Adventus, poenitentia simul ac gaudio magno informatum, amplius alendum esse videtur dulcedine Scripturarum, quae de Messia sunt.

Proinde ex thesauro Messianico Prophetarum, hauriendum proponitur paradigma Missae et Officii, diversum pro unaquaque feria Adventus, vel saltem pro feriis, nunc secundae classis, ultimi octidui ante Nativitatem. Tempus Adventus ita exstructum logice festum S. Thomae Ap. in aptiorem diem, praesertim temporis Paschalis, transferendum requirit.

b) Festa peculiaria, quae valde obnubilant liturgiam octavae Nativitatis, idest festa S. Stephani Prot., S. Ioannis Ev., S. Thomae Ep. et M., S. Sylvestri Pp., commode transferri possunt ad dies post Kalendas ianuarii.

Nexum speciale, enim, horum festorum cum Nativitate Iesu percipere non valemus.

Festum vero Sanctorum Innocentium transferri debet post festum Epiphaniae. Sinamus, enim, Iesum prius a Magis ardentissime adorari, antequam luctuosum crimen simul ac mirabile praeconium Innocentium recolamus.

Octava Nativitatis, ita liberata, donetur liturgia quotidiana propria, textibus depromptis praecipue ex Sacris Scriptis mysterium Verbi Incarnati, praesertim infantiae, spectantibus.

c) In octava Epiphaniae, sive instauranda sive non, opportune celebrari possunt facta praeclara infantiae, adolescentiae et iuventutis Iesu.

Illic congruenter collocanda videntur festa S. Nazarethanae Familiae, fugae in Aegyptum et reditus, Sanctorum Innocentium, Iesu in templo inventi, Iesu opificis et tandem commemoratio eius Baptismatis.

Cyclum Natalicium ita exaratum profectui animarum impensius prodesse existimo.

2. *De tempore liturgico regni Dei.* Optandum festa de regno Dei, quae iam quotannis celebrantur in secunda parte mensis octobris et in prima parte novembris, sed, ut ita dicam, membris seiunctis, melius ordinari et exprimi possint, ne regnum Christi in celebratione liturgica divisum appareat.

Evangelium Christi, Evangelium regni Dei dicendum est: sermones, parabolae, miracula Iesu ad regnum Dei annunciandum et introducendum in mundum praecipue tendunt.

Regnum Dei in terra evolvitur et in caelum perficitur; internum quidem in animis hominum est, sed simul externum et sociale.

Regnum Dei Ecclesia vera est in identitate plena cum Corpore Christi Mystico, in illa triplice amplitudine gloriae, emendationis Purgatorii et, strictiori modo, militiae terrestris.

Haec omnia in Litteris Encyclicis *Mystici Corporis,* diei 29 iunii, anni 1943, explanata sunt, ac, seposita quacumque incertitudine, in posterum tuto tenenda ac docenda sunt.

Utile videretur, ergo, regnum Dei, seu Ecclesia Christi vera, seu Corpus Christi Mysticum, post auctoritativam enucleationem a laudatis litteris Encyclicis peractam, suam habeant liturgicam celebrationem, ea quae sequitur organica structura adhibita.

In dominica penultima octobris dies pro missionibus, i. e. dilatationis regni, ubique terrarum iam fervide celebratur, sed apta liturgia in Missa et Officio huius diei desideratur.

Tempus liturgicum de regno Dei, ita inceptum, prosequitur ultima dominica octobris per festum Iesu Christi Regis, et inde per festum, opportune transferendum a die 31 maii ad diem 31 octobris B.M.V. Regi-

nae; iterum per celebrationem prima et secunda novembri, Ecclesiae triumphantis et Ecclesiae purgationis; et tandem per festum, nona novembri, Dedicationis illius Ecclesiae, quae, cum sit Mater Urbis et Orbis, est simul signum illius principalitatis, cui omnem oportet convenire Ecclesiam.

Bene attendendum totam liturgiam Dedicationis et, synthetice, hanc Orationem ad Postcommunionem: « ... ut quod Ecclesiae tuae corporalibus proficit spatiis spiritualibus amplificetur augmentis... » etsi vago modo, recolere velle vitalitatem Ecclesiae Catholicae militantis.

Aptanda, ergo, videtur liturgia Dedicationis tali explicita forma, ut tota Ecclesia Catholica militiae terrestris, in qua Christus per fidem et caritatem habitat, vel ipsa die nona *novembris,*[2] vel dominica proxime sequenti, festum suum praeclarum celebret, vires excultas, praesertim Actionis Catholicae, hac occasione roboret et, idoneis mediis, fideles ad meliora suadeat, ita ut sacramentum absconditum in Deo per Ecclesiam magis ac magis in mundo innotescat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] adhibitum. [2] deest.

13

Exc.mus P. D. RUSSELL IOSEPH McVINNEY
Episcopus Providentiensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres Concilii,

Indulgentiam vestram impetrans, pauca verba dicere velim de duabus partibus cap. V, id est de artt. 82 et 83, pag. 191, et specifice, de art. 83, « Praxis poenitentialis Quadragesimae opportune instituenda », in lin. 35 eiusdem paginae et in linn. 1-2 paginae sequentis.

Hoc loco sic legitur: « Instauretur, proinde, iuxta nostrae aetatis et diversarum regionum possibilitates necnon fidelium conditiones, opportuna praxis poenitentialis ». Haec ultima verba « opportuna praxis poenitentialis », meo iudicio, nimis ambigua sunt. Optabilius videretur nominatim indicare quasdam praxes poenitentiales, verbi gratia ieiunium sicuti a iure canonico statutum est, vel saltem nonnulla exercitia spiritualia frequentius peragenda.

Etiam sublineari debet quod *totum* tempus Quadragesimale veram praeparationem ad tempus Paschale constituit.

Ieiunium Paschale, sicut exponitur in lineis sequentibus quae specifice nominant Feriam VI in morte Domini et Sabbatum Sanctum, falsae

interpretationi subiacere posset ac si hoc ieiunium tantummodo ad hos dies restringeretur.

Quae in his duabus paragraphis statuuntur valde laudanda sunt, et profundus eorum valor ab omnibus serio ponderari debet. Bene demonstrant obligationem, sacerdotibus et populo impendentem, tum rationes poenitentiarum quadragesimalium penitus intelligendi tum has poenitentias rite implendi.

Peccatum ab uno membro Corporis Christi Mystici commissum non est tantum delictum personale, sed etiam sociale. Vix cogitari potest peccatum quod societati malum non infert. Societas ergo, et praecise noster *coetus* catholicus, perducendus est ad plenam agnitionem mali peccati, et quidem, non tantum respectu sanctificationis personalis, sed etiam respectu communitatis cuius membrum est. Ex hoc oritur necessitas reparationis ex parte peccatoris tum qua individuum est, tum qua membrum societatis vel communitatis particularis.

Mihi ergo videtur omnino urgendum ut in animis fidelium ingeramus necessitatem poenitentiam agendi in reparatione pro peccatis personalibus et pro peccatis societatis. Hoc maximi momenti esse videtur his diebus quando necessitas poenitentiae reparatricis saepe parvipenditur. Notari potest in dies crescens tendentia ad vitam mollem et debilitatam ducendam. Populus continuo postulat relaxationes illarum disciplinarum quae ex observantia stricta maiorum nostrorum magis strenuorum sacrae factae sunt. Etiam nos episcopi, paterna sollicitudine permoti, a lege ieiunii et abstinentiae dispensamus, minima intercedente causa, et hoc modo ad propagationem doctrinae de vita otiosa et commodis plena inviti conferimus.

Ne obliviscamur mandati Sacrae Scripturae: « Regnum caelorum vim patitur et violenti rapiunt illud ». Fides populi nostri minime roboratur si exercitium fidei facilius redditur: sicut musculi corporis, ita etiam « musculi » spiritus non indulgentia, sed exercitio firmantur. Respicite et videte ubi fides fortis invenitur et ibi invenietis persuasionem, in anima profunde radicatam, de necessitate poenitentiae reparatricis. E converso, ubi florescunt luxus et mollities vitae, ibi fides moribunda est. Solummodo oratione ieiunioque eiicitur illud genus daemonum qui impetum hodie faciunt in mundum nostrum. Ne obliviscamur effectus quem exercet in mundo « il Poverello ». Nostra aetas opus habet alterius (Sancti) Francisci. Haec nostra aetas certior reddi debet quod caelum ad fortes pertinet. « Per aspera ad astra ». Dixi.

14

Exc.mus P. D. LAURENTIUS BERECIARTUA BALERDI
Episcopus Seguntinus-Guadalajarensis

Em.mi, exc.mi et rev.mi Patres,

Propositum erat mihi animadversiones quasdam proponere de nn. 81 et 84; omittam quae a duobus Patribus Conciliaribus hodie de his numeris exposita sunt et de ipsis tantum dicam et quidem brevissime illa concreta quae non audistis.[1]

Sincere et firmiter adprobo n. 81, in pag. 191, schematis de sacra Liturgia.

Nemo est, qui non videat facta et mysteria Christi principatum et potiores partes in cultu obtinere. Optimum igitur duco ut Concilium Vaticanum II fidelium animos dirigat in primis ad « Proprium de Tempore » et in n. 84 intendat excogitare medium ne in posterum festa Sanctorum festis ipsa mysteria salutis recolentibus praevaleant.

Sed opus Concilii in hoc schemate est pastorale, ita ut sacra Liturgia ducat sacerdotes et fideles ad pietatem alendam.

Nunc, vero, venerabiles Patres, omnes conscii sunt in statu hodiernae Liturgiae Romanae saepissime evenire, *ut nuper dixerunt,*[2] ut in hebdomada percurrantur, pluries repetita lectione, eadem quae in Missa dominicali lecta et meditatione pervoluta et explicatione fidelibus exposita fuere. Eruntne alieni a tentatione taedii sacerdotes? Fas est ut fidelium pietas exinde augeat fervorem spiritus?

Quibus accedit factum hodiernum quod magno gaudio est sacerdotibus, scilicet crescit in dies numerus fidelium qui quotidie Missae adsistunt, sacra Eucharistia reficiuntur et meditationi se devovent. Praeferunt pro meditatione Sacram Scripturam quae in missali *exsurgat.*[3] A pluribus audivi desiderium, ut novae partes Sacrae Scripturae introducantur et cessent repetitiones eiusdem Epistulae aut Evangelii.

Adde pro sacerdotibus quod nonnumquam eadem fragmenta bis in die legantur: et in Missa et in Officio. Quod quidem plane vitandum videtur.

Pauperior, exilis, exigua videtur praelaudatis sacerdotibus et fidelibus Liturgia temporis Adventus et Nativitatis, si cum relativa copia temporis Quadragesimalis comparetur.

Igitur, ne animae plurimorum fidelium cibo copiosiore priventur, qui eis facile suppeti potest, et ut simul pietati sacerdotum provideatur, vestrae considerationi sequentem *propositionem submitto.*

Liturgia « proprii de Tempore » ditior fiat, confectis pro diebus ferialibus Temporis Adventus, Nativitatis et Epiphaniae, Septuagesimae et Paschatis, immo pro hebdomadis per annum, formulariis propriis Missarum. Ad hoc prae oculis habeantur Lectionaria et Missalia plurium regionum a saeculo septimo ad saeculum decimum septimum quae pericopas proprias exhibent pro feriis IV, VI et etiam pro sabbato. Restituatur forsitan aliquo modo, usus qui viguit in Ecclesia Romana usque ad tempus Gregorii Magni, legendi nempe, lectione continua, iuxta ordinem canonis, omnes epistolas Beati Pauli. Nunc etiam tali lectione continua etiam Evangelia et reliqui libri N. T. comprehendi videntur.

Ita proprium de Tempore melius aptabitur pietati et eruditioni populi christiani. In fidelibus sensum et aestimationem verbi Dei accendet. Meminisse etiam debemus Missale esse unicum accessum plurimis fidelibus, quotidie Missae adstantibus, ad S. Scripturas. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] exsurgit.

15

EXC.MUS P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

Em.me Praeses et venerandi Patres,

Mihi liceat Sacrosanctae Synodo haec vota subsequentia proponere.

1. *Vota episcoporum in Vietnam.* Varia festa christiana in annum liturgicum (de quo in cap. V) introducta sunt ad substituenda festa profana et quidem in antiquo imperio Romano, v. gr. festum Purificationis Beatae Mariae Virginis, Litaniae Maiores, *et, etiam, dies primus maii, festum S. Ioseph opificis.*[1]

Cum Concilii finis sit pastoralis, ut multoties declaravit Summus Pontifex, optandum est ut, in Missionum locis, Conferentiis episcopalibus concedatur facultas, assentiente Sancta Sede, festa liturgica introducendi quibus sanctificentur quaedam solemniora festa civilia, ut in Extremo Oriente sunt festa anni novi civilis, festa medii autumni, initii messium...

Ratio est quia ista festa iam ab immemorabili tempore in populorum mores iam transierunt nec in se nullum erroris germen continent licet possint esse occasio superstitiosarum caeremoniarum.

Omnino deceret ut ista festa per actum liturgicum proprium, chri-

stianum aspectum induant, eo fine ut fideles sese avertentes a participatione *cum parentibus* [2] superstitionum paganarum, disponantur ad omnia principaliora vitae momenta Deo consecranda et sanctificanda.

Immo talia festa liturgica fratribus *nostris* [3] nondum ad fidem conversis clare demonstrabunt quod fideles mores paternos minime despicientes et abiicientes, eos ad actum superiorem cultus etiam elevent.

2. N. 84: *De festis Sanctorum.* Cum in plagis Extremi Orientis numerus morientium pro Christi fide sit amplus, quorum pars ab Ecclesia in altaris honorem iam exaltati sunt, attamen, praeter martyres Iaponenses iam canonizatos, alii sunt tantum beatificati: hi Beati globatim duobus vel tribus festis liturgicis, in variis nationibus, per indultum Apostolicum quotannis venerantur. Consultius nobis videtur quod dioeceses vel regiones in quibus hi *martyres* [4] martyrium subierunt, episcoporum iudicio, per festa liturgica propria, eorum dies natales celebrare possint.

Ratio est quia devotio erga martyres concives intensior evadet maximeque iuvabit ut fideles antenatorum exemplis magis incitati, ad eorum virtutum exempla facilius trahantur, maxime amoris erga inimicos, constantiae, fidelitatis erga sedem Petri, praesertim hodiernis temporibus cum materialismus totum orbem crudeliter pervadit persecutionesque religiosae sub diversis nominibus atque formis effervescunt.

Nunc *mihi liceat venire* [5] ad vota mea personalia:

I. De n. 83: de lege *poenitentiali in tempore Quadragesimali.* [6]

Lex poenitentiae nobis omnibus incumbit quia omnes homines praeter B.M.V. in peccatis concepti, originali propria congerentes, peccatores coram Deo constituti sumus, ut ait Apostolus ad Romanos. *Proinde omnes* [7] poenitentia indigemus. Hanc legem Christus ipse iam a Prophetis praedicatam fortiter renovavit dicendo: « Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum » (*Mt.* 4, 17).

Idem fecerunt Apostoli, Patres, Summi Pontifices, praesertim noster Pater communis feliciter regnans, in ultima Encyclica de poenitentia. Sed, proh dolor!, nostris temporibus permulti de poenitentia loqui non audent aut timide mentionem transeunter faciunt; lex enim « minoris conatus » in eorum mentes irruptionem facit legemque poenitentiae magis ac magis enervat. Peropportunum videtur, ut in catechesi pueris et iuvenibus tradenda, necnon in instructione seminaristis facienda, clare ac sine timore super *hanc legem poenitentiae* [8] insistendum sit.

Praeterea homo est etiam membrum societatis: cuiusque peccata non tantum sibi sed et aliis obsunt sicut et *quodcumque* [9] bonum opus socialiter prodest; ideoque quisque non solum pro se sed et pro aliis poenitentiam agere debet: quod bene commemoratur in schemate huius numeri, lin. 34. Haec indoles poenitentialis socialis non tantum actus poe-

nitentiales Quadragesimae sed et totius vitae afficere debet sicut et alii actus liturgici, *v. gr. satisfactio Missae festivae.*[10]

Proinde audeo proponere ut in hoc numero, lin. 32 post verba « indoles poenitentialis » addantur: « omnis temporis praesertim Quadragesimae ».

Praeterea lex ieiunii in multis locis iamiam evanescere videtur: in vita enim multorum iam non amplius observatur sive ob privilegia, ...[11] sive ob duriores vitae actualis conditiones. Nonne necessarium erit ut retento ieiunio feriis IV Cinerum et VI in morte Domini, pro iis, qui hanc legem observare non possunt, per aliam formam substituatur, puta per abstinentiam a potibus alcoholicis, per oblationem suorum laborum *Deo faciendam, ut commendavit Summus Pontifex,*[12] et alia huiusmodi. Sic servabitur et mens poenitentiae et consulitur vitae conditionibus.

II. *De festis,* n. 84. In locis Missionum magnam penuriam sacerdotum esse constat. Saepe saepius diebus festis missionarii, etiam binando vel trinando, non possunt visitare stationes sibi commissas et fideles praesertim neo-conversi, magna consolatione assistendi Missae festivae privati, non parva tristitia afficiuntur.

Proponere auderem ut facultas fiat Ordinariis horum locorum suis missionariis permittere — in casibus particularibus ac bene determinatis, pro bono fidelium cum aliter provideri non possit — translationem festorum solemniorum Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes et Assumptionis B. M. V., in alios dies sive praecedentes sive subsequentes, et tantum pro Missa.

Ratio est, quia fideles, in hoc casu, suam orbationem minus sentientes, tandem aliquando possibilitate celebrandae festivitatis gaudentes, maiores gratias mysterio convenientes recipient.

III. De cap. VI: *De sacra supellectile.* Ad mentem schematis propositi audeo proponere commutationem aut suppressionem quarundam vestium quae nec decorem augere nec utilitatem afferre cultui videntur: ut puta manipulus, amictus sicut et in Missa solemni porrectio patenae vacuae a subdiacono sustentata.

Item utinam vestes usuales praelatorum, ob simplicitatis et paupertatis evangelicae amorem, ad formam simpliciorem ...[13] reducantur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] etc. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] venio. [6] poenitentiae. [7] et. [8] eam. [9] deest. [10] deest. [11] ut Bullam Cruciatam. [12] saepe repetitam, sicut docuit Ioannes XXIII. [13] et cum materia minus pretiosa.

16

Exc.mus P. D. LEONARDUS RAYMOND

Episcopus Allahabadensis

Venerabiles Fratres,

In primis omnino laudo spiritum horum capitum *sub discussione.*[1] Est spiritus comprehensionis et spiritus libertatis. Adest plena et proficua recognitio mundum nostrum non inspiratum esse unica cultura, sed singulae regiones et nationes suas ideas expresserunt diverso modo: arte, musica, architectura, supellectili. Maius acceptabilis est hic spiritus comprehensionis quia in hoc augusto Concilio apparuerunt signa cuiusdam reluctantiae admittere mutationes in traditionibus Ecclesiae, etsi hae mutationes contribuerent ad extensionem Ecclesiae. Non potest denegari in mentibus quorumdam exsistere *quandam*[2] difficultatem concipere condiciones aliter ac exsistunt in occidente; difficultatem, *insisto,*[3] inconsciam omnino, secus non exsisteret. Non deest maxima sympathia quae *ducit*[4] ad verum sacrificium ipsius personae et rerum, ita ut sit amor sincerus sine fuco et fallaciis.

Sed hac sympathia concessa, coexistit quaedam tendentia considerandi ecclesias iuvenes Missionum in atmosphera romantica, quasi creationes quarum origo non recte dignoscitur, quasi curiositates quae difficulter reconciliari possent cum veteris traditionibus Ecclesiae sicut exsistit per decem et novem saecula. In schemate vero admittitur necessitas utendi, pro liturgia, divitiis quae exsistunt in unaquaque natione, ita ut omnis terra laudet Dominum.

Relate ad quaestiones particulares. Ad art. 85, pag. 192: de festo Paschatis certae dominicae in calendario assignando. *Non obstante suggestione em.mi card. Feltin, timeo quod*[5] in occidente esset naturale seligere dominicam in tempore verno aut in parte posteriore mensis aprilis aut in mense maio; sed meminisse oportet conditiones quae praevalent in aliis partibus mundi. Apud nos in India septemtrionali, magnus calor incipit ordinarie immediate post diem quintam decimam aprilis, ita ut caeremoniae hebdomadae sanctae peractae sunt in temperatura 44 ad 46 graduum; etsi ventilatores electrici in *partibus*[6] aedificii sibilant, ecclesia plena multitudine christifidelium remanet fornax. Inde enixe rogo vos, Patres conciliares, in quaerenda dominica apta pro festo Paschatis ut memineritis conditiones nostras et seligeritis dominicam in prima parte aprilis quando calor apud nos est magis tolerabilis.

Ad art. 87, pag. 193. Materia sacrae supellectilis et paramentorum.

Cum in regionibus nostris *ex* [7] licentia uti gossypio loco lini pro purificatoriis et corporalibus, quia linum apud nos non potest haberi, rogo quare haec omnia non essentialia non relinquantur coetui episcoporum regionis, seligere materias prout inveniuntur in regione. Duo milia abhinc annis, audivimus Plinium *conquerentem* [8] de matronis Romanis quod vastaverunt facultates imperii Romani in emendis luxuriis, quae *omnes luxuriae* [9] fere ex India provenerunt, gemmae, byssus, vestis serica, condimenta. Hodie egemus indulto usurpandi alia materia quia in India linum non invenitur.

Similiter in can. 734, ordinatur ut oleum olivarum usurpetur in consecratione Olei in feria V in Coena Domini: cognosco episcopum in India qui expendit hoc anno 30.000 libellarum (30.000 Lire) pro oleo olivarum quod consecravit in sua cathedrali hoc anno. Impossibile est arguere *aliquod* [10] effectum debere attribui oleo olivarum quem alia olea non habent. Inde, quare hae regulae non mutantur et selectio materiae non relinqueretur ad coetum episcoporum regionis?

Ad art. 97. Optime dictum est in schemate: « In regionibus Missionum gentes inveniuntur quae propria polleant traditione musica ». Nihil appellat ad animum plus quam musica: in processu adaptationis, sic dicta, mihi videtur, musica adaptata debet esse primus gressus ad eos qui sunt extra Ecclesiam, ita ut alliciantur ad Ecclesiam. Quae obicem ponunt huic progressui omnes norunt; sicut ego, etiam alii mei fratres episcopi in Missionibus educati sumus ab occidentalibus. Inde gustus et appreciationes nostrae sunt frequenter occidentales. Ex nobis plures sunt inconscii, magnam similitudinem exsistere inter musicam indianam et cantum gregorianum; secundum peritos, etiam structura ambarum est eadem. Cognosco factum quod admissum est a peritis non christianis; explicare non possum. Una explicatio esset quod cantus gregorianus originem habet ex Graecis et quod civilizatio graeca et indiana derivarunt ex communi fonte. Ob indolem religiosam Hinduistarum, exsistit in India magnus numerus hymnorum, qui possunt cantari ad ortum solis, ad meridiem, ad vesperum. Non cognosco ullum coetum christianorum qui possidet et introduxit in suam vitam religiosam talem numerum hymnorum. Est thesaurus ex quo Ecclesia Indiana potest haurire multum; sed praeiudicia interveniunt ad prohibendum talem usum.

Fere idem dicendum est de arte sacra in cap. VIII. Pro multis in Missionibus, ars quae provenit ex ripa sinistra (rive gauche) in Parisiis aut ex Via del Babuino in Roma, est vera ars sacra; sed ars proveniens in Missione est ars pagana, ita ut non simus parati accipere ut artem authenticiter christianam quae depingit Beatam Mariam Virginem vestitam veste indiana, vulgari lingua « sari », qui certe est una ex vestibus *mode-*

stissimis [11] quam mulier umquam selegit pro se ipsa. Per multos annos inde, egebimus stimulo et auxilio Occidentalium ut magni habeamus divitias nostrarum regionum, ita ut in Missionibus crearetur ars quae est maxime digna Ecclesiae universalis, et simul contributio ex Missionibus ad catholicitatem Ecclesiae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] V, VI, VII, VIII. [2] deest. [3] dico. [4] conducit. [5] deest. [6] omni parte. [7] data est. [8] conqueri. [9] omnia. [10] aliquem. [11] elegantissimis.

17

EXC.MUS P. D. ISMAEL MARIUS CASTELLANO
Archiepiscopus Senensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

In pag. 192, sub n. 85, agitur de festo Paschatis certae dominicae assignando et hoc mihi placet; sed non mihi placet formulatio huius normae conciliaris: « Ut festum Paschatis certae dominicae in calendario gregoriano assignetur, assentientibus iis quorum intersit, praesertim fratribus separatis, Sacrosanctum Concilium commendat ». Bene scimus rationes historicas, propter quas haec dicuntur, sed quaeritur: « Cuinam Concilium commendat? Summo Pontifici vel aliis? Et si res committitur Summo Pontifici, quomodo possumus eius augustam deliberationem aliorum assensui subiicere? Forsan melius diceretur: « Studia opportune peragantur de festo Paschatis certae dominicae in calendario gregoriano assignando, auditis iis quorum intersit, praesertim fratribus separatis ».

In n. 86, eadem pagina, dicitur: « Sacrosanctum Concilium declarat se non obstare mediis et inceptis, quibus tenditur ad calendarium perpetuum in societatem civilem inducendum etc. ».

Meo humili iudicio, attentis etiam iis quae ab exc.mo Domino Bafile dicta sunt, Concilium Oecumenicum non potest dicere tantummodo « non obstat » et relinquere aliis, et quidem innominatis, rem tanti momenti. Hoc non convenit auctoritati collegii nostri apostolici, neque, hoc modo, in tuto ponuntur iura Ecclesiae circa hanc rem. Etenim, inter omnes societates, Ecclesia supremum habet interesse quoad calendarium, et — ut ex historia patet — ipsa illud in usum introduxit sicut adhuc hodie in toto mundo retinetur.

Non debemus ergo neque possumus ad alios, forsan laicismo imbutos, elaborationem omnino remittere novi calendarii fixi universalis; sed

potius commissionem instituere, ex laicis in hac re vere peritis etiam constitutam, quae opportunas propositiones Summo Pontifici, suo tempore, praebeat. Hoc modo, mihi videtur, Concilium Oecumenicum Vaticanum II summum redderet servitium universis hominibus nostri temporis, et Ecclesiae iura tecta sartaque servaret.

Cap. VII agit de sacra supellectile et cap. VIII de arte sacra. Mihi videtur melius unico capite, de arte sacra et de sacra supellectile, distinctis tamen paragraphis, utramque rem pertractari. Et ratio haec est: maior pars sacrae supellectilis arte excellit, et ideo quae dicuntur de arte sacra valent etiam, sub hoc respectu, de sacra supellectile, tamquam principia generalia. Et hoc pro praxi est magni momenti, ut patet.

In n. 87 et in n. 91 sermo redit de conferentiis episcopalibus, et facultates magni momenti eis conceduntur. Verbis iam ab aliis de hac re prolatis, haec tantummodo addere liceat: numquam sermo est de conciliis provincialibus et plenariis, quibus etiam in hac materia potestas a iure canonico agnoscitur. Conferentiae episcopales provinciales, quae ab *omnibus* episcopis alicuius provinciae ecclesiasticae constituuntur, eodem modo considerantur ac conferentiae nationales, quae *tantummodo* a cardinalibus et archiepiscopis metropolitis in aliquibus nationibus constituuntur.

Cum ergo agatur de instituendis novis organis iurisdictionis ecclesiasticae, infra Romanum Pontificem, sed supra singulos episcopos residentiales, eorum voto accedo qui postulaverunt hanc rem definiri antequam ad suffragium perveniamus de schemate sacrae Liturgiae; hoc tantum animadvertens, quod nunc facultates seu iurisdictio non datur conferentiis supra episcopos sed singulis episcopis in conferentiis coadunatis.

Quae dicuntur in n. 89, pag. 194, perspicua mihi non videntur: « Convenit ut usus pontificalium reservetur illis ecclesiasticis personis, quae aut charactere episcopali, aut peculiari aliqua iurisdictione gaudent ».

Etenim, iuxta can. 337, par. 2: « Exercere pontificalia in iure est sacras functiones peragere quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, i. e. baculum et mitram ».

Unde, quid significat « reservare episcopis usum pontificalium »? Significat reservare tantum usum baculi et mitrae, vel etiam sacras functiones quae ab episcopis cum baculo et mitra peraguntur? Desideratur ergo maior claritas.

Denique accedo voto eorum qui postulaverunt codicem liturgicum. Dixi.

18

Exc.mus P. D. PETRUS NGO-DINH-THUC
Archiepiscopus Hueensis

Venerabiles Patres,

In nomine episcoporum Vietnamiensium, sequentes animadversiones exponam quae tangunt totum schema de sacra Liturgia.

Prima animadversio. Tam multae innovationes propositae fuerunt in hoc schemate ut possit dici quod non remaneat petra super petram in toto aedificio liturgiae ritus romani.

Ut illae innovationes sint verae admeliorationes debent fundari super sanctitatem sacerdotis, secus poterunt esse nocivae: quaedam experientia specie maxime pastoralis nostri temporis facta est luctuosa, *immo luctuosissima,*[1] deficiente sanctitate et vita interiore ex parte sacerdotum, dum media classica, *immo maxime trita,*[2] ut auditio confessionum et instructio catechetica populi, facta sunt maxime pastoralia in manu S. I. B. Vianney.

Secunda animadversio. In toto schemate ut aspectus socialis, communitarius Liturgiae in maiorem claritatem exponendus sit, multi Patres rogaverunt. Nullibi inveniuntur maiores et plures manifestationes communitariae quam apud christianitatem vietnamiensem. Apud nos preces matutinae et serotinae a membris familiae recitantur per unam saltem horam sive domi sive in ecclesia. Habuimus a duobus saltem saeculis Missam communitariam, saltem in die dominica, ita ut praeparatio et gratiarum actio pro receptione eucharistica, etiam communiter fiant.

Si nos gaudemus de ista pietate communitaria, debemus tamen *constatare deficientiam aliqualem in pietate invidualí.*[3] Unde videtur aliquod aequilibrium necessarium esse inter pietatem socialem et individualem ut aliquis sit plene christianus.

Tertia animadversio. Multi Patres ritus romani tam multas proposuerunt modificationes in ritu romano, tantas facultates impetrare volunt pro conferentiis episcopalibus, ut liturgia ritus romani morum suorum populorum aptetur tam in caeremoniis quam in lingua, ita ut assistamus ad nativitatem novorum rituum.

Haec proliferatio novorum rituum, habebitne efficaciam pastoralem et missionariam? Nativitas plurium religionum nationalium utique catholicarum, forte proderit incolis unius regionis, sed aliis populis qui tantum egent missionariis ex occidente eritne proficuum?

Ritus romanus datus populis occidentis contulit unitatem directionis

in actione missionali; nam omnes ecclesiae occidentis subiciuntur patriarchae occidentis, nempe Summo Pontifici.

Unitas quidem fundata in simplicitate ritus et in lingua officiali huius ritus, nempe latina — quae lingua semper erat lingua minoritatis uti nunc est et numquam — inquam — erat lingua vulgaris in occidente, neque in ipsa Italia.

Putamus quod ad retinendam eam fecunditatem pastoralem et missionalem, permitti forte potest translatio in lingua vulgari librorum liturgicorum unius eiusdem ritus romani, cum aliquibus paucis modificationibus indispensabilibus.

Loquentes de activitate fecundissima missionali ritus romani cuius caput est Summus Pontifex cum auxilio Curiae Romanae, sine qua iurisdictio directa a iure divino tradita Summo Pontifici in nostris dioecesibus nullimode ...[4] exerceri potest; uti episcopi iurisdictio in sua dioecesi non potest ...[5] exerceri sine sacerdotibus *adiutoribus*;[6] maximam nostram gratitudinem exprimimus Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, sine qua nos episcopi, oriundi ex Asia, Australia, Africa, Madagascar et Insulis, non haberemus sedem in hac aula conciliari. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] admittere quod pietas personalis nostrae christianitatis sit aliquantum deficiens. [4] practice. [5] practice. [6] deest.

19

Exc.mus P. D. EMMANUEL LARRAÍN ERRÁZURIZ
Episcopus Talcensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres et dilectissimi Observatores,

Apud vos breviter verba faciam nomine nonnullorum episcoporum, praesertim chiliensium, in America Latina adlaborantium.

Adnotationes aliquas proponam ad cap. VI, in quo sacra consideratur supellex.

In pag. 193, lin. 9: Post « quandoque vanitas irrepsit » addatur « ita ut signa sacra interdum amiserint suam spiritualem ac evangelicam significationem ».

In eadem pagina, lin. 21: Addatur in fine « attamen semper et diserta simplicitas et evangelica sobrietas aperte serventur ».

Cupimus insuper ut a Concilio votum edatur sic conceptum: Visum est Sanctae Synodo votum edere ut omnino e sacro cultu tollantur illa ornamenta ac species externae, quae ad dignam claritatem et ad sobriam

pulchritudinem nihil conferunt, quin immo saeculi peracti vanitatem aliquomodo sapiunt, vel inopportunam magnificentiam aut etiam locupletem pompam.

Rationes plurimae sunt ad hoc suadendum; mea interest praecipuas tantum summatim vobis praebere.

Sacra supellex et ea omnia quae exterius in cultu sacro adhibentur, ad genus signorum liturgicorum reducuntur ac proinde aliquam partem habere debent in eodem sacro munere symbolico, ita ut eorum usus vere confluat ad mysterium Paschale Christi clarius manifestandum et ad homines nostrae ipsius aetatis melius manuducendos, ad invisibilia per sensibilia.

Ad hoc obtinendum nobis necessaria videtur recognitio sacrae supellectilis ad instar voti emissi. Nam:

1. Mysterium Paschale Christi, quod est totius vitae Iesu culmen, certe valde redolet vera paupertate sensibus manifesta, vera proinde etsi decora; immo Evangelium Novi Testamenti continuo paupertatem proclamat, dum fortiter ac durius agit de divitibus.

Iesus ipse, fabri filius, in synagoga Nazarethana, ut narrat Evangelista Lucas, coepit dicere concivibus suis Scripturam in ipso impletam esse quae per prophetam praedixerat: « Evangelizare pauperibus misit me ». Ceterum in tota oeconomia salutis Deus magna fecit respiciendo humilitatem electorum suorum.

Quamquam autem paupertas non est stricte virtus, post originale tamen peccatum et propter Incarnationem Verbi, est peculiaris modus constanter comitans manifestationem Dei in historia salutis, unde, de facto, homines proprius et melius vultum Dei in paupertate percipiunt ac proprius et efficacius vocem Dei in paupertate audiunt. Maximi homines in historia salutis ac maxima momenta in vita Ecclesiae paupertatis luce coronantur.

2. Cultum liturgicum pulchrum esse debere ac decorum nemo est qui neget. Genuina tamen pulchritudo nullo modo est splendor divitiarum aut splendor pompae, sed est revera, ut aiebat ille magnus Augustinus, « splendor veritatis ».

Veritas autem quae in sacra Liturgia manifestari oportet est Evangelium salutis, seu revelatio divinae caritatis, qua « sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret », qua « Verbum caro factum est », qua « cum in forma Dei esset exinanivit semetipsum formam servi accipiens », qua Deus « propter nos egenus factus est cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus ».

Dolendum est quod fascinatio nugacitatis ex parte obnubilaverit hanc sublimem veritatem et interdum fecerit ut ea quae deberent esse

media paedagogica ad investigabiles divitias Christi clare cognoscendas, sensim sine sensu magis inservirent ad humanam vanitatem fovendam.

3. Denique, signa sacra ad homines nostrae aetatis alloqui debent, ne in discrimen adducatur eorum munus significandi.

Magna vero sollicitudo nostri saeculi respicit usum socialem divitiarum, et quaerit incrementum seu progressionem nationum sic dictarum subevolutarum ac victoriam supra miseriam. Ecclesia ipsa, in nostra aetate, luget apostasiam plebis seu coetuum praesertim proletariorum.

Nunc autem munus pastorum est ut Corpus Christi Mysticum in terris sit revera, ut nuper dixit Summus Pontifex Ioannes, « Ecclesia pauperum » non voto tantum sed re, non praedicatione tantum, sed actione, in suis manifestationibus et in modo vivendi suorum ministrorum.

Est ergo in votis ut sacra supellex nec non *omnia* vestimenta ministrorum Ecclesiae melius Evangelium sapiant secundum decoram Iesu Christi paupertatem, et sic congrue concurrant ad sacra nuntianda.

Iam olim in quodam perarduo Ecclesiae tempore, egregie dictum est: « Homines per sacra mutari fas est, non sacra per homines ». Dixi.

20

Exc.mus P. D. PRIMUS GASBARRI

Episcopus tit. Thennesiensis, aux. Veliternus

Venerabiles Patres,

Ars sacra, quae supellectilem sacram, musicam sacram et artem sacram proprie dictam seu architecturam, sculpturam et picturam sacram complectitur, obnoxia est legibus quae ab exigentia fundamentali convenientiae artis ad publicum cultum derivantur. Harum vero legum primaria certo habenda est traditio veneranda, cui accedit genuinus artis progressus. Traditio consideranda videtur veluti itineris limen quod artifex aggreditur ...[1] et norma qua incedens ducitur, nam ut card. Aegidius Canisius, Viterbiensis, a. 1512, scilicet tempore quo profana et sacra saepe et multum una miscebantur, affirmabat in Concilio Lateranensi V: « Homines per sacra immutari fas est, non sacra per homines »; progressus vero *considerandus* [2] veluti instrumentum successus artificis et vox vitalitatis artis.

Iamvero, per 1600 annos post Christum natum, novae formae artis liberum in Ecclesia campum habuerunt et primum ab Ecclesia approbatione donatae sunt.

Cum Iulius II consilium iniisset de exstruenda hac S. Petro Sacra Aede quae Patres conciliares hospitaliter excipit, in Bulla diei XIX februarii a. MDXIII gravem hanc sententiam expressit: « In templo quasi in fastigio gloriae fulgere debent maiestas et nobilitas artium ». Sub medio saeculo XVI, Iacobus Barozzi a Vignola petiit et scriptas accepit a card. Alexandro Farnesio regulas quae essent considerandae pro Aede Romana Iesu sacra construenda, cuius forma in exemplar transiit renovatae architecturae.

Sed, inde a tempore illuminismi, nobis applicari potest illud Ieremiae: « Hereditas nostra versa est ad alienos » (*Thre.* 5, 2).

Ars contemporanea, quae vulgato nomine venit « Novecentismi » seu artis rationalis vel functionalis, etsi artisticas formas fini religioso consentaneas non omni ex parte usque adhuc effinxit, immo non infrequenter eidem fini potius adversam, tamen non solum arti sacrae adiumenta non spernenda offert quae sunt: cum forma neoclassica saec. XIX dissensio, aequandae formae artis rationi vitae nunc temporis instantia, sinceritatis afflatus, utilitas practica, renovandi generis artis sollicitudo, subsidia technica, sed praeclara artis monumenta exstructione et inspiratione religiosa etiam commendanda non pauca videtur expressisse.

Agitur, ut Pius XII s. m., in Litteris Encyclicis *Mediator Dei* a. 1947 datis, monet, ex una parte, de reprobandis novitatibus insanis et absurdis quas acceptas Ecclesia habere nequit (ut sunt v. g. quoad architecturam, aberrationes sic dictae « architecturae voluminum » a Le Corbusier in Gallia primum inductae; quoad picturam hermetismus « picturae metaphysicae seu abstractismi » qui feliciter in dies cedit vindicationibus figurativorum): sed ex altera parte de sapienter instituendis artificibus quos scite et apte necesse est movere ad sacras disciplinas (S. Scripturam, dogma, historiam sacram, hagiographiam et liturgiam) quae numquam non artificum inspirationem aluerunt.

Ergo, spiritu apertae intelligentiae artifices qui, signis artis, suae curant tormentum aetatis exprimere excipiendi sunt, iique erudiendi (ut ceterum a nobis flagitant ipsi) ac pro viribus adiuvandi.

Academiae et coenacula pro artificibus, quae novissimis his temporibus in Italia et in dissitis Europae et Americae regionibus instituta sunt, nec non cultores nascentis traditionis artis sacrae qui floruerunt in Sinis, in Iaponia, in insula Iava, in India et in Africa, affluentes iam fructus protulerunt. Fausta haec incepta peculiari benevolentia prosequenda sunt cum plura non videantur deesse indicia ex quibus fas sit inducere universas artes hodie Christum appellare, seu...[3] suam quaerere, gloriae concentui quem summi viri per resoluta iam saecula catholicae fidei cecinere, adiungere vocem.

His dictis liceat mihi haec pauca considerare:

1. Quoad cap. VI. Quae affirmantur in prologo cap. VI et in numeris insequentibus de traditione et progressu in re sacrae supellectilis componendis explanantur, omnino adprobanda sunt. Etenim nemo negare potest ex una parte sacrae supellectilis ornamenta aliquando inflationi cessisse et facta esse iam desueta...,[4] ex altera vero progressum artis technicae et studium simplicitatis et practicitatis, quae sunt notae propriae nostrae aetatis, non parum favere decori, utilitati, munditiei peropportunis immo necessariis in cultu externo exercendo.

2. Quoad cap. VII. Prologus huius capitis recolit laudes quibus SS. Patres atque Romani Pontifices efficaciam spiritualem sacri concentus in cultu publico extulerunt, sed mentionem relinquit sacrarum Scripturarum sive Veteris sive Novi Testamenti in quibus praeclara dicuntur quae musicam sacram concernunt et ad affirmandum inducunt musicae sacrae in cultu fundamentum divino-positivum. Quod expresse in prologo ipso iuverit denuntiare atque in sequentibus articulis prae oculis habere ut necessaria consectaria inducantur. Textus quos commemoro his reducuntur, *et praetermitto.*[5]

Quae post prologum, a n. 92 ad n. 98 inclusive, exponuntur omni ex parte probanda sunt utpote quae fideliter desumantur ex copiosis documentis Pontificiis et Sacrae Rituum Congregationis in notis plane citatis.

Affluens sane in hac materia musicorum Ecclesiae legislatio occasionem offert haud remittendam proponendi, sicut iam pro Liturgia generali pluribus visum est maxime convenire, redactionem « Codicis Iuris Musicae Sacrae », vel saltem suadendi musicae sacrae partem propriam in illo codice Sacrae Liturgiae reservari. Quod propositum non est novum, nam in Congressu Internationali Musicae Sacrae, Romae, occasione IX centenarii mortis Guidonis Aretini, mense maio anno Iubilaei 1950, enuntiatum est.

Cognitio et usus legum musicam sacram spectantium, quae sunt plurimae et usque adhuc non ordine compositae, fierent certo, subsidio codicis, expeditiores. « Instructio de Musica sacra et sacra Liturgia » a S. Rituum Congregatione a. 1958 data, cum sibi proponat « colligere » et « declarare » potiora capita, sacram Liturgiam et Musicam sacram respicentia, documentorum a Summis Pontificibus antea editorum, compositionem propositi codicis iuris musicae sacrae certo expedit.

3. *Quoad cap. VIII.* In cap. VIII normae de arte sacra traduntur rationibus aequabiliter et recte compositis quae a traditione Ecclesiae, progressu temporum et experientia peritorum descendunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (punto di partenza dell'artista). [2] deest. [3] — ut praelaudatus Pontifex in iisdem Litteris Encyclicis *Mediator Dei* advertit. [4] (anachronistici) [5] *a*) Institutiones Moysis de Musica Sacra apud Hebraeos ex positivo praecepto Domini statutae sunt (cf. Num. 10, 1 ss.; Ex. 5, 20 ss.; Lev. 23, 23 ss.; 25, 8 ss.; Num. 29, 1). *b*) Has mosaicas institutiones quam maxime ampliavit David. Ipse enim constituit quatuor milia cantorum (I Par. 25, 7; 23, 5), qui dividebantur in 24 classes (I Par. 15, 16, 22; 16, 4-42; 23, 5, 30; 25), canebant super gradum conspicuum (2 Esdr. 9, 4), coram tabernaculo (1 Par. 6, 32), stantes ad orientalem plagam altaris (2 Par. 5, 12). Textus canendi erant psalmi, cantica et hymni, quae secundum peculiares indicationes varie canebantur (cf. Vigouroux, *Dict. de la Bible,* II, col. 557). Habetur descriptio sollemnis ritus choralis occasione translationis Arcae sub Davide (1 Par. 15, 16 ss.; 16, 4 ss.), et sub Salomone (2 Par. 5, 12 ss.; 7, 6), qui instituta davidica musicae renovavit et auxit (2 Par. 8, 12 ss.). *c*) Quae institutiones restitutae fuerunt sub Iosaphat (2 Par. 20, 19, 21), sub Ioiada (2 Par. 23, 18), sub Ezechia (2 Par. 29, 25-30), sub Iosia (2 Par. 35, 15), sub Nehemia (2 Esdr. 12, 44 ss.; 1 Esdr. 3, 10). *d*) In ipsis psalmis permultae adsunt exhortationes ad Deum cantu et musica glorificandum (Ps. 80, 2-5; 91, 2-4; 149, 1-3; 150, 3-5). *e*) Quae quidem musicae institutiones Veteris Testamenti etiam in Novo Testamento receptae fuerunt (Lc. 24, 53) ac in ipsa Coena novissima Domini servatae (Mt. 26, 30) et in agape eucharistica (Act. 2, 46 ss.). *f*) Notae sunt ad Musicam Sacram exhortationes S. Pauli (1 Cor. 14, 25; Eph. 5, 19; Col. 3, 16; Act. 16, 25) et S. Iacobi (Iac. 5, 13: « psallat » scil. Cantica laudis: v. Commentaria).

21

Exc.mus P. D. PAULUS GOUYON

Episcopus Baionensis

Venerabiles Patres,

Loqui in ultimo loco res difficilis et periculosa. Omnibus Fratribus meis hic praesentibus peto quod petivit latro poenitens: indulgentiam et fortasse absolutionem.[1]

Dum de sacra supellectili in cap. VI pertractatur, pag. 193, schema nostrum merito ad id intendit ut cultus Deo tribuendus dignitate et magnificentia excellatur.

Sub hoc respectu sane confitendum est, quod nihil satis pulchrum erit ut religionem hominis erga Deum creatorem et salvatorem in exercitio cultus adaequate exprimere possit; propter quod et ipsa Sancta Mater Ecclesia semper curavit, ut cultus divinus cum decore perficeretur.

Attamen, cum Concilium hoc Vaticanum II necessitatibus ministerii pastoralis in primis respondere voluerit, quaestio de sacra supellectile consideranda est sub alio respectu, qui, secundum meam sen-

tentiam, in textu schematis non sufficienter exprimitur, et ideo accuratius examinandus est.

Quapropter optarem vobis, venerabiles Patres, anxietatem meam pastoralem humiliter manifestare, eo magis quod eadem anxietas a pluribus inter vos, ut scio, plene condividitur.

Quaestio ergo sic ponitur: numquid adest grave periculum ne nimis sumptuositas in supellectili et in paramentis liturgicis occasio sit mirationis populi et etiam scandali, apud eos qui nostras caeremonias respiciunt?

Olim quidem, solummodo Christi fideles ad ecclesias nostras accedebant. Pompa liturgica simplicem populum Dei habitualiter laetificabat. Quamquam et iam illo tempore murmurationes discretae sed clarae interdum audirentur, ut verbi gratia, ex testimonio S. Bernardi videtur. Quomodo possunt pastores, ita dicebatur, conciliare divitias quae splendent in ecclesiis, in supellectili et in paramentis liturgicis, cum illa paupertate evangelica, quae a Christo Domino tamquam fons beatitudinis proclamata est, ab ipso integre observata est, quippe qui in paupertate maxima nasci voluit, sicut pauper vixit, et nudus in Cruce expiravit.

In nostris autem temporibus, et de hoc saepe testimonium audivimus, haec murmuratio eo magis crescit et dilatatur, quo per artem cinematographicam et televisivam caeremoniae religionis nostrae ab omnibus, etiam infidelibus, perspici possunt, sive in aulis televisioni destinatis, sive in cauponis, sive in domibus privatis. Hic est unicus aspectus Ecclesiae, quem tot homines generationis nostrae detegere et intueri possunt. In illo autem aspectu Christum Dominum minime recognoscunt...[2] Tunc accidit quod pompa illa liturgica quasi testimonium fidei nostrae plane contrarium efficitur et scandalum constituit pro iis qui veritatem quaerunt dum effectus oppositus obtineretur, et corda religioni submitterentur, et via ad unitatem omnium christianorum aperiretur, si modus agendi in exercitio cultus nostri simplicior et modestior exhiberetur.

Etiam in supellectile sacra, etiam in modo adimplendi caeremonias nostras, apparere deberet signum paupertatis, quod omnes a nobis exspectant. Non debemus videri ut principes, sed ut pastores; non ut domini, sed ut servi regni, cuius adventus equidem in hoc significatur quod « pauperes evangelizantur ».

Propterea humiliter hoc proponere auderem:

1. Exceptione facta rerum magni momenti historici, tollatur a supellectile sacra quidquid cultui non necessarium videtur.

2. In rebus sacris conficiendis, utatur materia digna quidem, sed semper modici valoris, salvo necessario decore cultus.

3. Tollatur in caeremoniis quidquid maiestatem et vanitatem huma-

nam magis recolit quam extremam paupertatem quae in Bethleem apparuit; tollantur praesertim ornamenta superflua, sicut illud quod vocatur « cappa magna » aut pallia pro caeremoniis adhibenda, vel etiam omne genus supellectilis quod nimis immenso pretio acquirendum est.

Conclusio. Ad calcem art. 87 huius cap. VI, propono ut sequentia verba addantur: « Attamen supprimatur quidquid in supellectile sacra et in paramentis liturgicis ut nimis pretiosum appareret, et inde contrarium esset testimonio quod Ecclesia in persona episcoporum et sacerdotum paupertati reddere debet coram universo mundo hodierno, ad manifestandum, sine macula et sine ruga, verum vultum Domini Iesu Christi »...[3] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Multi putant nos esse ex illis coetibus socialibus a quibus ipsi abhorrescunt. [3] Haec tria capita multa continent quae non sunt tanti momenti ut a Concilio Oecumenico tractentur. Caput de Musica Sacra longius est quam caput de Missa; hoc non decet. Propono contractionem cap. VII et cap. VIII in unum, paucis principiis solummodo retentis, scil.: *a*) n. 92: participatio fidelium nunquam excludenda; *b*) *ceteris paribus,* cantus gregorianus est praeferendus; *c*) n. 97: musica sacra in missionibus; *d*) n. 99: omnem stylum artis Ecclesia admittit; opera artis fidei et pietati contraria arceantur.

Praeses: Reponatur Sanctum Evangelium.

Secretarius generalis: Proxima congregatio generalis: crastina, hora nona.

CONGREGATIO GENERALIS XVIII

13 novembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XVIII

13 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Praesidet hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis.

De mandato consilii praesidentiae rogantur vehementer Patres, velint orationes suas coercere tantummodo ad proponendas emendationes. Iidem Patres rogantur ut, ad normam Ordinis Concilii Oecumenici celebrandi, velint in petitione loquendi exhibere summam rerum dicendarum, summam sat amplam. Et secretaria erit gratissima Patribus si non solum summam exhibeant, sed etiam ipsum textum, qui est legendus. Petitiones, quae non continent summam, acceptari non possunt.

Nunc nomina Patrum, qui loqui postulaverunt circa ultima capita constitutionis de sacra Liturgia: exc.mi Domini Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis in Gallia; Aloisius Alonso, arch. Sionensis, vicarius Castrensis in Hispania; Antonius Fustella, ep. Tudertinus in Italia; Caesarius D'Amato, ep. tit. Sebastenus; Aloisius Almarcha, ep. Legionensis in Hispania; Petrus Zilianti, abb. nullius Montis Oliveti Maioris; Ioseph Soetemans, abb. generalis Canonicorum Regularium Lateranensium; Henricus Golland Trindade, arch. Botucatuensis in Brasilia; Casimirus Kowalski, ep. Culmensis in Polonia; Paulus Taguchi, ep. Osakensis in Iaponia; Franciscus Jop, ep. tit. Dauliensis in Polonia; Petrus Canisius van Lierde, sacrista et vic. gen. Suae Sanctitatis; Villelmus Kempf, ep. Limburgensis in Germania; Andreas Sapelak, ep. tit. Sebastopolitanus in Argentina; Paulus Seitz, ep. Kontumensis in Vietnam; Hermannus Volk, ep. Moguntinus in Germania; Edmundus Nowicki, ep. coad. Gedanensis in Polonia; Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifatii in Canada; Ioseph Cheng, ep. Kaohsiungensis in Sinis; Michaël Miranda, arch. Mexicanus; Ioseph Lopez Ortiz, ep. Tudensis in Hispania; Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis in Germania; Godefridus Dayez, sup. gen. Congregationis Benedictinae Belgicae; Marcus McGrath, ep. aux. Panamensis; Emmanuel Fernandez, ep. Cordubensis in Hispania; Alexander Olalia, ep. Lipensis in Insulis Philippinis; Paulus Gúrpide, ep. Flaviobrigensis in Hispania; Herculanus Van der Burgt, ep. Pontianakensis in Indonesia; Mauritius Roy, arch. Quebecensis in Canada;

Henricus Jenny, ep. aux. Cameracensis in Gallia; Ioseph Zaffonato, arch. Utinensis in Italia; Ioseph Malula, ep. aux. Leopoldpolitanus in Congo; Conradus de Vito, ep. Lucknovensis in India; Eduardus Martinez, ep. Zamorensis in Hispania; Franciscus Jachym, arch. coad. Vindobonensis in Austria; Ceslaus Sipovič, ep. visitator Bielorussorum in Exilio; Carolus Buswell, ep. Pueblensis in Stat. Foed. Amer. Sept.; Herbertus Bednorz, coad. Katovicensis in Polonia; Laurentius Trevor Picachy, ep. Jamshedpurensis in India; Ioannes Prou, sup. gen. Congr. Gallicae Ordinis S. Benedicti; Vincentius Radicioni, ep. Montis Alti in Italia; Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico; Carolus Saboia Bandeira, ep. Palmensis in Brasilia; Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia; Mauritius Rigaud, ep. Apamiensis in Gallia; Aemilius De Smedt, ep. Brugensis in Belgio.

1

EXC.MUS P. D. IOSEPH URTASUN
Archiepiscopus Avenionensis

Venerabiles Patres,

Proponi possunt duae adiunctiones n. 89, in pag. 194, huius schematis: Usus pontificalium.

Prima propositio. Missa pontificalis simplicior reddatur. Ratio: fideles saepissime et forte alii fratres in Domino optaverunt ut ritus Missae pontificalis sit simplicior, quia manent adhuc in Caeremoniali Episcoporum (*loquor: in libro liturgico*)[1] multa quae ex aulico more procedunt. Retineatur quod praebet gloriam Dei et illustrat ministerium verbi ac functionem pontificis, Christi ministri, sed minuantur honores externi in prima parte Missae pontificalis.

Secunda propositio. Episcopi habeant ius, pro opportunitate, celebrandi Missam cantatam ritu minus solemni. Ratio: nos, episcopi, saepe paroecias visitamus, cum solo presbytero comite, praesertim diebus dominicis. Dolendum est quod, his in casibus, nobis non permittatur Missa in cantu at Missa lecta minus apta ad participationem actuosam et festivam cum episcopo celebrante; ita, etiam, aliquando in caeremoniis communitatum religiosarum.

Incitamentum pastorale valet certe pro Missionum regionibus, quod iam concessum est, sed in multis aliis dioecesibus universi orbis.

Est desiderium plurium Galliae sacrorum antistitum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

2

EXC.MUS P. D. ALOISIUS ALONSO MUÑOYERRO
Archiepiscopus tit. Sionensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres Conciliares,

In hoc schemate, cap. VIII, n. 104, aliqua habeo dicenda *et quidem de nova iconoclasia vel iconophobia. Et quoniam de hac re sum dicturus, invoco S. Ioannem Damascenum.*

Attendens et oboediens verbis praesidentiae, manifesto meam intentionem substituendi aliquam phrasim, quae est in hoc numero, relate ad imagines Sanctorum et hanc substituendi aliis verbis, de quibus postea faciam mentionem. Sed quia in omni sententia decisio ultima debet praecedi rationibus in iure et in facto, ego ita faciam, nisus auctoritate Pii Pp. XII et Pontificis f. r. Ioannis XXIII. Animum etenim meum occupat, et credo quod animum omnium nostrum debet occupare et forte occupabit, mos qui, istis temporibus, irrepsit nova templa sine imaginibus exstruendi, ita ut, salva intentione, possemus dicere nos in novam iconoclasiam incidisse. In templis novis exsulant fere omnes imagines, fortasse excepta imagine B. Mariae Virginis; haec admittitur aliquando, sed in loco secundario vel valde humili, ita ut illa, Regina mundi, velut hospes videatur in domo Filii sui. S. Ioseph neque hunc quidem honorem habet: ipse potest dicere, accommodando verba, quod non est ei locus in diversorio.[1]

Hoc systema in variis regionibus Europae exsistit; etiam serpit in Hispania et, trans oceanum (*iam die sabbato audivimus*),[2] in aliquas nationes hispano-americanas transiit.

Hos sectatores huius sententiae nos debemus avertere a via sua non recta.[3] Nulla ratio eis suffragatur, ne quidem quam desumunt ex excessu imaginum vel ex earum defectibus. Etenim mala inde provenientia remedium habent in diligentia Ordinariorum in his defectibus corrigendis, ut Sacra Congregatio Sancti Officii per Instructionem 30 iunii 1952 mandavit.

Addunt etiam sectatores huius tendentiae *vel iconoclasiae*[4] quod ars sacra moderna non permittit imagines in templis. Responsio clara est: si ita esset ars moderna, non esset consentanea religioni catholicae, *ideoque reiicienda esset.*[5] At credo quod esset apta, si quaedam falsa spiritualitas non obstaret. Aliqui enim abutuntur Liturgia dicendo: nihil in templo esse debet quod adorationem Iesu Christi impediat. Quaero: imagines impediunt? Hoc tantum dici potest ignorando historiam et

theologiam: ignorant fortasse Concilium Nicaenum ...,[6] in quo iconoclastae damnati sunt; Tridentinum, ubi doctrina traditionalis iterum stabilita est; professionem fidei Pii IV, quam nos ipsi initio huius Concilii professi sumus; et tandem *aliquosdam* [7] canones Iuris Canonici. Quibus documentis Ecclesia catholica *semper docuit* [8] quod imagines Beatae Mariae Virginis et Sanctorum potius sunt adiumenta pietatis et fidei, quatenus Sancti sunt fructus sanctitatis Christi, nostri intercessores apud Deum, virtutum exemplaria. Ergo ducunt ad Iesum.

Ergo cultus, in ecclesiis, illis tribuendus est, cum moderamine quod expediat, et systema, quod doctrinae catholicae et praxi tot saeculorum contradicit, delendum est.

Effectus praeterea huius erroris infensissimi sunt, venerabiles Fratres: devotio in Sanctos paulatim amittetur, etiam in familiis et individuis, *sicuti iam accidit;*[9] cultus exterior notabiliter minuetur, fides detrimentum patietur, etc. Multa dicere possim, sed omitto.

Quaero de remedio. Hoc autem remedium in schemate non invenitur, quia indicitur utique recognitio seu revisio canonum qui inter alia spectant ad « imaginum... convenientiam », quod quidem potius viam *parare videtur* [10] errori liturgico donec locum habeat imperata revisio.

Unde haec verba vel deleri vel substitui vel explicari debent, *mea opinione.*[11] Interest autem ut, sine mora, episcopi totius orbis nunc *in hoc Concilio* [12] suam oppositionem manifestent huic hodiernae iconoclasiae, et sibi proponant unquam approbationem concedere templis sub hoc influxu constructis. Vestrum est decidere. Sed decidite, obsecro, postquam legeritis et perlegeritis quae dixit Pontifex noster Ioannes XXIII, anno praeterito, Congressui de arte sacra, verbis quibus optimam defensionem fecit de imaginibus Sanctorum (*L'Osservatore Romano,* die 30 oct. 1961).

In illo quidem Congressu, erat sermo de arte sacra et de spiritualitate. Videtur accidere, quia non legi nisi relationem quam attulit ephemerides nostra hispanica quae titulatur « Ecclesia » et a multis fortasse hic cognoscitur, videbatur quod de imaginibus Sanctorum nihil locutum fuisse, quasi ipsae nullum influxum haberent in spiritualitate. Et Pontifex noster, quando eos accepit in audientia, sumens occasionem ex imaginibus quae erant in aula audientiae, ipse fecit optimam dissertationem circa hanc materiam. Ego rogo vos ut legatis, fortasse iam legistis, nunc haec verba priusquam decidatis. Ipse enim praecise exponit quantam vim habeant imagines Sanctorum ad formandum hominem in sua vocatione christiana, quantum inserviant ut levent animum christianorum praecise ad Iesum Christum Dominum nostrum. In memoria etiam habete

verba Pii XII, qui in Enc. Mediator Dei *habet haec verba. Declarat extra viam rectam qui sacras imagines ac statuas e templis prohibeat eiusque non rectam rationem reprobat. Est verbum ipsius.*[13]

Quibus omnibus perpensis, humiliter propono quod in prima paragrapho huius n. 104 fiat suppressio phrasis quae ad imagines refertur et addatur alia paragraphus his vel similibus verbis concepta: « Ad imagines B. Mariae Virginis et Sanctorum quod spectat, haec Sancta Synodus decernit:

1. Revisio decretorum et canonum, *de quibus antea,*[14] fiat circa numerum, decorationem, ordinem imaginum, ita ut numerus non nimis multiplicetur, aut sint illae abnormes vel locum indebitum occupent cum detrimento cultus Iesu Christi Domini nostri.

2. Interea Ordinarii defectus qui irrepserint in illarum usum corrigant iuxta canones vigentes et instructionem *de qua antea dixi.*[15]

3. Invigilent ne mos modernisticus praevaleat auferendi imagines a cultu sub praetextu Liturgiae, prout aliqui volunt, magis sectantes suum sensum circa " artem " quam theologiam et pietatem et verum sensum Ecclesiae ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] de imaginibus Sanctorum. Et quoniam de nova iconoclasia vel iconofobia sum dicturus, invoco S. Ioannem Damascenum. Mos etenim, hisce temporibus, irrepsit nova templa sine imaginibus extruendi, ita ut, salva intentione, in novam iconoclasiam inciderimus: in templis novis, quae exterius ab aedificiis proximis vix distinguuntur, et ideo exterius hominibus non loquuntur de Deo (ut semper et ubique accidit de quacumque religione agatur), interius imaginibus carent, etiam Sacratissimi Cordis Iesu, Via Crucis exulat, et aliquando aqua benedicta. Crux frequenter sine Iesu Crucifixo, eaque in formis raris, quae nullatenus ad pietatem movent, exhibetur, et interdum a tecto ecclesiae suspenditur. Imago B. M. Virginis admittitur, sed in loco secundario et humili, ita ut illa, Regina mundi, velut hospes videatur in domo Filii sui. S. Ioseph neque hunc honorem habet: ipse potest dicere, accommodando verba: « non est mihi locus in diversorio ». [2] deest. [3] Hos ergo necesse est, Patres, a sua via non recta avertere. [4] deest. [5] deest. [6] II (787). [7] deest. [8] docet. [9] deest. [10] parat huic. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] S. O. 30 iun. 1952.

3

Exc.mus P. D. ANTONIUS FUSTELLA

Episcopus Tudertinus

Quoad cap. VII, n. 92 cum notula 4, in pp. 196 et 198, vellem proponere votum.

Valde optatur ut quae ibi proponuntur, actuosa nempe fidelium participatio in cantu Missarum sollemnium, etiam a nobis episcopis in Concilio collectis serventur.

Ideo vellem humiliter petere ut in Missis, quae hic in Concilio, utpote in proximo Immaculatae Conceptionis festo et in fausto die Oecumenici Concilii feliciter acti, canentur, saltem *Credo* et *Sanctus,* non a schola cantorum, uti in Missa de Spiritu Sancto initio Concilii, sed ab omnibus Patribus Conciliaribus una voce canantur. Satis!

4

Exc.mus P. D. CAESARIUS D'AMATO

Episcopus tit. Sebastenus in Cilicia, abbas nullius S. Pauli de Urbe

Venerabiles Patres,

Pauca proferam circa cantum populi in Ecclesia. Discrimen adest inter cantum popularem *religiosum,* de quo agitur in par. 96, et cantum popularem *liturgicum,* cui innuunt nn. 91, 92, 93, 94.

1. Cantus popularis liturgicus dignitate praeest, quia natura sua destinatur Liturgiae solemni ut patet ex historia musicae et ex scriptis liturgistarum. Hic cantus, populo destinatus, de facto a scholis cantorum usurpatus est. Populo restituatur et quidem lingua latina, cum cantu gregoriano, prout proponitur in n. 91 huius schematis, *in hoc sensu perficiendum.*[1]

2. Cantus popularis religiosus, e contra, lingua vernacula et musica regionis exaratus, ad Liturgiam non solemnem et ad pia exercitia destinatur...[2]

Sed primo loco de canticis gregorianis lingua latina disseram, qui, ut reor, adhuc pro fidelibus totius mundi apti sunt, quibusque in actionibus maxime liturgicis princeps locus competit.

Liceat mihi recolere pluries audivisse ab alumnis indigenis quos habui, dum docebam in Pontificio Instituto Musicae Sacrae Urbis, populos

Asiae et Africae plurimum gaudere de cantu gregoriano quem viciniorem sentiunt peculiari indoli musicali suorum populorum, forsitan quia antiqua traditione praeclari sunt.

Hic cantus liturgicus ad normam schematis omnino servandus est, non solum ne pereat thesaurus inaestimabilis, sed ut aedificetur plebs Dei.

Certo certius adlaborandum est. Sed hic opus, hic labor!

Patres aliqui conciliares insuper a me quaesierunt utrum melodiis gregorianis verba linguarum vernacularum subiici possint loco antiquioris textus latini. Desiderium exsurgit ut melodiae admodum venerabiles et dignitati christiani cultus aptissimae serventur, ubi lingua latina non possunt proferri, et insuper ad obviandam carentiam bonorum canticorum lingua vulgari et musica moderna compositorum.

Responsionem tantum technicam profero. Haec aptatio impossibilis est quia rhythmus melodiae gregorianae tam arcte verbis latinis ligatur, vel, ut profundius rem aperiam, melodia ex ipso nativo verborum rhythmo ita exurgit, ut servari isto modo nullatenus possit. Profecto, nemo nostrum vellet ut monumentum artis architectonicae in suis lineis, ab artifice conceptis, mutetur. Ne ergo monumenta viva et dynamica artis musicae liceat a fundamentis subvertere.

Et venio ad cantica popularia lingua vernacula. De his diserte *et abunde* [3] par. 96.

Adhiberi possunt non tantum in piis exercitiis, sed, *notate,*[4] ad normam rubricarum etiam in actionibus liturgicis, utique non solemnibus...[5] Ne, quaeso, in deteriori sensu sumantur verba quae leguntur in paragrapho, ut nempe cantus populares faciles sint et modulatione simplices.

Simplices modulationes nobilissima arte possunt refulgere. Dicant musici quam sit arduum componere limpidas melodias, sed pulchras et iucundas mentibus, auribus, cordibus. De facto, non multae habentur vere nobiles, et quae passim vulgantur, non raro, miserrimae sunt, *sicut iste « Christus vincit », quod quotidie canitur in Concilio.*[6]

Faxit Deus ut non desint musici qui apte nova cantica componere valeant. Sciant praesules, tam antiquarum quam recentium Ecclesiarum, seligere ex antiquo patrimonio suae gentis melodias quibus vestiantur textus christiani.

Oportet interea, *habeatis me excusatum,*[7] ut episcopi non parvipendant opus musicorum in Ecclesia, et diligenter promoveant studia musicae sacrae, ac musicos ipsos foveant ne claudantur ora canentium Deum.

Demum votum profero. In Kyriali gregoriano officiali decem et septem « ordinarii » habentur pro Missa cantata...[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Non est hic locus ut musicae popularis historia recolatur, neque ut ipsius momentum extollatur. [3] deest. [4] deest. [5] ad normam n. 91. [6] deest. [7] deest. [8] Ex praxi scio paucos tantum ex his posse ab universo populo decantari. Plurimae melodiae in codicibus dormiunt. Quantum scio, saltem 250 *Kyrie* inediti sunt, 50 *Gloria,* innumerabiles fere *Sanctus.* Seligantur ex tam ingenti thesauro melodiae aptiores ac populis dentur vel restituantur. Profecto multi, gratias agentes Deo, gaudebunt.

Animadversiones additae:

Quin vocem in aula petam, propono ut usus stolae amplificetur pro sacerdotibus et diaconis, maxime autem pro episcopis. Ad praesens, extra sacrificium et administrationem Sacramentorum et sacramentalium, stola videtur indicari iurisdictio actualis episcoporum in sua dioecesi et parochi in sua paroecia. Hoc mihi videtur absonum. Stola enim indicat praecipue gradum hierarchici ordinis, non actualis iurisdictio. Ut dicitur n. 88 schematis de sacra Liturgia, vestis « ministrorum gradibus conveniat ». Stola semper induebantur antiquis temporibus sacri administri. Stola nunc vestiuntur omnes sacerdotes et diaconi in Missa vespertina in Coena Domini. Stola ornatus, videmus, quotidie incedit Sanctissimus Papa noster Ioannes XXIII.

Melius est ut hoc sacro indumento episcopi maxime distinguantur, etiam titulares, magis quam aliis ornamentis, cruce pectorali et anulo exceptis, quae vanitatem sapiunt.

5

Exc.mus P. D. ALOISIUS ALMARCHA HERNÁNDEZ
Episcopus Legionensis

Em.mi et exc.mi Patres,

Emendationes ad cap. VIII, de arte sacra.

1. *De thesauro artis sacrae et stylis novis.* Ars sacra est laus Dei, ferens secum signum omnium generationum, quae, sicut Deo nostro orationes et cantica creaverunt, ita mirifica opera artis. Ecclesia, in temporis cursu, ex his fructibus humani ingenii circa poesim, musicam et artes sacras, ditissimum formavit thesaurum.

Ingenium humanum semper habuit in Ecclesia apertas libertatis vias.

Sed progressus exigit, simul cum libertate ingenii, collectionem et transmissionem adquisitionum culturae temporum praecedentium.

Ecclesia custodivit semper diligentissime thesauros omnium culturarum influentium in quocumque stylo artis sacrae.

Progressus cum suis ianuis apertis ad futurum, non potest esse causa vel occasio destructionis aut oblivionis operum artis existentium...[1]

Thesauri omnis culturae secum ferunt laudem fructuum ingenii et accuratam diligentiam pro eorum conservatione.

Art. 99 ostendit libertatem saecularem Ecclesiae erga omnes modos artis et alacriter affirmat viam liberam manere, dummodo reverentia propria sui finis apte servetur.

Nostro tamen iudicio aliquid adiici debet, quod sit laus traditionis ecclesiasticae in formatione illius thesauri, quem reverenter custodit tamquam omnium modorum fructum, quodque simul inserviat ad vigilantiam diligentissimam pro huius thesauri conservatione.

Ex huius praeceptivae normae defectu refulgens victoria illius modi artis, qui dicitur « Renascentia », ansam praebuit destructioni et contentioni mirabilium operum artis gothicae et romanicae cum damno irreparabili thesauri artistici et apologetici Ecclesiae.

In relato articulo adiungi deberet, meo quidem iudicio, post verbum *admisit* sequens incisum: « Sic actualis formatus est artis sacrae thesaurus, quem venerari et conservare debemus et stylis atque operibus novis ditescere ». Incisum recte insereret et finem supradicti articuli compleret. Redactio integra ita esset: « Ecclesia nullum stylum veluti proprium habuit, sed omnium temporum modos semper admisit. Sic actualis formatus est artis sacrae thesaurus, quem venerari et conservare debemus et stylis atque operibus novis ditescere. Nostrorum temporum atque omnium gentium et regionum ars liberum in Ecclesia *semper habet* ». *Cetera sicut in schemate.*[2]

2. *De peritis.* Artis sacrae peritis opus est fontis, methodi ac mediorum, ut accuratam et specificam formationem acquirant.

Ars sacra lineamentis historicis, peculiaribus et universalibus notis, hodie conspicitur, quibus omnibus artificum mens illuminari debet et veluti flamma inspirationis creatricis incendi, quin propria autonomia vel personalitas turbetur.

Scholae architecturae, sive academiae civiles technicam artis tradunt. At profunditas et extensio elementorum spiritualium et linearum historicarum artis religiosae in his desiderantur.

Docent modum creationis materialis, ac osseam structuram operum artis, methodo veluti universali. Quod vero ad artem specifice christianam attinet impares sunt ut adaequate proponant spiritum et virtutem.

Creandae erunt scholae superiores artis sacrae, sicuti creatae sunt pontificia instituta archeologiae et musicae sacrae.

Harum scholarum alumni aptiores invenirentur ut sua peritia et scientia et amore « artificum curam habeant », quod in n. 103 docetur, et ut membra commissionis dioecesanae, provincialis, regionalis et nationalis designentur (n. 102).

Fortasse haec erit etiam via ut ars sacra et ars profana, a saeculis « Renascentiae », separatae et divergentes, denuo in vertice occurrant.

3. *Opera artis minora.* Ut apti et idonei fabri et opifices artis sacrae formentur, admodum necessarii in confectione ornamentorum sacrorum, obiectorum liturgicorum, operum argentariorum, in conservatione librorum et supellectilium, proponitur creatio Scholarum practicarum artis sacrae. Ibi theorice et practice opifices instruerentur. Sicque compleretur « labora » monasticum, aptissimum domibus sacrarum virginum.

Expertus loquor. In nostra dioecesi Legionensi una istius scholae est, arti *valde fructuosa.*[3] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Hoc est retrocessus. [2] campum habet, quae aedibus sacrisque ritibus debita reverentia debitoque honore inserviat; ita quidem ut eadem ad mirabilem illum gloriae concentum, quem summi viri per revoluta iam saecula catholicae fidei cecinere, suam queat adiungere vocem ». [3] fructuosa et monialibus proficua.

6

Rev.mus P. D. PETRUS ZILIANTI
Abbas nullius S. Mariae Montis Oliveti Maioris

Em.mi et exc.mi Domini, venerabiles Fratres,

Pauca dicam de arte christiana, cum plura in disceptatione iam dicta sint. Unam tantum legam ex meis conclusionibus quae mihi videtur adhuc opportuna.

Desidero tamen aliquid adiungere de sacra supellectili, de qua etiam plura dicta sunt. In nostris regionibus fideles omnes, sive pauperes et operarii sive divites, nullum scandalum patiuntur de decore, de ornatu et de pretiositate sacrae supellectilis in cultu sacro. Immo, omnes, magna laetitia, magnopere student conferre templo Dei « omnia pretiosa quae aut natura ipsa protulerit aut humanum ingenium comparaverit ». De facto, teste historia: hominis est divinitati offerre quae pulchriora et pretiosiora possidet.

Mihi videtur pastores imitari debere Iesum Christum pauperem in vita sua privata, sive victu, sive veste, sive habitatione. Sed non obliviscatur quod dicit S. Thomas ad argumentum in I-II, q. 102, art. 5 ad 10: « ad hoc autem quod in reverentia haberentur, adhibeatur eis specialis ornatus vestium », videlicet, signa externa suae dignitatis.

Pro cultu Dei autem aliter *pastores* [1] se conferant.

Scimus quod Sancti Dei, veri amatores et sectatores Iesu Christi, in paupertate et egestate vivebant, sed quando de domo Dei agebatur laeto animo ei pulchra et pretiosa offerebant. Exemplum habemus in S. Ioanne

Vianney, Curato d'Ars. Quis nesciat quam pauperrime vixerat? Attamen pro sua ecclesia semper decora et pretiosa libenter accipiebat. Respicite, venerabiles Patres, ad ipsum Christum. Non recusavit quod mulier ad pedes suos pretiosi unguenti vas effunderet. Immo, severe reprehendit qui de hoc murmurabat. Et post suam gloriosam mortem permisit corpus suum ungi aromatibus et unguento pretioso. Et S. Scriptura non reminiscitur forsitan de auro, de gemmis, et de materiis pretiosis adhibitis in aedificatione templi sancti Dei, ipso Deo annuente et benedicente?

Certe, ut se exprimit prooemium in cap. VI, reprobandi sunt abusus qui in hac re, « in externis enim cultus ornamentis amplificandis, quandoque humana vanitas irrepsit ». Sed, est meum iudicium caute in hac re agendum esse.

His dictis, dum cetera quae scripsi de arte sacra ad secretariam tradam, conclusionem ipsius legam...[2]

Ecclesia, vera mecenas artium, semper et ubique in saeculis templa sacra, episcopales et praelatorum domus, monasteria et conventus, immo et ipsa oratoria privata, ditavit affabre confectis, e. g. statuis marmoreis et ligneis, codicibus miniatis, supellectilibus sacris, mobilibus artisticis, picturis magnae aestimationis, etc. vera thesaura et patrimonium ingentis valoris efformantia; testimonia, insuper, suae gloriosissimae historiae. Desideretur talia monumenta patrum ne pereant nec dissipentur. Scimus quidem quantum a sic dictis « antiquari » et ab amatoribus et inceptatoribus artium fit pro horum appropriatione, non parcendo ingentes, aliquando, summas pecuniae et saepe saepius etiam dolo. Et, proh dolor!, notum est omnibus quod multa huiusmodi thesaura in manibus istorum pervenerint. Oculis nostris pluries vidimus statuas, mobiles antiquos et artisticos, supellectiles, ut candelabra, vasa sacri incensi, immo, et calices et sacra ciboria SS. Eucharistiae, necnon altaria ipsa, decorare domus privatas et etiam profanis usibus adhiberi.

Nullum verbum invenio in schemate *de Arte sacra* circa conservationem et alienationem istius patrimonii sacri de quibus S. Sedes pluries pastores admonuit. Ideo, humiliter quaeso, ut ad calcem huius schematis paragraphus adiungatur quae praecipiet Ordinariis ut in sua dioecesi: *a*) curent et curare faciant, fideliter custodiendo, haec patrimonia artistica et historica; *b*) et omnimode impedient eorumdem alienationem. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Perpulchre in cap. VIII actum est de Arte sacra. Speciatim mihi placent quae in prooemio, in pag. 199, lin. 9 et sqq. reminiscitur, « Alma Mater Ecclesia semper fuit pulchrarum, seu ingenuarum, artium amica earumque servitium, praecipue ut res ad sacrum cultum pertinentes

vere sint dignae, decorae ac pulchrae, rerum supernarum signa et symbola, perenniter quaesivit, artificesque instruxit ». Et mihi videtur undequaque dignum esse assensum nostrum, sincera complacentia coniunctum, de asserto in n. 99, pag. 199, quod « omne stylum artis Ecclesia admittit ».

Et sane, historia enim nos docet quomodo Ecclesia, magna sua comprehensione, suos antiquiores et modernos stylos fecisse. Quis nescit Ecclesia primitiva suos fecisse stylos graecos et romanos? Quomodo in decursu saeculorum stylos successivos: longobardicum, bizantinum, romanicum, gothicum, rinascimentalem et barochum in arte sua assumpsisse? Recentissimis temporibus vidimus Ecclesiam suos fecisse etiam stylos illorum populorum qui ultimo Evangelii praedicationem receperunt: sic ars sinensis, ars iaponica, ars indiana, ars insularum Oceani, etc. in vita ipsius Ecclesiae suum locum invenerunt.

Magnum iuvamen scio hanc insertionem artium omnium gentium in vita Ecclesiae afferre, sive ad conservandam vitam christianam apud intellectualium et artificum coetus nec non rudium in regionibus fidelibus, sive pro propagatione fidei ubicumque, sed praecipue in missionibus.

Vellem quod hoc Sacrosanctum Concilium hortaretur artifices nostri temporis ut spiritualiter inflarent ipsam artem modernam, praesertim figurativam, quae plus minusve, proh dolor!, a traditione christiana abiit creando scholas sic dictas futurismi, cubismi, existentialismi, abstractismi, etc., quae fere omnes quadam aberratione laborant. Scio vero quod nonnulli artifices, spiritu christiano imbuti, conantur totis viribus has artes figurativas ad christianismum adducere. A Patribus Conciliariis verbum stimulantem isti artifices attendunt pro prosequenda lucta contra materialismum in arte et ad nova opera, etsi moderna inspiratione, artistice conficienda.

7

Rev.mus P. D. IOSEPH SOETEMANS

Abbas generalis Congregationis Ss.mi Salvatoris Lateranensis

Venerabiles Fratres,

Liceat mihi quaedam proferre circa ea, quae in pag. 194, n. 89, huius schematis leguntur de usu pontificalium.

In ecclesiasticis personis, quae, charactere episcopali carentes, usu pontificalium frui soliti sunt, numerantur in primis abbates regulares, quorum non pauci exceptione, hoc numero inducta, afficiuntur.

Velim autem ad haec animos intendatis:

1. Veteribus Ordinibus Canonicorum Regularium et Monachorum a Sede Apostolica antiquitus concessus est usus pontificalium, quo insigniores quidam sodales, id est abbates, fruuntur, non tantum ut eorum, qui plerumque sunt superiores, dignitas augeretur — id ipsum aliorum quoque Ordinum Moderatoribus fortasse esset tribuendum — sed etiam, idque maxime, propter splendorem cultus divini, qui est finis peculiaris

huiusmodi Ordinum quique in ecclesiis abbatiarum et praepositurarum sollemniter fieri consuevit.

Quodsi hic usus pontificalium iis tantum abbatibus reservatur, qui aliqua iurisdictione gaudent, eaedem abbatiae et praeposituræ, ob morbum aliudve impedimentum abbatis iurisdictionem habentis, caeremoniis sollemnibus facile privantur.

2. Abbas regularis post electionem accipit peculiarem benedictionem, quae est sacramentale, ritus scilicet vetustus et venerandus, qui Pontificali Romano continetur. Persona sollemniter hoc modo ab Ecclesia benedicta et in altiore dignitatis gradu collocata, talis manet, etiamsi nulla fruatur iurisdictione. Cur abbas huiusmodi privandus est usu pontificalium, qui est usus earum rerum, quae ei ab episcopo benedictionem conferente traditae sunt cum speciali formula verborum, usum ipsum significantium?

3. Quibusdam in Ordinibus munus abbatis superioris non est perpetuum, sed breviore temporis spatio circumscriptum. Quae erit condicio abbatum, qui munere superioris soluti sunt? Ab Ecclesia olim acceperunt sollemnem benedictionem et institutionem, et nunc dignitatem quidem servant, sed nomine non re.

4. Idem dicendum est de abbatibus ad vitam electis, qui tamen propter senium, morbum aliamve causam munere superioris se abdicant et abbates resignati vocantur. Si haec exceptio, ex qua usus pontificalium iis solum permittitur, qui aliqua iurisdictione gaudent, approbatur, in praxi abdicatio spontanea vix fiet, atque adeo in superioris munere manebunt viri, qui ei gerendo impares effecti sunt, fortasse gravi cum detrimento familiae religiosae.

5. Secundum schema usus pontificalium permittitur episcopis titularibus, qui iurisdictione carent, ac merito. Cur idem hic usus interdicitur abbatibus, qui non vel non amplius sunt superiores, quique numero sunt multo minores quam episcopi titulares?

6. Sed liceat in huius rei intimam rationem penetrare, quod facere velim summa cum reverentia: tota difficultas ex eo orta esse videtur, quod *quidam* [1] episcopi residentiales nolunt abbates, intra fines suae dioecesis, sacra pontificali ritu peragere extra proprii Ordinis ecclesias. Ad quod animadvertendum est abbates id fecisse aut permissu Ordinariorum aut ab aliis rogatos, interdum etiam enixe. Non videntur igitur puniendi abbates omnes, iurisdictione carentes, propterea quod nonnulli ab Ordinariis vocati aut eorum permissu pontificalibus extra proprias ecclesias usi sunt.

Puto quaestionem solvi posse et exc.mis Ordinariis satisfieri hoc modo:

1. Statuatur ut abbates de regimine vel eo carentes uti possint pontificalibus solum si benedictionem abbatialem acceperint, nisi *pro aliquo Ordine* [2] apostolico indultu statuatur.

2. Praeceptum firmius inculcetur ex quo iidem abbates pontificalibus uti possint solum in ecclesiis proprii Ordinis.

Ita consulitur congruenti condicioni abbatum, quibus Ecclesia peculiari et sollemni ritu usum pontificalium concessit, et ampliori cultui divino in abbatiis et praeposituris.

Haec omnia quae protuli, dixi non tantum nomine Canonicorum Regularium S. Augustini Confoederatorum, sed etiam nomine Canonicorum Regularium Praemonstratensium et Crucigerorum, necnon abbatis primatis Monachorum O.S.B. et abbatis generalis S.O.C. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] plures. [2] aliud.

Em.mus P. D. HAMLETUS I. card. CICOGNANI, *a Secretis Status*:

Venerabiles Patres,

Honori et gaudio mihi duco vobis nuntiare quod Sanctissimus Dominus noster Papa Ioannes, votis vestris benigne annuens, statuit inserere Missae, et quidem in Canone, nomen S. Ioseph. [*Plausus*].

Sub eius patrocinio hoc Concilium Vaticanum II celebratur, et haec concessio uti optatum *mnemosynon* et fructus ipsius Concilii manebit.

Locus proprius huius insertionis in Canonem erit ad « Communicantes » post nomen « Mariae »; nempe, verbis « ... in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genetricis Dei et Domini nostri Iesu Christi... » addendum erit « et beati Ioseph eiusdem Virginis Mariae sponsi », ac dein reliqua verba, « ... sed et beatorum Apostolorum », etc.

Placuit Sanctitati Suae hoc dispositum in actum deducere sine mora, et iussit ut vigere illud incipiat a die 8 proximi mensis decembris, in festo Immaculatae Conceptionis Mariae.

Interim vero fiant acta necessaria apud Sacram Congregationem Rituum, ut decretum ad hoc iuxta normas edatur.

[*Plausus*].

8

Exc.mus P. D. HENRICUS GOLLAND TRINDADE
Archiepiscopus Botucatuensis

Venerabiles Patres et carissimi Fratres et Fratres Observatores,

Septem tantum verba dicam de prooemio ad cap. VI de sacra supellectile, pag. 192, a lin. 7 usque ad lin. 18.

Primum verbum: vere pulchrum videtur prooemium propter sinceritatem, cum declarat quod « historia testatur temporum decursu nonnullos in hac re irrepsisse abusus », *sic: irrepsisse abusus,*[1] et, etiam cum affirmat quod « in externis enim cultus ornamentis amplificandis, quandoque humana vanitas irrepsit ». *Sic: humana vanitas.*[2]

Secundum verbum: omnes scimus Liturgiam non esse argumentum principale Concilii; sed etiam certum est veritates dogmaticas, morales, pastorales et sociales assumere corpus et claritatem et applicationem per Liturgiam. Eodem modo, scimus sacram supellectilem non esse elementum liturgicum praecipuum, sed tamen scimus ipsam sacram supellectilem esse quod maxime oculos et attentionem fidelium et infidelium attrahit cum immediate adhaereat personae ministrorum (scilicet ...[3] sacerdotum, episcoporum et cardinalium).

Tertium verbum: prooemium urget: « necessitatem valde curandi materiam, formam et ornatum sacrae supellectilis et fideliter observandi leges artis sacrae ». Propterea consulendi sunt sacerdotes et laici periti in arte sacra cum omne pulchrum, *vere pulchrum,*[4] debitum sit Deo. Numquam, autem, obliviscendum erit quod ars et vera pulchritudo praesertim in simplicitate, in modestia rerum, et, ut ita dicam, in austeritate « quasi in paupertate » et, certe, in proportione partium consistunt, quod adeo correspondet exigentiis aetatis hodiernae.

Quartum verbum: in eodem, autem, prooemio opportunissime additur id quod mihi principale videtur: supellectilis sit, non solum secundum leges artis sacrae, sed etiam, « iuxta liturgicam traditionem! ».

Quintum verbum: quaero, autem, humiliter, ab hoc venerando coetu quo loco et quo tempore haec liturgica traditio invenienda sit? Scimus omnes eam non immobili forma permansisse, sed, e contrario, evolutionem cum temporibus habuisse. Quale momentum evolutionis eligendum erit ut summe legitimum? Forsitan, saecula in quibus Ecclesia imitata est stylum regale, stylum imperatorum et principum, quorum anuli et purpurae et throni et coronae et pelles armellinae et caudae recipiebantur, signum aliquando fidei et devotionis, sed non raro medium se-

lectum unice ad captandam benevolentiam Ecclesiae et praelatorum? Etiam hodie sic faciunt politici nostri. Reges illi et imperatores et principes perierunt omnes, Ecclesia autem conservat, proh dolor! magno cultu, in liturgia sacra, mundanas traditiones ipsorum.

Sextum verbum: cur non potius audimus exhortationem S. Pontificis Pii X, ut, « ad originem redeatur »? Antiquissima Liturgia in praesepe incoepta est et prosecuta in labore et paupertate opificis, in deserto orationis et poenitentiae, in viis praedicationis et miraculorum et, ut corona, in cenaculo humilitatis (lotio pedum Apostolorum) et *praesertim in cenaculo* [5] caritatis (institutio sacramenti amoris) et in cruce sacrificii (« Consummatum est »)... Haec antiquissima, haec genuina liturgia primi et summi sacerdotis, Christi Iesu — ad quam nos omnes, in hac occasione singulari, quae nobis data est a Summo Pontifice Ioanne XXIII sanctissime regnante, certe, redire volumus. *Non est discipulus super magistrum.*[6] Nunc est tempus opportunum!

Septimum et ultimum verbum: conclusionem statuo cum humili sed firmissima petitione, magno cum animo et maiore spe, ab hoc sancto Concilio Oecumenico Vaticano II. Omnes nos actualem situationem ordinis socialis novimus, cum violenta aversione a luxu et a quacumque ostentatione. Omnes novimus tribulationes fratrum nostrorum in non paucis regionibus, id est, in Ecclesia silentii et doloris. Omnes nos novimus paupertatem, miseriam, famem et privationes *permultorum* [7] qui tamquam filii, nos Patres appellant.

Ehu, *venerabiles Patres et carissimi Fratres,*[8] reducatur sacra supellex ad formas authentice christianas, incipiendo a nimia magnificentia et multiplicitate vestium nostrarum, a caudis, omnino, omnium praelatorum, usque ad nostras cruces episcopales, quando non Sanctorum Dei reliquiis refertas sed pretiosis margaritis ornatas, ut exemplum divulgetur in omnibus inferioribus gradibus. *Nunc est tempus opportunum!* [9]

Hoc erit practica confirmatio verborum illorum, quae, solummodo ut nuntium gratissimum in initio huius Concilii ad omnes homines bonae voluntatis a nobis, *Patribus Conciliaribus* [10] dedicata sunt et non debent ut pura verba manere.

Parcite mihi, *venerabiles Patres et Fratres carissimi,*[11] parcite ultimo fratri vestro qui ex corde sincero et in praesentia Dei vobis locutus est.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] diaconorum. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] multorum. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest.

9

EXC.MUS P. D. CASIMIRUS KOWALSKI
Episcopus Culmensis

Em.me Princeps, venerabiles Patres,

1. Ad capp. VI, VII, VIII schematis de sacra Liturgia, omni laude in genere digna, audeo proponere humillime sequentes emendationes.

In specie: pag. 193, in n. 88, lin. 32, scribitur: « Sanctae Sedis, vel episcoporum... erit ». Haec determinatio est aliqua indeterminatio, et ideo liceat mihi proponere quod in sacrosanctis rebus liturgicis, tota potestas legislativa in materia, quae unam dioecesim excedit, tota remaneat apud Sanctam Sedem, et quod Conferentiae episcoporum gaudeant iure initiativae, gaudeant potestate delegata, et gaudeant iure exsecutivo, sed non potestate legislativa stricte dicta.

Ratio est haec: video optimum fundamentum potestatis legislativae Summi Pontificis pro tota Ecclesiae et episcopi Ordinarii pro sua dioecesi; sed non video fundamentum potestatis legislativae, stricte dictae, pro coetu collectivo, salva structura Ecclesiae Catholicae monarchica. Insuper Conferentiae episcoporum possint subiacere...

Praeses card. ALFRINK: Excellentia Vestra loquatur de Liturgia, non de Conferentiis episcoporum.

Orator: 2. Ad caput sequens, de cantu gregoriano, enuntiatur optimum principium pastorale his verbis: « Episcopi ceterique animarum rectores sedulo provideant ut in qualibet sacra actione, vel sollemnissima, universus fidelium coetus actuosam participationem sibi propriam in cantu praestare possit ». Optimum principium pastorale; sed audivimus in hac aula saepe quod difficillimum est in exsecutione et in nonnullis nationibus, ut audivimus, fere impossibile ad exsequendum. Sed in rebus arduis non est desperandum; sed ad S. Thomam Aquinatem recurrendum. Et Angelicus Doctor ponit distinctionem inter ordinem intentionis et ordinem exsecutionis. Certo certius cantus gregorianus in ordine systematico intentionis primus est; et ultimo loco enuntiatur, merito, cantus in lingua vernacula. Sed quod est primum in ordine intentionis, saepe est ultimum in ordine exsecutionis, et vice versa. Ideo, teneo nostros fideles in primis edocendos esse in cantu, in sacro cantu vulgari, dico « sacro cantu vulgari » quia sacer cantus non solummodo dicit exsecutionem secundum normas cantus estheticas, sed etiam meditationem

fidei, veritatum fidei quae in lingua vulgari optime intelligibiles sunt pro populo et quas populus, Maria duce, in corde suo confert.

Et populus qui amat suum cantum sacrum in lingua vulgari potest omnibus insidiis diaboli resistere ut iam experti sumus per duo saecula in Polonia ubi populus cantat in lingua vernacula et fide intrepida resistit omnibus adversariis. Et hic populus ita praeparatus in sacro cantu vernaculo potest ascendere ad exsecutionem cantus gregoriani quia amat iam cantum, iam actuose participat in liturgia sacra; vidi propriis oculis, et 500.000 et 1.000.000 fidelium actuose participare in sacra Liturgia latina, respondentes latine ad acclamationes et cantantes « Gloria, Credo » etc. in lingua vernacula.

Haec est aliqua coniunctio organica, aliquod coexercitium cantus liturgici latini cum cantu liturgico in lingua vernacula. Et sicut in vita spirituali, vita mixta est perfectissimus modus vitae in terris, ita fortasse hic mixtus modus cantus liturgici ex lingua latina et lingua vernacula compositi est fortasse perfectissimus modus actuosae participationis fidelium, totius coetus fidelium in sacrosancto Missae sacrificio. Et ideo audeo proponere ut inseratur in pag. 196, in n. 93: « Coexercitium organicum cantus gregoriani una cum sacro cantu populari valde suadendum est ad actuosam participationem omnium fidelium procurandam et ad ipsius cantus gregoriani in pietate totius coetus fidelium conservationem ».

3. Ad caput de sacra arte. Peto humillime ut extendatur « principium actuosae participationis fidelium etiam ad praeparationem et confectionem operum artis ». In omni pietate, in omni cultura populorum, latent thesauri absconditi qui possunt esse optimus fons inspirationis estheticae et exsecutionis artisticae. Et ideo consulendus est stylus autochtonicus et stylus modernus in construendis ecclesiis et in conficiendis operibus artis sacrae, in quibus populus etiam active participat, non exclusa activa participatione in construendis ipsis ecclesiis, quia haec praxis multum valet ad hoc quod fideles ecclesiam suam ament et nullo modo in difficillimis circumstantiis deserant.

Faxit Spiritus Sanctus ut hoc Sacrosanctum Concilium Vaticanum inauguret novam auream aetatem evolutionis cantus sacri et artis sacrae, ut possimus omnes, una cum nostris fratribus redeuntibus ad unitatem Ecclesiae, et orare et cantare per D. N. I. C. qui sedens ad dexteram Patris non desinit esse mitis et humilis Corde et cuius imperium non desinit esse in Ecclesia Sancta Romana iugum suave et onus leve. Dixi.

Textus scripto traditus:

I. Valde laudanda sunt capp. VI, VII, VIII schematis de s. Liturgia, quia de thesauro Ecclesiae proferunt nova et vetera.

In specie vero quoad sacram supellectilem, quaestio de casulis sic dictis gothicis iam matura esse videtur ita ut usus huiusmodi casularum a S. Sede generaliter approbatus in tota Ecclesia legitimus evadat.

Quoad n. 88, pag. 193, lin. 32, ubi indistincte dicitur « Sanctae Sedis vel episcoporum... erit »: omnino necessarium esse videtur ut tota potestas legislativa limites unius dioecesis excedens apud S. Sedem maneat et Conferentiae episcoporum gaudeant potestate delegata et executiva normarum a sola S. Sede statutarum et ita unitas in varietate et varietas in unitate salvetur. Ratio est quia

a) non satis certum est fundamentum potestatis legislativae pro ente collectivo salva Ecclesiae structura;

b) Conferentiae episcoporum limitibus nationis vel regionis coarctatae persaepe influxibus subiacent, qui legislationem ad puram mentem Ecclesiae difficilem reddunt. « Pater gentium » per saecula vocatus et extitit successor S. Petri, Romanus Pontifex. Haec paternitas potest recte certum delegari sed non potest demi.

II. In capite de Musica sacra optime dicitur, pag. 196, n. 92, lin. 2 et sequentes: « Episcopi ceterique animarum pastores sedulo provideant ut in qualibet sacra actione vel sollemnissima universus fidelium coetus actuosam participationem sibi propriam in cantu praestare possit ». Ut finis hic assequatur distinguendus est ad mentem Doctoris Angelici ordo intentionis sive systematicus ab ordine executionis. In ordine systematico certo certius cantus gregorianus primum locum tenet, cantus vero popularis religiosus ultimo loco enuntiatur, sed ut ait S. Doctor quod ultimum est in intentione et systematice, potest attentis circumstantiis concretis esse primum in executione. Ideo ex rationibus pastoralibus fideles erudiendi sunt et manuducendi ad cognitionem, amorem et praecipue ad praxim vere sacram cantus popularis ut non solum principia Musicae sacrae cognoscant et adament, sed in textibus sibi notissimis veritates fidei retineant et conservent ac exemplo Beatae Mariae Virginis meditentur conferentes in cordibus suis (Luc. 2, 19, 59).

Hic cantus religiosus popularis e. g. in Polonia de licentia S. Sedis quoad partes immobiles Liturgiae (Gloria, Credo) etiam in Missis sollemnioribus maximo cum fructu organice coexistit et coexercetur cum lingua latina a populo valde amata. Experientia nostra per duo saecula difficillimis in circumstantiis protracta certiores nos reddidit fideles actuosissime participare in Liturgia latina etiam sollemniter cantata, si ipsi omnes sive tota plebs sancta in lingua vernacula partes immobiles Missae cantant. Per huiusmodi organicam coniunctionem Liturgiae latinae et sacri cantus popularis fides populi nostri non solum conservata et ab omnibus deviationibus praeservata manet sed etiam uti virtus theologica de die in diem crescit. Haec fides saepissime in sacro cantu populari professa et magis ac magis in omnes partes vitae introducta omnes adversarios vincit. Huiusmodi organica coniunctio responsoriorum in lingua latina et sacri cantus popularis in Missa efficit ut in Officiis etiam sollemnioribus ecclesiae nostrae semper plenae et plenissimae maneant et numerus fidelium per sacrum cantum popularem fructuose participantium in Liturgia Missae, in nonnullis festis, ingentem numerum 500.000 et 1.000.000 (e. g. Częstochowa) attingit. Fideles tali modo praeparati et in cantum gregorianum suaviter introducti possunt postea in suis paroeciis cantum latinum gregorianum exercere, ecclesiis plenis et fidelibus contentis manentibus. Huic organicae coniunctioni et organicae evolutioni cantus gregoriani ex cantu populari periculum exstat in proiectu recitandi Officium divinum in lingua vulgari. Num

poterimus exsequi a fidelibus incultis et linguae latinae ignaris cantum gregorianum, si clericis ex professo in lingua latina edoctis conceditur licentia generalis recitandi Officium divinum in lingua vernacula? Non solum defendendum et conservandum esse censeo patrimonium cantus gregoriani, sed puto saluti animarum sacerdotum nostrorum magis profuturum — unitatis Ecclesiae gratia — Officium divinum breve et amoenum in lingua latina quam recitationem Officii divini in lingua vernacula. Caveant, quaeso, Patres Conciliares, ne Sancta Ecclesia ex ista tendentia aliquid capiat!

Ideo in pag. 196, in n. 93 ad lineam addendum esse censeo « Coexercitium organicum cantus gregoriani una cum sacro cantu populari valde suadenda est ad actuosam participationem omnium fidelium promovendam et ad ipsius cantus gregoriani in pietate totius coetus fidelium conservationem ».

III. Quoad Artem sacram in pag. 199, ad n. 99 addendum esse censeo « principium actuosae participationis fidelium in sacra Liturgia etiam ad praeparationem et constructionem operum Artis sacrae maxime ecclesiarum, extendendum est ».

Sicut in Musica sacra ita etiam in Arte sacra cultura omnium populorum praebet uberrimum fontem et inspirationis artisticae et executionis operum Artis sacrae; ut nempe opera artis nostrae stylo autochtono constituantur et ita fidelibus modo intelligibili ac facili infinita attributa Dei, vitam et merita Christi et viam ad salutem aeternam efficacissime doceri valeant.

Faxit Spiritus Sanctus, ut Sacrosanctum Concilium Vaticanum aperiat epocam novam Artis sacrae in sensu latissimo et indumentorum sacrorum, et Musicae sacrae, et Artis pulchrae per organicam coniunctionem Sanctae Romanae Ecclesiae saecularis patrimonii cum divitiis culturae singulorum populorum, Summo Pontifice duce, episcopis intime collaborantibus et populo christiano actuose participante ita ut in sacra Liturgia et orare et cantare et pulchra opera sacra conficere possimus, facientes veritatem in caritate, per Dominum Nostrum Iesum Christum qui sedens ad dexteram Patris non desinit esse mitis et humilis corde et cuius iugum usque ad finem saeculorum in Sancta Ecclesia Catholica manet suave et onus leve.

10

EXC.MUS P. D. PAULUS YOSHIGORO TAGUCHI
Episcopus Osakensis

Venerabiles Fratres,

Iam multa aeque bene ab aliis Patribus dicta sunt de sacra supellectile et de arte sacra *praesertim* [1] sub luce paupertatis atque simplicitatis evangelicae. Quae omnia libenter confirmare velim. Liceat, tamen, mihi aliquas tantum animadversiones addere sub aspectu apostolatus missionarii.

Experientia multorum annorum vitae episcopalis, satis cognovi episcoporum vestes liturgicas, in Iaponia saltem, simpliciores reddendas

atque sensui et moribus populi nostri magis aptandas esse. Ipsi etiam colores vividi atque fortes oculorum aciem populique sensum artisticum offendunt, qui eos temperatos et bene compositos maxime praefert. Quae vero pompam aliquam exhibent, ut cappa magna et similia, in nostra regione (etiam forsitan in aliis) nimis discedunt ab hominum hodiernorum mente, quae simplicitatem atque moderationem prae omnibus intendit.

Alia quaedam, sicut frequens impositio atque depositio mitrae in functionibus pontificalibus, genuflexio coram episcopo ad osculum anuli, sive intra sive extra functiones sacras, vix intelligi possunt et fidelium atque infidelium admirationem non levem excitant.

Ut breviter dicam, non pauca inveniuntur, transactis aetatibus in Occidente exorta atque evoluta, quae nunc sensu et significatione carent, saltem in nostra regione, immo potius aliquod impedimentum afferre possunt ad fidei propagationem.

Condiciones Ecclesiae iam fundatae in statibus catholicis, a condicionibus Ecclesiae in terris Missionum fundandae satis differunt neque, uti patet, eadem eodemque modo dici possunt pro omnibus indiscriminatim.

Quare, salvo meliore iudicio, sequentes additiones proponere audeo:

1. Ad art. 88, cap. VI, pag. 193, a lin. 32 haec addenda videntur: « Et in primis curare ut vestes liturgicae aetatis nostrae condicionibus et diversorum populorum sensui atque moribus magis aptentur ».

2. Ad art. 89, pag. 194, sequentia addenda videntur: « Praeterea rubricae circa usum pontificalium in functionibus liturgicis examini denuo subiciantur atque simplificentur ».

3 et ultimo. Ad art. 99, cap. VIII, in pag. 199, monitionem sequentem addi velim: « In adhibendis vero elementis artis propriae populorum non christianorum, sedulo cavendum est ne illa introducantur quae infidelium superstitionem adhuc redolent, ideoque christianorum animum offendunt. Placet quidem neophytis nostris *prudens adaptatio,* sed non aeque placet imitatio immoderata, quae quamdam repugnantiam populi interdum gignere potest ».

« Missionarii exteri, optima quidem voluntate, non raro conantur ecclesias conficere, altaria, imagines aliaque *ad imitationem* aedium artiumque indigenarum, etiam aliarum religionum, ut nativis placeant, quae non semper a clero et populo nationali probantur. Vera adaptatio non ictu, non vi perfici potest, sed virorum summa arte praeditorum ope, per diuturnum temporis tractum paulatim obtinenda est ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

11

Exc.mus P. D. FRANCISCUS JOP
Episcopus tit. Dauliensis

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres Conciliares,

Pauca vellem proferre ad art. 89, cap. VI, nempe de usu pontificalium. Aliquando in vita Ecclesiae occurrunt speciales, valde graves causae, cum bono Ecclesiae Catholicae coniunctae, exigentes, ut usus pontificalium episcopis, id est, solis iis qui ordinationem episcopalem receperunt, stricte reservetur, exclusa prorsus facultate utendi pontificalibus a sacerdotibus loco episcoporum in iurisdictione ecclesiastica exercenda suffectis. Proinde, reservatio usus pontificalium pro solis episcopis ob has causas esset necessaria.

Deinde in pag. 199, in prooemio cap. VIII de arte sacra, in primo versiculo, loco verborum: « Inter nobilissimas ingenii humani exercitationes », meo humili iudicio melius esset ponere verba: « Inter nobilissima humani generis *opera* »; agitur enim potius de ipsis effectibus ingenii humani iam productis; dum in versiculo quarto eiusdem prooemii verba: « humanis operibus » substitui possint verbis: « humanis exercitationibus ».

Nunc breviter loquar nomine episcoporum Poloniae, una cum em.mo card. primate nostro hic praesentium, de relatione nostra ad totum *schema ipsius constitutionis de sacra Liturgia,* iam enim disceptationes de hac re absolvuntur et perveniunt ad finem.

Constitutionem hanc optime expeditam esse multi venerabiles Fratres, in aula loquentes, agnoscebant, licet numerosas propositiones in favorem linguae vernaculae, sive ampliandae potestatis episcoporum proferebant, aut emendationem quorundam statutorum postulabant, vel tandem magis particularia praescripta in constitutione optabant.

Attamen, constitutio non potest continere particularia praescripta, finis eius enim est statuere tantum normas generales et « altiora principia generalem liturgicam instaurationem respicientia », iuxta verba feliciter regnantis Papae Ioannis XXIII.

Principia vero totius constitutionis a viris doctis et magnopere peritis luculenter et clare sunt exarata ac aperiunt viam non solum ad pastoralem et didacticam aptationem Liturgiae, sed etiam ad uberiorem scientiam de sacra Liturgia promovendam. Et hoc est praecipuum opus instaurationis Liturgiae sacrae: plena nempe eius cognitio et actuosa participatio in functionibus liturgicis.

In his disceptationibus multa dicta sunt de lingua sacrae Liturgiae. Pro nobis, episcopis Poloniae, *lingua latina* magni pretii est et cara semper existit ac permanebit. In hac enim lingua scriptae sunt primae notitiae historicae de nostra natione et de eius baptismo, quae ad nos pervenerunt. Antiqui scriptores nostri, utpote Beatus Vincentius Kadłubek, primus scriptor polonus, historiam populi nostri in lingua latina exaravit; multique nostri poetae, saeculi praesertim decimi sexti et decimi septimi, ut Kochanowski, Sarbiewski ceterique, in lingua latina sua opera suaque carmina componebant.

Sed praecipue propter hanc eminentem causam lingua latina nobis cara sit, quia munimen et praesidium forte nostrae religionis catholicae et unionis cum Ecclesia decursu saeculorum apud nos non semel apparebat tum contra varios « novatores », tum etiam contra periculum ex parte schismatis, nobis saeculo elapso imminens...

Praeses: Excellentia vestra velit loqui de cap. V et sequentibus!

Orator: Lingua latina est elementum unitatis Ecclesiae; desideramus itaque, ut in Ecclesia Catholica servetur prout lingua ecclesiastica...[1]

Altera quaestio...[2]: saepe saepius constitutio *de Liturgia* [3] loquitur de *Conferentiis episcoporum.*[4] Petenda sunt specialia praescripta a Sede Apostolica, Conferentias episcoporum spectantia...[5] quinam ordo servandus in variis causis *in Conferentiis* [6] pertractandis; quid tandem censendum est de Conciliis provincialibus; an cesset obligatio ea celebrandi vicesimo quoque anno, et sic porro.

Schema constitutionis de sacra Liturgia, omnibus perspectis, post peractas paucas emendationes, hic a Patribus expostulatas, episcopi Poloniae cum sincera gratitudine erga commissionem praeparatoriam liturgicam, quae ipsum confecerit, recipiunt et acceptant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] et in Ecclesia occidentali adhibeatur prout lingua liturgica omnino in Missae celebratione et in Officii Divini recitatione a clericis peragenda. In cantibus chori vel populi infra Missam cantatam exsequendis, in Lectione et Evangelio eiusdem Missae, in Sacramentis administrandis, in officio funebrali et in ceteris actionibus liturgicis perficiendis, largior et amplior usus linguae vernaculae est desiderandus, quae quidem pro nostra regione a Sancta Sede benigne iam impertita sunt. [2] de Conferentiis episcoporum. Est novum ens iuridicum; [3] deest. [4] hisce Conferentiis. [5] necessaria ad determinandum, ex quibus episcopis Conferentiae componuntur (residentiales, titulares, ordinarii, auxiliares), varia enim sub hoc respectu praxis habetur; quomodo procedunt Conferentiae. [6] deest.

12

Exc.mus P. D. PETRUS CANISIUS VAN LIERDE

Episcopus tit. Porphyriensis

Em.me Princeps,

Humili animo te deprecor ut emendationum proponendarum alicuius gravis quaestionis saltem rationes primarias et solum concisis verbis enuntiare valeam.[1]

Em.me Princeps et Patres venerandi,

Cap. VII schematis constitutionis de sacra Liturgia ubi sermo instituitur de musica sacra duo proponit elementa.

N. 94 loquitur de cantu gregoriano, quem Ecclesia romana agnoscit tamquam suae Liturgiae proprium et cui principem locum in solemni Liturgia tribuit, dum n. 91 hanc Liturgiam solemnem edicit lingua latina esse perficiendam simul enuncians nonnullos cantus lingua vernacula peragi posse. Hi duo numeri simul sumpti ostium aperiunt ad duplicis generis cantum gregorianum in solemni Liturgia adhibendum, cantum scilicet gregorianum latinum et cantum gregorianum vernaculum. Heic subest, venerabiles Patres, magni ponderis pastorale negotium quod non linguam respicit sed ipsum cantum liturgicum. Et, ut statim quaestionis *humili animo* [2] cardinem incunctanter adsignem, heic magnum latet periculum pro fere bimillenario *gregoriano cantu Sanctae Matris Ecclesiae.*[3]

1. Ordinate nunc procedat huius...[4] argumenti concisa disceptatio...[5] Gregoriani cantus proprietates ex intimo cum sacra Liturgia nexu deducuntur: eius nempe sanctitas...[6]; formae bonitas...[7] universitas, qua receptaculum *exstans* [8] multiplicis antiquitatis culturae *non latinae, simul* [9] omnes homines suaviter afficere valet. Quis, inde, non poterit huius cantus valorem percipere, valorem ...[10] historicum, artificem, liturgicum *sed,*[11] quod magnopere nunc interest, eius valorem spiritualem et pastoralem quo praestat et se extollit super omnibus musicae artis operibus et monumentis?

Ut modice loquar iuxta rei veritatem, si cantus gregorianus recte, digne et pie celebratur, sensuum tumultus fit quietatio, suavis habetur spiritus commotio, animi cordisque ad Deum elevatio et in divinum sensum penetratio.

Hic iacet utique fundamentum permagnae restaurationis cantus gregoriani a Summo et Sanctissimo Pontifice Pio X lucide perspectae, forti-

ter volitae, et incunctanter exsecutae ...[12]: « Restaurare omnia in Christo » voluit sed, mirabile dictu, a restauratione cantus liturgici arduum aggressus est opus.

Pius XI eamdem percucurrit viam magnopere premens hoc in negotio venerandi cleri institutionem totiusque *Christi* [13] populi participationem: quas eminenter tutati sunt atque promovere actuose et efficaciter Pius XII sanctae memoriae et post eum, vivido praeeunte exemplo, Ioannes XXIII feliciter regnans.

2. Cantus gregoriani thesaurus inaestimabilis, praedictis in adiunctis et praefato restaurationis itinere percurso, nunc, ad solemne Concilium Vaticanum II pervenit.

Ut in exordio iam enuntiatum fuit, schematis textus cantum gregorianum in solemni Liturgia principem tribuit locum, ast simul possibilem inducit interpretationem nonnullos scilicet cantus gregorianos lingua vernacula exsequendos.

Quae res est undequaque quid novum prorsusque insolitum. Utique, compertum est mihi solemnem venerabilium Patrum coetum circa hanc rem deliberare posse, sed licitum sit demisso enuntiare animo *hanc novitatem aliquid proponere reapse* [14] « contra naturam » ipsius gregoriani cantus indeque contra genuinas leges huius sublimis artis. Esset insuper contra huius cantus efficaciam et pastoralem vim superius adsignatam et magnum ingereret periculum diminuendi sensim sine sensu ipsum gregorianum cantum usque dum, non dicam scientifice et theoretice, sed practice et concrete relegaretur in *aliquod* [15] musaeum archeologicum.

Alia ex parte, vernaculae linguae utilitas in cultu sacro minime est deneganda cum in regionibus antiquitus suavi Christi Evangelio subditis tum in Ecclesiis nuper erectis.

Quomodo solvenda haec quaestio non tam linguistica quam artifexreligiosa immo et eminenter pastoralis? Quomodo itaque salvandus et fovendus cantus gregoriani magnus valor pastoralis et simul salvanda et fovenda cantus vernaculi aeque pastoralis utilitas?

Solutionis principia.

I. Servare et augere in Ecclesiae vita et hodierno in apostolatu cantum gregorianum ceu cantum proprie et primarie cantum liturgicum, id est, in actionibus liturgicis celebrandum.

II. Servare et augere in Ecclesiae vita et hodierno in apostolatu canticum religiosum popularem ceu cantum proprie et primarie extra actiones liturgicas, auxiliariter et secundarie in actionibus liturgicis adhibendum.

III. *Praeparare* [16] et creare in Ecclesiae vita et hodierno in apostolatu novum genus cantus liturgici, populorum *praesertim* [17] Ecclesia-

rum nuper erectarum ingenio ac consuetudinibus naturaliter aptati, *cantui gregoriano valde proximi et familiaris; qui novum cantus genus, si animarum bonum id suadet,*[18] adhiberi poterit in actionibus *etiam* [19] liturgicis, eo quidem sensu ut cantum gregorianum non extrudat sed fraterne comitetur...[20]

3. *Hisce tribus* [21] principiis suffultus, textus schematis emendationes sequentes reverenter propono:

Pag. 195 ad n. 91. 1. Post ultima verba secundae pericopae « et conditioni accommodati statuuntur » addatur parvulus numerus 3, qui numerus sequentem notulam introducat: « Pii XII Litterae Encyclicae *Musicae sacrae disciplina,* die 25 decembris anni 1955, et Instructio de Musica sacra et sacra Liturgia, n. 25).

2. Tertia pericopa *huius numeri* [22] funditus permutetur: « Insuper sit (*non* « *proinde* »), *insuper sit* [23] Conferentiis episcopalibus in singulis regionibus Sanctae Sedi proponere ut cantus religiosus popularis in solemni liturgia et aliis in actionibus liturgicis lingua vernacula peragi possit ».

Pag. 197 ad n. 97, *a lin. 16 usque ad* [24] lin. 18, post verba *penultima,*[25] « in officiis sacris », inserantur *haec verba*:[26] « cantu liturgicc gregoriano quidem non excluso ».

Praeses em.me et Patres venerandi, hisce prae oculis habitis, *conclusionis instar,*[27] humili animo censeo non pauca accedere emolumenta ad Sanctae Ecclesiae musicae artis modulationes atque cantum, videlicet:

Sacer cantus gregorianus fere bimillenarius non solum a lenta suffocatione salvatur, verum etiam ubique terrarum ad perutilem incedit profectum suam semper inducens efficaciam spiritualem et pastoralem; sacer novus cantus liturgicus, praesertim in Ecclesiis nuper erectis, antiquissimum gregorianum cantum comitans, Sanctae Ecclesiae *maternum spiritum* [28] aeque ac *perspicacem animum* [29] nostris modernis temporibus *ostendit* [30] ad victoriam; et tandem, cantus religiosus popularis, duplicis praefati cantus ...[31] aemulator, Ecclesiam Dei populumque christianum indesinenter adiuvat ad spiritualium gratiam gaudiorum fovendam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] S. Matris Ecclesiae cantu liturgico gregoriano. [4] gravis. [5] Cantus gregorianus in S. Romanae Ecclesiae Liturgia a primis saeculis adhibitis tres cognoscit aetates: *praegregoriana,* quae affert elementa ex Liturgia synagogali Veteris Testamenti, ex regionibus syris et graecis, immo ex gentilibus latinis; *gregoriana,* in qua elementa praeiacentia a S. Gregorio Magno ut memoriae proditur, colliguntur, latine perfectius conficiuntur et ordinantur; *postgregoriana,* in qua gregorianus cantus novis formis et modis augetur, vetustioribus digne obtemperantibus. Undequaque digna se prae-

bet huius cantus natura: vocalis enim est, intime cum verbo latino coniunctus; monodicus, una tantum procedens melodia, etsi a pluribus decantata, aequae communiter est mensurae; et quam intime cum divino liturgico cultu connexus, quo explanantur eius miranda formarum multiplicitas simul ac simplicitas necnon eius recta definitio ceu Sacrae Liturgiae authentica deprecatio cantantibus expressa vocibus. Etiam. [6] id est precationis liturgicae vis atque vigor, actuosus et penetrans; [7] seu ars in genere suo perfectissima, quae hodie ab omnibus cultoribus historiae musices ubique terrarum in magna aestimatione habetur; [8] cum exstet. [9] etiam. [10] ut pressius dicatur. [11] et. [12] Iste vir piissimus ad hanc restaurationem non se accinxit praeprimis artis musicae rationibus permotus, sed eximiis pastoralis ministerii postulatis ductus. [13] christiani. [14] propositam novitatem reapse prae se ferre aliquid. [15] quoddam. [16] Praemeditari. [17] deest. [18] et condicionibus pro sacro cantu a S. Pio X praescriptis praediti (Motu proprio *Tra le sollecitudini,* 22 nov. 1903, nn. 1-5). Animarum bono id suadente, istud novum genus. [19] deest. [20] Horum principiorum brevis commentarius:

A) Inter cantus gregoriani modulationes plurimae exstant *ad populum destinatae et a populo decantandae.* Quae actuosa fidelium participatio tribus gradibus perfici potest quorum primus et alter omnes afficit fideles dum tertius est urgendus praesertim in communitatibus religiosis et in seminariis.[1]

Ne dicas huic fidelium actuositati obstare linguae latinae ignorantiam. Quae ignorantia satis sufficienter est superanda tribus adiumentis quas a Summo Pontifice Pio XII libenter usurpamus:[2]

1. Utile est hortationem repetere a Patribus Concilii Tridentini iam adhibitam ut Pastores frequenter inter Missarum celebrationem ex iis quae in Missa leguntur aliquid exponant et declarent, diebus dominicis et festis. Quod opus in catechesi est prosequendum.

2. Praesertim hac nostra aetate manualibus libris utendum est ubi S. Liturgiae verba in vulgarem sermonem conversa sunt. Tali enim modo christifideles iuvantur et illuminantur ut ipsi quoque ea intellegant et quasi participent quae a sacrorum administris lingua latina proferuntur.

3. Christifideles *inde a pueris* saltem faciliores et magis usitatas modulationes gregorianas addiscant, eisque etiam in sacris ritibus liturgicis uti sciant, ita ut hac quoque re Ecclesiae unitas et universitas in dies magis effulgeat.

B) Quid enunciandum de modulationibus *ipsi choro* destinatae? Quamvis fideles difficilius has melodias profusas et ornatas intellegant, horum attentio et imaginatio sic percellentur ut pietas utiliter excitetur et omnium voluntas Deo magis adhaereat.

Insuper nullatenus est obliviscendum S. Liturgiae cultum et praesertim cantus gregoriani dignam devotamque exsecutionem divini mysterii sensum, sacri silentii spiritum meditationisque affectus apud Christifideles fovere atque augere. Quod pulchrum nexum cum S. Liturgia Ecclesiae Orientalis constituit necnon quietem saluberrimam inter velocissimos pulsus nostri currentis saeculi.

---

[1] S. Rituum Congregatio: *Instructio de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958, n. 25: *A.A.S.,* 50 (1958), pp. 639-640.

[2] Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: *A.A.S.,* 48 (1956), pp. 16-17.

Ceteroquin fidelium participatio *interna* esse debet, nimirum pia animi attentione et cordis affectu exercitata uti expresse iam declarata « Instructio » enunciat.[3] Ad quam participationem intimius fovendam etiam iuvant praefatae gregoriani cantus modulationes.

Ad II. De isto cantu religioso populari summatim enuncianda sunt quae sequuntur:

1. Extra sacras aedes plurimum iuvat iste cantus praesertim in piis ducendis pompis et in peregrinationibus ad sacra templa, in multis Congressibus omnibusque associationibus apostolatus catholici, inter quas magnum obtinent locum quae puerorum et puellarum institutioni se devovent.

2. Inter sacra templa praefatus cantus utiliter cantari potest in actionibus et caeremoniis non liturgicis quae uno verbo « pia exercitia » nominantur; necnon in sacris actionibus liturgicis non solemniter celebratis uti v. gr. in Missa lecta.

3. Quinimmo vel in ipsis actionibus liturgicis solemniter celebratis post sacra verba liturgica latine cantata, praefati cantus usus cum Sanctae Sedis venia est tolerandus si pro locorum ac personarum adiunctis saecularis vel immemorabilis consuetudo prudenter submoveri non potest « firma tamen lege qua statutum est ne ipsa verba liturgica vulgari lingua canantur ».[4]

Ad III. Tertium principium duo praecipua edicit elementa:

1. Usus cantus sacri in Ecclesiis nuper erectis est promovendus iuxta modulationes musicas ingenio et consuetudinibus populorum proprias ita quidem ut « hae gentes suis religiosis canticis, quae non raro etiam excultis nationibus admirationem movent, similia opponant carmina sacra christiana, quibus veritates fidei, vita Christi Domini, ac Beatae Mariae Virginis et Sanctorum laudes lingua et modulationibus iisdem gentibus familiaribus, celebrentur » (ib., pag. 22).

2. Sicut in enunciando principio altero ita in proponendo tertio principio similiter est inculcandum cantus gregoriani usum non opponi gentium et populorum cantui sacro neque fas esse praefatum gregorianum cantum apud istas gentes neglegere uti solemniter in supradictis Litteris Encyclicis monet Pius XII: « Iidem autem Missionales memores pariter sint Ecclesiam Catholicam, inde ab antiquis temporibus, cum in regiones fidei lumine nondum collustratas Evangelii praecones mitteret, una cum sacris ritibus liturgicos quoque cantus, inter quos gregorianos modos, inferre contendisse, idque eo consilio ductam, ut populi, ad fidem adducendi, modulationum suavitate capti facilius ad christianae religionis veritates amplectendas permoverentur » (ib., pp. 22-23).

Litteralis et recta utriusque elementi interpretatio fundamentum utique praebet ad novum cantus liturgici genus creandum in ecclesiis nuper erectis iuxta sensum in tertii principii enunciatione profertum.

[21] Tribus praefatis. [22] sic. [23] deest. [24] deest. [25] deest. [26] verba quae sequuntur. [27] deest. [28] maternus spiritus. [29] perspicax animus. [30] ostenditur. [31] pedisequus et.

---

[3] N. 22: *A.A.S.*, 50 (1958), pp. 637-638.

[4] Pius XII, Litt. encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: *A.A.S.*, 48 (1956), pp. 16-17.

13

Exc.mus P. D. VILLELMUS KEMPF
Episcopus Limburgensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Liceat mihi quoque quaedam adnotare de musica sacra.

Pergratus sum rev.mis Patribus qui, defendentes dignitatem musisae sacrae, eam potius partem integralem Liturgiae quam eius ancillam haberi volunt. Utique, ipse cantus, in omni solemni Liturgiae celebratione, evenit eo ipso actio liturgica et quidem tribus ex rationibus, scilicet: [1] orationes nobiliore modo exhibens, *pias* [2] affectiones ac meditationes cordis fervide manifestans, necnon internam participationem actuosam efficaciter promovens.

Accedo ex animo, ergo, petitioni ut n. 90 schematis sensu praedicto emendetur.[3]

Porro, addatur in n. 94 *aliquod* [4] complementum (post lin. 31), *quod sic vel simili modo sonet:* [5] « Hodiernis temporibus, dum ubique terrarum Musicae opera per radiofusionem, televisionem, magnetophonia, discos sonantes inaudito modo divulgantur, viri periti ne obliviscantur opera Musicae *quodam* [6] sensu generaliore *sacrae,* puta sic dicta " Oratoria " musicalia, initiata a S. Philippo Neri, aliaque huiusmodi *opera,*[7] quae suo modo eximia praeconia sunt religionis christianae, etsi non immediate inserviunt cultui divino ».

Tandem, rogo ut, ad promovendam Musicae sacrae *ulteriorem* [8] evolutionem, in praxim deducantur vota ultimi Conventus Internationalis de Musica sacra, anno *elapso* [9] Coloniae habiti, imprimis *quoad* [10] illud decimum quoad Internationalem Organizationem Musicae sacrae instituendam.

Vota ista et schema quoddam Organizationis Internationalis trado scripto commissioni competenti.[11] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] In n. 90 schematis Musica sacra nuncupatur « ancilla Liturgiae ». Haec formula non videtur ipsam naturam Musicae sacrae sufficienter exhibere. Nonne in aliquo ritu cantato, i. e. in forma solemniore ritus (puta in Missa cantata) ipse cantus praecise est actio liturgica? In quacumque solemni Liturgiae celebratione Musica sacra dicenda videtur non tantum ancilla, sed potius pars integralis Liturgiae, et quidem. [2] deest. [3] Propono igitur, ut n. 90 schematis tali modo emendetur: « Musica sacra tam nobilem in Liturgia locum ex Patrum traditione habet, ut cuiuscumque solemnioris liturgicae celebrationis ipsa sit pars integralis, orationes suavius ac nobilius exhibens, pia cordis

meditationes et affectiones fervide manifestans, unanimitatem et internam participationem actuosam efficaciter fovens. Tanto ergo pulchrior et sanctior erit, quanto actioni liturgicae arctius connectetur ». [4] hoc. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] 1961. [10] votum. [11] deest.

14

Exc.mus P. D. ANDREAS SAPELAK

Episcopus tit. Sebastopolitanus in Thracia

Venerabiles Patres Conciliares,

Verba mea sunt de cap. V, de calendario recognoscendo, in pag. 192...[1]

Ut festum Paschatis certae diei dominicae assignetur, toto corde assentior. Quod autem in hac re etiam fratrum separatorum assensum petatur, speciatim cum gaudio accipio. Certe hi contactus atque collaboratio magni momenti erunt ad mutuam benevolentiam fovendam et unitatem firmandam.

Sed dum propositionem n. 85 laeto animo extollo, n. 86, de calendario fixo inducendo, mihi anxietatis causa est. Traditione enim Ecclesiae in re liturgica inspecta, causas proportionatas ad fovendam hanc magnam innovationem minime video. Cum theoretice utique discussio de hac re fieri possit, quod autem ad praxim pertinet, saltem haec duo argumenta gravioris momenti consideranda mihi videntur:

1. Post nimis luctuosas separationes orientalium et occidentalium regionum ab Ecclesia Catholica, multae divisiones ac differentiae inter christianos lamentandae sunt. Tamen fere omnes fratres separati — etsi duo calendaria, Gregorianum nempe et Iulianum, vigeant — diem dominicam eodem die mensis ac catholici celebrant. Hoc sine dubio magnum vinculum externum unitatis christianorum exstat.

Si introducatur novum calendarium fixum, etiam hic cardo communis vitae christianae et socialis fere omnium christianorum in periculo versetur, quia dies dominica in calendario fixo non incideret eodem die mensis ac in actuali calendario, itaque perdifficile erit omnes christianos hoc novum calendarium accipere.

2. Graviores, meo iudicio, consequentias introductio calendarii fixi haberet in his partibus orbis christiani quae sub atheisticis guberniis inveniuntur. Haec gubernia omnia experiuntur quae sensum christianum e cordibus eradicare possint, sed usque adhuc structura christiana hebdomadis quoddam moenium fidei remanet et ideo servanda.

Itaque, in hypothesi novi calendarii, aut adhuc vigens calendarium

in regionibus, de quibus supra diximus, permanebit et sic dies dominica novi calendarii cum die dominica veteris non concordabit, aut, hac occasione data, aliquod novum calendarium sociale ab atheis voluntarie *instauretur,*[2] quod procul dubio biblicam et christianam structuram minime conservabit.

Propositio: Propter has duas rationes, ceteris praetermissis, mihi videtur ab hoc Sacrosancto Concilio novo calendario favendum non esse, praesertim in praesenti discrimine mundi, cum fidem christianam omnes, viribus coniunctis, defendere debeant...[3] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] nn. 85 et 86. [2] instituetur. [3] Meo iudicio calendarium fixum nullo modo opportunum est, saltem in hoc tempore in quo maiora urgent et ergo omnino derelinquendum.

15

Exc.mus P. D. PAULUS L. SEITZ
Episcopus Kontumensis

Venerabiles Patres,

Assensum Conferentiae episcopalis Vietnam affero propositionibus capituli VIII in universum « de arte sacra ». Attamen, rogamus ut structura huius capituli ad traditionis fundamenta melius apta sit. Ideo:

1. Prooemium huius capituli artis sacrae munus clare doceat, tamquam Liturgiae ancilla. Duo vocabula tantummodo vicina sunt pag. 200, lin. 14, ubi dictum est: « spiritu artis sacrae et sacrae liturgiae ». Spiritus Liturgiae revera est criterium praecipuum quod ad artis sacrae opera diiudicanda accommodatum est. Oportet ergo id clarius apparere et tamquam principium in prooemio afferri. Aedes sacrae, imagines, et ornamenta non sunt nisi ad cultum; munus eorum non est nisi liturgicum. Quo principio adhibito, evanescentur cum *grandiloquentia* [1] et arrogantia tum indigentia et vulgaritas necnon omnis cultus indigna simulatio.

Sicut et Liturgia, omne artis sacrae opus oportet esse realiter actio sacra populi Dei. In omni regione opus authenticum in hac materia exsurgendum est ex christiana conscientia, quae doctrina assimilata et recogitata, formam accepit et secundum proprium genium expressionem invenit. Ab opinionibus *vulgaribus,*[2] sterilitate affectis, et operum industrialium spurcitiis liberatus, artifex christianus ad imaginem Dei continue creator factus erit (ut dictum est pag. 200, lin. 8).

Artis sacrae commissio dioecesis, intra liturgicam commissionem laborans, ut munus suum recognoscat artifices authenticos sui populi invenire ad adducendos eos, debite instructos, ut pro Ecclesia laborent.

2. Quia musica sacra tantum artis sacrae pars est, principia supra indicta ad eam conveniunt aequivalenter. Mihi videtur, inutile est capitulum in specie aperire. Eo quod hoc cap. VII non tam diserte scribetur, ...[3] et aliunde opiniones contineat non traditionales (v. g. quoad polyphoniam, pag. 196, lin. 23) et igitur sine universali valore (sicut agnoscitur pag. 197, lin. 23). In hac re non alliganda est Ecclesia.

3. Me stupefacit ut notae sub fine huius cap. VIII se referant solummodo ad scripta Pii XII et Sancti Officii, omissa alia fonte. Rogo ut Sancta Concilia Nicaenum et Constantinopolitanum ...[4] recordentur; et ideo, ut in hoc schemate addantur aliquae adnotationes, scilicet:

Sancta imago Salvatoris nostri, in eius pretiosa et vivificante cruce, sola, locum centralem supra altare tenere debet.

Imago « Theotokos », secundum locum habenda est, sicut vult traditio antiquissima. Maternitas eius etenim ratio devotionis nostrae est.

Illae Salvatoris et eius Matris imagines, solemniter benedictae et a fidelibus veneratae, non munus ornamenti sed munus liturgicum habent, sicut Sacrarum Scripturarum liber.

Non multiplicentur aliae imagines, praesertim pro populis qui sensum divinitatis immanentis in natura habent et non claram transcendentis divinitatis conceptionem.

Denique, sacra aedes, et ad paganos visibilis, signum verum praesentiae Ecclesiae Christi sit — Ecclesiae omnium et speciatim pauperum, sicut meminit Sanctissimus Ioannes XXIII — et notas ferat Evangelii: simplicitas, veritas, paupertas. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] grandiloquia. [2] vulgis. [3] (v. g. non est definitio « Liturgiae solemnis » pag. 195, lin. 23). [4] (Denz. 302, 337).

16

Exc.mus P. D. HERMANNUS VOLK
Episcopus Moguntinus

Venerabiles Patres,

Ad cap. VII (de musica sacra) primum dicere velim, illud valde placere, quia nonnulla quae ibi dicuntur necessaria videntur cum in cultu divino cantui magnum tribui debeat momentum. Non solum sacerdos

et schola, sed etiam populus cantare debet, quod *enim* [1] ritus Missae providet. Christiana enim communitas cultu liturgico ad « eucharistiam » et ad « eulogiam » congregatur quae etiam externe testificari debent. De quo scribit S. Paulus: « Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Deo et Patri » (*Eph.* 5, 18-20)...[2]

Si, *autem,*[3] chorus vel schola cantorum in cultu divino constanter et semper partes fidelium cantant, tunc fideles suo munere cantandi privantur, quod, proh dolor! non raro fit. Non excludamus ordinarium Missae interdum polyphonice cantari, sed est contra indolem actionis liturgicae si ...[4] in Missa in cantu communitas fidelium semper muta manere debet.

Iure effertur in n. 94 schematis, ut fideles in nostris regionibus suas partes modo cantus gregoriani cantare possint. Libenter ergo accedo ad votum em.mi card. Frings de fidelibus in cantu gregoriano simplicioris formae bene instruendis. Hoc autem solum non sufficit neque debet dici forma unica cultus liturgici. Nam alia res est melodia et alia res est lingua cantandi. Fideles, ut possint ex toto corde et tota anima cantando orare, suam partem textuum liturgicorum etiam in lingua vernacula cantare possint oportet. Propterea, omnes textus a schola et fidelibus cantandi etiam in lingua vernacula cantari permittatur. Fideles, qui celebrationis Missae magis magisque actuose participare desiderant, ulterius arcere non licet, quin lingua sua materna textus liturgicos cantent. Finis enim ...[5] cultus liturgici in eo est, ut *rationabiles laudes* [6] praestent Deo, secundum illud S. Pauli: « Orabo spiritu, orabo et mente, psallam spiritu, psallam et mente », et « In Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui ut et alios instruam, quam milia verborum in lingua »...[7] Propterea excusari non potest fideli fraudari cibo spirituali, id quod fieri existimo si fideles partem suam in sacra Missa non *umquam* [8] possunt agere in lingua vernacula. Optimum quodque non est nimis pro fidelibus. ...[9] Quod enim homo cantat illud profundius ingreditur in eius cor fortiusque exprimit id quod in eo est; quod autem homo non exprimit illud marcescit.

Res gravior fit ex eo, quod homines nostris temporibus in scholis modernis educati, in rebus politicis ad plenam maturitatem provecti, mediis audiovisivis utentes, non sunt in cultu Ecclesiae analphabetis aequiparandi. ... [10] Quapropter Sancta Synodus prudenter providere debet ne fideles magna spe fallantur. Nemo obiiciat deesse melodias dignas. Certo certius post aliquod tempus *melodiae novae* [11] aderunt, si Concilium Oecumenicum cantum liturgicum in lingua materna admiserit.

Optime dicitur in art. 91, quod « cantus lingua vernacula cantari

possunt » et non solum cantica. Per verbum « cantus » enim clare indicatur etiam ipsos textus liturgicos cantari licere. In eadem linea, autem, deleatur verbum « nonnulli » ut secundum exigentias regionum opportune cantari possit vel ordinarium vel proprium vel utrumque in lingua materna. In eadem linea etiam loco verbi « proponere » dicatur « determinare », « statuere » vel similiter ad mentem art. 24 in priorem formam restituendi.

Ceterum *autem* [12] attendatur, cantus in lingua vernacula, non tantum dum cantantur textus Missae, sed semper debere dignitati cultus christiani et fidelium correspondere. Non quivis cantus aptus est, qui in cultum divinum inducatur. ...[13] Ideo, par. 96, in pag. 197, maximi momenti est semperque attendenda.

Praeter curam pastoralem praestandam, etiam haec attendantur: si Sanctae Synodi curae est etiam in ambitu sacrae Liturgiae aliquid facere, ut christiani separati appropinquent — quod utique facile fieri potest — concedat ut fideles nostri suam Liturgiae partem in lingua vernacula cantantes peragant. *Fratres separati* [14] enim, cantum populi habent ut partem ipsius Liturgiae, dum apud nos fideles, aut cantent quod ipsi non intelligunt, aut quod intellegentes cantent, non ut partem ipsius Liturgiae peragere possint. Talis separatio inter ea quae cultu publico aguntur et ea, quae eodem tempore populus christianus peragit, magno damno est neque correspondet dignitati « plebis sanctae ». Ideo, e mandato a secretariatu ad unitatem christianorum fovendam, praesidente em.mo D. card. Bea, explicite mihi dato, propono haec: Benigne concedat Sancta Synodus ut illi textus sanctae Missae, qui sive scholae sive populo tribuuntur, cantari valeant in lingua vernacula, servata obligatione generali colendi etiam cantum gregorianum ...[15] lingua latina.

Ad cap. VIII, de arte sacra, in pag. 200, lin. 6, deleatur sententia: « Si etiam horum consultu iudicium tutum non invenitur, res Sanctae Sedi proponatur ». Nam religio in diversis regionibus diverso modo arte exprimitur. Propterea tales quaestiones in ipsis regionibus decidantur oportet, immo episcopi esse debet decisionem dare, quod ut fieri possit consilium peritorum exigere ei consentaneum erit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] etiam. [2] Etsi eo quod partes cantabiles cantantur, celebratio liturgica diuturnior fit, tamen non difficilior redditur, dummodo fideles suas partes ipsi cantare possunt. Falsum enim est cultum eo faciliorem, quo breviore tempore absolvatur. Facilis redditur eo quod claro et perspicuo modo celebratur et fidelibus praebet facultatem active participare, sicut dignitati fidelium correspondet. Sic adimpletur quod S. Paulus in communitate fidelium ad cultum collecta desiderat: « Quod vere Deus in vobis sit » (1 Cor. 14, 25). [3] deest. [4] in solemni forma sacrificii Missae celebrandi, id est. [5] prima-

rius. [6] rationabilem laudem. [7] (1 Cor. 14, 15-19; cf. 14, 11 ss.). [8] deest. [9] Ad hoc autem pertinet, quod fideles partes suas in lingua vernacula cantare possunt. [10] Quomodo fideles intelligant, si prohibentur a Concilio partes suas in lingua sua cantare? [11] deest. [12] deest. [13] Ex altera parte iam praestant exempli gratia multi psalmi probatis modulis cantandi. [14] Protestantes. [15] in.

17

Exc.mus P. D. EDMUNDUS NOWICKI

Episcopus tit. Thuggensis, coad. s. d. Gedanensis

Venerabiles Fratres,

In pag. 191, ad n. 83, supplementum humiliter proponere mihi liceat ac quidem de sacramento poenitentiae...[1]

Cum enim [2] in n. 82, elementa poenitentialia temporis quadragesimalis ...[3] explicentur, in n. autem 83 praxis poenitentialis — *etiam* [4] ipsum quoque ieiunium — iure merito inculcetur, sacrum etiam poenitentiae sacramentum *urgendum esse videtur,*[5] saltem ne *eius* [6] heic praetermissio erronee forsitan interpretetur, eo vel magis cum, proh dolor! a permultis fidelibus *negligatur.*[7]

Ulteriores animadversiones tradam secretariatui.[8]

Gratias.

In textu scripto tradito: [1] et de praecepto Communionis paschalis. Verum est, Concilio oecumenico ad singula nimis descendendum non esse. [2] I. At cum. [3] saluberrime. [4] in specie. [5] necnon praeceptum Communionis paschalis urgenda esse videntur. [6] eorum. [7] negligantur. [8] II. Cum autem causa talis negligentiae pro magna parte horror sacramentalis confessionis videatur, ignorantiae potius debitus circa illud « quid », « cur » ac « quomodo », eapropter, ut confessio illa sancta fidelibus facilior, immo desiderabilis fiat nec non ut effectus Sacramenti huius durabiles reddantur, reverenter proponere mihi permitto, ut Sacrosanctum Concilium Oecumenicum pastores animarum, in specie autem concionatores quadragesimales moneat:

a) ut fidelibus aptius demonstrent, quantopere sacramentalis confessio non solum vitae supernaturali sed etiam terrestri eorum itineri prosit, in specie vero illam sacramentalis rationem proclament, quae a doctoribus « alleluia-sacramentum » (« sacramento dell'alleluia ») nuncupatur.

b) Ut fideles ad confessionem sacramentalem sedulo praeparent, ac quidem non solum contionibus sed etiam — praevia oratione ad Spiritum Sanctum — particulari examine conscientiae, quod fidelibus alta voce prudenter ac devote suggerant — sive immediate post singulas contiones — circa nempe argumenta in contione exposita, sive immediate ante confessiones populi excipiendas, additis actibus contritionis et salutarium propositorum.

Ut humilibus verbis meis parcam, remittere fas esto ad argumenta hac in re sapientissime exposita a Summo Pontifice, b. m. Pio XII, quae videri possunt in collectione *Discorsi e Radiomessaggi* (e. gr. vol. VI, pag. 316 etc.).

18

EXC.MUS P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifatii

Venerabiles Fratres,

...[1] Circa cap. VI quasdam emendationes et mutationes humiliter propono. Et primo, quidem, ut in lin. 2 introductionis vocabulum « pulchritudinem » substituatur vocabulo « pretiositatem ».

Rationes tres hic exhibentur:

1. ...[2] Res pretiosae non semper secumferunt pulchritudinem, et vice versa pulchritudo potest haberi in supellectile sine pretio eximio.

2. Pulchritudo si cum rebus pretiosis identificatur, tunc recursus fovetur ad imitationes ex se minori pretio, quae illusionem pretiositatis producere possunt, sed nec authenticitatem nec pulchritudinem genuinam — quae ambae cultui divino decent — secumferunt.

3. Laus divina certe haberi potest in spiritu paupertatis cum vera dignitate. Multum faciunt hodie fideles quemdam sensum paupertatis in domo illius qui in stabulo nasci voluit.

Deinde loco paragraphi 2 eiusdem introductionis, aliquomodo deficientis, haec instituenda videntur:

1. At ipsa quoque historia testatur decursu temporum nonnullos, hac in re, abusus irrepsisse, sive propter vanitatem humanam, nimis amplificando externa ornamenta cultus, sive propter negligentiam, non satis curando de decore illarum rerum, sive propter nimium desiderium proprii commodi vel propter degradationem sensus pulchri.

2. Progressus artis technicae cotidie nova elementa producit quae elementis naturalibus usu traditis optime sociari possunt ad cultus decorem augendum.

3. Necessaria est aptatio sacrae supellectilis tum restaurationi liturgicae tum renovationi artis sacrae.

Ratio est quod in hac paragrapho incipiente a verbis « Ratio insuper... », insinuari videtur omnes mutationes in sacris supellectilibus esse abusus; quod uti patet admitti non potest.

Circa art. 87, lin. 21: verbum « paramentorum » per verbum « indumentorum » substituendum videtur. Et ratio evidens est.

Ad art. 88, hanc additionem propono: Magna cum diligentia curent

Ordinarii ut sacrae supellectiles debite aptentur conditionibus particularibus tum culturae tum authentici sensus aesthetici populorum suorum.

Ratio est ut Ordinarii locorum magis urgeantur ad quaestionem de sacra supellectile perpendendam et promovendam.

Post art. 88 duae aliae paragraphi utile addendae mihi videntur:

1. De artificum institutione nempe: « Curent Ordinarii ut per commissionem artis sacrae vel omnibus aliis aptioribus mediis, omnes qui sacras supellectiles et praesertim vestimenta sacra conficiunt vel vendunt debitam institutionem recipiant secundum normas tum *disciplinares ecclesiasticas* [3] tum artis sacrae ».

Ratio est quia multi abusus in hac materia maxime proveniunt ex incompetentia et imperitia.

2. De recognitione disciplinae ecclesiasticae: « Decreta et statuta ecclesiastica circa sacras supellectiles recognoscantur et aptentur renovationi liturgiae et artis sacrae ita ut quaedam superflua sive quoad usum sive quoad symbolismum removeantur ».

Ratio est quia quaedam (v. g. partes indumentorum) ...[4] sunt inutilia, *eorum* [5] symbolismus hodie nihil significat.

Circa cap. VII, art. 91 sic legatur: « Forma nobilior Liturgiae celebrationis est Liturgia solemnis cum participatione populi celebrata ».

Ratio est quod lingua latina nullo modo est de natura Liturgiae solemnis, sed utile de historico facto et *hodiernae* [6] legis determinatione, dum e contra actuosa populi una cum clero participatio, in quantum ex ea cultus plenior fiat, ad essentiam solemnitatis authenticae attingat.

Iterum, circa cap. VII, art. 94 sic legatur: « Ecclesia cantum sacrum agnoscit tamquam suae Liturgiae conveniens qui, dum musicae artis legibus concordet et liturgiae dignitati, gravitati, sanctitatique non repugnet, fidelium actuosam participationem fovet ».

Tandem, circa cap. VIII, art. 96, linn. 5 et 6 sic legantur: « Cantus naturae singularum actionis liturgicae partium plane congruant, evolutionem celebrationis ne protrahant et fidelium facultati exsecutionis conveniant ».

Ratio est quod brevitas et facilitas, de quibus in textu, valoris cantus artistici criteria non sunt, sed utique, necessitas convenientiae inter cantus et actionis liturgicae sensum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Animadvertenda quaedam ante medium septembris iam misi. Sed ex colloquiis cum aliis episcopis canadensibus habitis, pauca alia in forma emendationum circa capp. V, VI et VII mihi proponere liceat. Circa cap. V, art. 86, prima pars sic legatur: « Sacrosanctum Concilium declarat se esse paratum ad incepta auctoritatis civilis aut procurationum de hac re fovenda ». Ratio est formae negativae in textu substituere sententiam magis positivam qua suam

cooperationis intentionem (saltem in rebus ad cultum divinum attingentibus) Ecclesia declarat. [2] Distinguere oportet inter « pretiositatem » ac « pulchritudinem ». [3] disciplinae ecclesiasticae. [4] sunt quae. [5] et quorum. [6] ex hodierna.

19

EXC.MUS P. D. IOSEPH CHENG TIEN-SIANG
Episcopus Kaohsiungensis

Venerabiles Patres,

Circa cap. V tria tantum puncta volo dicere.

1. Quoad caeremonias festivas: huiusmodi caeremoniae liturgicae, in diebus dominicis et festivis, omnino debent esse simplices et breves, quia Dominus noster Iesus Christus praecepit ut adoremus Deum in spiritu et veritate non vero in *pompis* [1] exterioribus et ritibus superfluis. Brevitas et simplicitas caeremoniarum etiam convenit mentalitati nostri temporis moderni. Praeterea, cultus liturgicus non est alius quam oratio publica populi. Iamvero, oratio, secundum S. Thomam, non est alia quam elevatio mentis ad Deum. Unde, cultus liturgicus non debet hoc modo facere quod populi mens elevetur non ad Deum sed ad hominem vel ad cultus exteriores.

2. Quoad festa de praecepto extra diem dominicam: huiusmodi festa de praecepto omnino debent esse pauca, ne magis *damnum* [2] quam sanctificationem animarum afferant. Nunc, autem, hodierna die, huiusmodi festa celebrata sunt sicut festa Epiphaniae, Corporis Christi, Ascensionis et Assumptionis, Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis, S. Ioseph et Omnium Sanctorum: transferri debent (saltem eorum solemnitas vel obligatio) in diem dominicam subsequentem vel praecedentem.

Rationes huius propositionis sunt:

1. De facto multi christiani iam non *practice* [3] et bene observant talia festa nec sacrificio Missae adsunt illis diebus.

2. Praesertim et specialiter in Missionibus ubi talibus diebus non datur vacatio. Fere impossibile est pro christianis obligationem suam adsistendi sacrificio Missae implere. Unde, ut dixi, talia festa extra diem dominicam non tantum non conducunt ad sanctificationem animarum sed potius eis *damnum* [4] inferunt. Rogatur igitur, ut Sacra Synodus facultatem concedat episcopis, praesertim in Missionibus, transferendi talia festa de praecepto (saltem eorum solemnitatem et obligationem assistendi Missae) in proximam diem dominicam, sicut de facto in Sinis iam fit pro festo Corporis Christi.

3. Circa cap. VIII, de arte sacra adhuc aliqua verba volo dicere.

Optime dicuntur in n. 99 huius capitis, sub lin. 21. En verba haec: « Nostrorum etiam temporum, atque omnium gentium et regionum ars liberum in Ecclesia campum habet, quae sacris aedibus sacrisque ritibus debita reverentia debitoque honore inserviat, etc. ». Iamvero, sicut ars sinensis, quae multoties fini et moribus ad christianae pietati digna esse invenitur atque utilis, eaque magna cum aestimatione apud populum nostrum aliosque populos Extremi Orientis habetur, ideoque, ad usum sacrum, valde idonea censeatur.

Humiliter, ergo, rogo ut Sacrosanctum Concilium Oecumenicum clare ac stricte proponat (et haec verba debent adiungi in n. 99) ut: « Omnes missionarii ubicumque Evangelium Dei praedicantes magna cum reverentia ac summa cum aestimatione artem cuiuscumque populi habeant, eamque, quae fini et pietati christianae digna sit, diligenter conservent atque promoveant ad maiorem gloriam Dei et splendorem Sanctae Matris Ecclesiae ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] fontibus. [2] malum. [3] practicent. [4] malum.

20

Exc.mus P. D. MICHAEL DARIUS MIRANDA Y GÓMEZ
Archiepiscopus Mexicanus

Venerabiles Patres,

Iuxta mentem huius constitutionis de sacra Liturgia (ut nempe normae tantum generales et altiora principia generalem liturgicam institutionem respicientia proponantur), liceat mihi ipsum obiectum schematis, *de musica sacra,* generaliter et fundamentaliter attingere.

1. Finis pastoralis est nota *praevalens* [1] in toto hoc schemate, quod probe omnibus laudibus cumuletur dignum est.

At finis pastoralis recte et adaequate est accipiendus; secus sub specie pastorali contra rationes vere pastorales militaremur.

Re quidem vera, S. Pius X, qui iure meritoque habetur uti restaurator Liturgiae pastoralis in hoc saeculo, huic pastorali restaurationi initium feliciter dedit per restaurationem musicae sacrae, cuius recta principia clare posuit atque progressus vias indicavit ac ipse efficaciter operatus est. Et merito quidem, cum sacra Liturgia nata sit sollemnis, et ideo cum cantu; unde musica sacra, utpote sacrae Liturgiae solemnis pars necessaria, eiusdem sacrae Liturgiae est quasi administra.

Non datur, igitur, verus progressus Liturgiae pastoralis sine progressu musicae sacrae.

Profecto viam quam S. Pius X aperuit, Pius XI, Pius XII, Ioannes XXIII ac plerique episcopi sollerter ita aggressi sunt, ut una simul cum vitae pastoralis progressu musicam sacram apprime fovissent uti vitale eiusdem progressus elementum.

At contra est in schemate de musica sacra nobis proposito, in quo mirabiles progressus musicae sacrae nedum continuantur, interrumpuntur potius, immo nos retrotrahit. Si non progredi, regredi est, quid si consulto regredi statuimus? Ruina erit illius mirabilis aedificii pastoralis, cuius fundamenta S. Pius X iecit Motu Proprio *Inter pastorales officii sollicitudines*. Quod velim ne excidat a nostra mente. Falso enim putaremus, quo minus musicam sacram viam suam in sacra Liturgia agere, eo magis augeri efficaciam pastoralem eiusdem Sanctae Liturgiae.

2. Hoc Concilium Oecumenicum est occasio vere unica, quam divina Providentia omnibus totius orbis episcopis cum Summo Pontifice coadunatis praebet confirmandi non solum quae ipsi Summi Pontifices ac episcopi de musica sacra sapienter statuerunt ac sollerter ad exsecutionem perduxerunt, sed praesertim, ulterius ampliandi mysteriosam efficaciam musicae sacrae in cultu catholico.

Prae oculis habeamus musicam hodie ita vitam et culturam populorum penetravisse, ut nulla fere exstet humana manifestatio quae musica sit destituta.

Quid dicent fideles nostri, si sciant Patres Concilii Vaticani II musicam sacram postremum reduxisse locum in vita liturgica, cum contra omnibus pernotum sit Ecclesiam fuisse Matrem et Magistram in hoc etiam, quod divinam musicae artem cum Evangelio in omnes populos iam a primaevo introduxit ac fovit?

Angustia temporis pressus, a probationibus ac illustrationibus abstineo eorum quae summis labiis innui, quaeque apud probatos auctores abunde inveniuntur.

Interim enixe rogo vos, venerabiles Patres, ut schema opportune amplietur et reformetur in sensu veri ac sani progressus musicae sacrae iuxta SS. Pontificum ac episcoporum laudabilem traditionem, quae probe confirmetur et augeatur opportunum est, si velimus verum sacrae Liturgiae pastoralis progressum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

21

Exc.mus P. D. IOSEPH LÓPEZ ORTIZ
Episcopus Tudensis-Vicensis

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Emendationem proponere audeo ad par. 82, in cap. V, hunc in finem, videlicet, ut revelatio Veteris Testamenti aptiori et vividiori ordine commemoretur in sacra Liturgia, praesertim tempore Adventus quod aptius videtur ad revocanda in christifidelium mentibus mirabilia Dei quibus adventum Unigeniti a lapsu protoparentum paravit.

Veteris Testamenti revelatio non apto ordine in Liturgia laudatur, immo et nonnulla facta et quidem magni momenti fere omittuntur. Lectiones libri Genesis adhuc tempore quadragesimali servantur ratione ineptae supputationis qua credebatur Dominum mundum creavisse hisce diebus. Ex ceteris libris Pentateuchi perpauca leguntur.

Sacra Liturgia suo peculiari magisterio, in oratione docens, hominibus qui angustioso affectu sensus historiae perquirunt, suadere potest divinam et misericordissimam paedagogiam, qua Dominus homines lapsos ad Redemptorem ducebat.

Hac liturgica repristinatione, de Christo venturo Patribus tradita revelatio, in sua prodiga effusione amabilissima, ab omnibus perciperetur. Immo et ipsi populo Iudaico, cuius ad Christum reditum et a Domino rogamus et speramus, fortasse ansa praeberetur ut benevolentiori animo oculos ad Ecclesiam converteret.

Sensus exspectationis populi electi preces adventales pervadit, quibus etiam aptissime christifideles utuntur ut sua desideria Deo commendent de reiterato adventu Christi in animas redemptas.

Attamen ut haec omnia debito gressu evolvantur spatium 4 hebdomadarum certe non sufficit. Quapropter, optandum iudico ut initium huius temporis aliquot hebdomadibus anticipetur, ex quibus ut exempla afferam, prima dicari posset commemorationi creationis, lapsus et primae promissionis liberatoris; altera commemorationi foederis Domini cum Abraham, Isaac et Iacob; in tertia, vero, promulgatio legis mosaicae laudaretur, quae quidem maximi momenti in historia revelationis, fere ab hodierna Liturgia abest; in quarta, *exempli gratia,*[1] instauratio sacerdotii veteris legis; in quinta genus davidicum, ex quo Christus nasceretur; in ceteris denique praestantiora ex Prophetis.

In ipsa Liturgia hodierna Adventus nonnulla immutanda videntur. Lectiones Breviarii non tantum ex Isaia *sumendae essent.*[2]

Peritis haec commendanda videntur etiamque utrum in cyclo Adventus servandus sit sensus Parousiae, ut hodie fit in prima dominica, immo utrum reintegrari oporteat festum Annuntiationis B. Mariae Virginis, ut in primaevis liturgiis mos erat.

Ad formularia paranda Proprii de Tempore Adventus e S. Scriptura et ex Patribus textus facillime excerpi possunt. Ex Evangeliis et Epistolis textus assumendi essent, *meo iudicio,*[3] et quidem non satis fidelibus cogniti in quibus Dominus Iesus eiusque discipuli iudicia proferunt de factis supra commemoratis. Orationes pulcherrimas invenire fas est in veteribus monumentis liturgicis...[4] Responsoria et preces litanicae peculiarem difficultatem non praebent.

His rationibus ...[5] emendationem proponere audeo ad n. 81, *hisce verbis*:[6] « Ideoque: *a*) Impensius aptiorique ordine commemoretur revelatio Patribus facta, quae in libris Veteris Testamenti continetur, praesertim huius revelationis praestantiora momenta: promissiones liberatoris eiusque praefigurationes et typi, immo diuturna et ardens exspectatio populi electi. Quod ut convenienti modo fieri valeat, initium temporis Adventus aliquot hebdomadibus anticipetur, in quibus fideles simul ac in sacra Liturgia participant, de hisce veritatibus edoceantur. *b*) Quae in nn. 82 et 83 continentur sub paragraphis *b*) et *c*) ordinentur ».

Aliam emendationem mere verbalem scripto tradam secretariae.[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] adsumi debent. [3] deest. [4] necnon et in hymnis. [5] suffultus. [6] schematis addendam. [7] Ad vocem « communitarius », quae non semel in proposito schemate adhibetur, v. g. in pp. 164, 168, 179, haec animadvertere velim:

1. Vox illa meo quidem iudicio adhibenda non videtur: *a*) primo, quia non est vox latina, quippe quae neque ab auctoribus classicis neque ab auctoribus christianis adhibita fuerit; *b*) secundo, quia vox vernacula, quae voci latinae efformandae occasionem praebuit, non multos ante annos a modernis quibusdam auctoribus inventa est (cf. eph. *Esprit,* 1930) ea intentione, nisi fallar, ut bona quae insunt vel inesse videntur systemati communismi evehi possent quin communismi vel communistae voces, quae male sonant, adhiberentur.

2. Munus et gloria Concilii non est modernorum vocibus morem gerere, sed novi problematibus solvendis, ab hodierna societatis conditione propositis, antiquam Ecclesiae doctrinam accommodare ipso modo loquendi ecclesiasticae traditionis, quantum fieri potest, retento.

3. Porro idea quam constitutionis schema per vocem « communitarius » exprimere vult, Patribus Ecclesiae ignota non fuit eamque ipsi per aliam vocem, nempe per vocem « socialis » deprompserunt. Quos inter Patres duos citasse sufficiat:

a) S. Augustinum, qui vitam, quam monachi ducunt in communi, socialem

vocat: « placuit illis, inquit de clericis qui secum vitam communem ducebant, placuit illis, Deo propitio *socialis* haec vita » (*Serm.* 356, 14; PL 39, 1580); quique vitam Sanctorum in caelis socialem dicit: « ... unde, inquit, ista Dei civitas... si non esset vita *socialis* sanctorum? » (*De civ. Dei,* XIX, 5; PL 41, 631); immo qui eo usque procedit ut, amorem « socialem » ab amore « privato » distinguens, asseveret super alterum — nempe amorem socialem — civitatem Dei super alterum vero, i. e. amorem privatum, civitatem diaboli fundari. En eius verba: « Duo amores, quorum... alter *socialis* alter *privatus* ... distinxerunt conditas in genere humano civitates duas... alteram iustorum alteram iniquorum » (*De Genesi ad litt.* XI, 15, 20; PL 34, 437).

b) S. Gregorium Magnum, qui et ipse de vita eorum loquens qui vitam communem ducebant per vocem vitae « socialis » illam designat. « Tres, inquit, pater meus sorores habuit, quae.... sub districtione regulari degentes, in domo propria *socialem* vitam ducebant » (*Hom. in Ev.,* 38, 15; PL 76, 1290-91).

4. Igitur, cum et ideam et vocem habeamus apud Ecclesiae Patres propono ut ubi in schemate constitutionis de sacra Liturgia vox « communitarius » occurrerit vox « socialis » adhibeatur.

Hanc emendationem, parvam quidem, non autem, quantum video, nullius momenti, debita cum reverentia Sacrosancto Oecumenico Concilio Vaticano II frater Ioseph López Ortiz, episcopus Tudensis-Vicensis in Hispania, proponit.

22

Exc.mus P. D. IOANNES POHLSCHNEIDER
Episcopus Aquisgranensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Ad cap. V, de anno liturgico, et quidem ad n. 83 nonnullas animadversiones facere mihi liceat.

Proponere velim sequentia:

1. In n. 83 mentio fiat ante omnia sacerdotes ipsos ex amore erga Deum et homines semper, praesertim autem tempore quadragesimali et diebus quattuor temporum, sincero animo debere spiritum abnegationis et imitationis Christi crucifixi colere.

2. Christi fidelibus ieiunia stricto sensu imponantur feria IV Cinerum, feria VI in Passione et Morte Domini et Sabbato Sancto usque ad meridiem.

Praeterea autem constanter et systematice moneantur ut saltem tempore quadragesimali, viam crucis Christi sequentes, determinata sacrificia, v. gr. coarctationem quoad spectacula et sic dictam televisionem suscipiant.

Rationes sunt: Probabiliter omnibus venerabilibus Patribus persuasum est disciplinam antiquam quoad ieiunia temporis quadragesimalis in Ecclesia restaurari non posse. Homines nostrae aetatis in festinatione

vitae modernae et propter nervositatem physiologicam late divulgatam leges severas ieiuniorum fere communiter non iam acceptarent et forsitan plerique adimplere non possent. Neque nos episcopi et sacerdotes tales leges efficaciter urgere possemus, quia nosmetipsi generatim putamus, — et quidem probabiliter iure putamus — ieiunium in proprio sensu vires nostras necessarias pro ingentibus laboribus pastoralibus in mundo hodierno nimis debilitare. Sine exemplo visibili ex parte sacerdotum autem, exhortationes ad populum inefficaces remanere debent.

Sed ex altera parte nos omnes scimus vitam christianam pro diurno existere non posse sine spiritu poenitentiae et abnegationis. Iesus Christus Dominus et Magister noster viam crucis antecessit et ipse monet nos: « Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me » (*Mt.* 16, 24). Factum luctuosum, quod permulti homines nostrae aetatis hoc monitum Christi obliti sunt, est una ex radicibus principalibus malorum moralium in hodierna vita christianorum.

Cur tot homines catholici sine haesitatione praecepta ecclesiastica quoad celebrationem dierum dominicarum et festorum transgrediuntur? Cur leges divinae in matrimonio non observantur? Cur tantam inopiam vocationum ad sacerdotium deplorare debemus?

Ratio principalis est fuga ante crucem et onera vitae. Materialismus et voluptatum cupiditas magis ac magis homines dominare incipiunt et ita verbum Domini in oblivionem cadit: « Regnum caelorum vim patitur et violenti rapiunt illud » (*Mt.* 11, 12).

Quare, si omnia restaurare volumus in Christo, primo loco spiritum poenitentiae et abnegationis in pastoratione fidelium colere et urgere debemus.

Hoc autem postulat, ut sacerdotes exemplo persuadente antecedant, et quidem ex amore erga Deum et homines.

Fideles videant eorum sacerdotes serio animo, specialiter tempore quadragesimali et diebus quattuor temporum, sacrificia personalia assumere, v. gr. abstinentes a fumando, a cibis iucundis, praesertim, autem, maxima cum fidelitate necnon abnegatione officia sacerdotalia et labores pastorales peragentes.

Omnes, id est, tam sacerdotes quam fideles semper memores esse debent verbi Magistri nostri: « Qui non baiulat crucem suam et venit post me non potest meus esse discipulus » (*Lc.* 14, 17). Dixi.

Praeses card. ALFRINK:

Audire velint omnes. Consilium praesidentiae proponit huic almo coetui ut cum hoc ultimo oratore discussio de schemate constitutionis de sacra Liturgia concludatur.

Patres Venerabiles, qui huic proposito favent, velint se levare. [*Fere omnes Patres surgunt*].

Sedeant omnes. Crastina die igitur incipiet disceptatio de schemate constitutionis *de fontibus revelationis,* quae est prima in serie distributa. Et quidem incipiet disceptatio de schemate in genere.

Patres Venerabiles, qui occasionem loquendi non invenerunt de schemate de Liturgia, tradant scripta sua secretariatui generali. Et nunc loquatur secretarius generalis.

Secretarius generalis: Feria V proxima celebrabitur Consistorium in hac alma Basilica. Ad illud omnes Patres humanissime invitantur. Crastina dabuntur meliores et fusiores explicationes.

Praeses: Nunc reponitur Sanctum Evangelium. Surgant omnes.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAPP. V-VIII SCHEMATIS DE S. LITURGIA

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD CAPP. V-VIII SCHEMATIS DE S. LITURGIA *

1

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DOEPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Propositio: Capita sequentia: VI. De sacra Supellectile; VII. De Musica sacra; VIII. De Arte sacra, praesentis schematis constitutionis *de sacra Liturgia* multa continent, quae optime composita sunt et grato animo a nobis recipi debent. Tamen in quibusdam partibus videntur esse nimis longa atque verbosa. Unde propono, ut tria haec capita contrahantur in unum.

Rationes propositionis meae. Multa dicuntur in his capitibus, quae semel positis principiis fundamentalibus, quasi per se et necessario sequuntur. Ita v. gr. ex paucis quibusdam principiis fundamentalibus profluunt, quae in nostro textu ample disseruntur de aptatione supellectilis vel instrumentorum vel ipsarum artium ad usum liturgicum; de institutione artificum, cleri, populi; de invigilantia episcoporum; de adhibendis peritis; de condendis commissionibus. Non videtur necesse esse haec omnia fuse tractari a Concilio Oecumenico. Historia Conciliorum docente solummodo res graves et fundamentales et maximi momenti ab ipsis tractandae sunt. Cetera sine ullo detrimento relinqui poterunt, quod spectat ad nostrum casum, illi commissioni, cuius erit executio huius constitutionis, postquam ipsa solemniter approbata fuerit.

Ceteroquin obiecta trium illorum capitum sunt sibi invicem valde propinqua et saepe in unico conceptu comprehendi possent. Sic Musica in notione artis iam includitur, item sacra supellex cum eadem arcte connexa est.

Qua de causa commendo contractionem trium capitum, per quam tota constitutio formam breviorem et magis concinnam et simul speciosiorem assumeret.

Specimen emendationis. Uti supra iam innuitur, ipsa principia fundamentalia retineri et in unico novo capitulo colligi debent. Quod capitulum apte inscribetur: « Caput VI: De Arte Sacra » et continebit numeros fere sequentes:

1) (Prooemium). « Inter nobilissimas ingenii humani exercitationes ...

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt, quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt vel demum disceptatio clausa est.

quae sequuntur decernere » (Textus qui iam exstat in nostro schemate, cap. VIII, pag. 199, linn. 1-18).

2) Ecclesia omni arti cuiusvis saeculi vel nationis vel culturae libenter aperit portas ad Liturgiam, si idonea est ad laudem Dei et salutem animarum.

3) Propter summas differentias inter mentalitatem et gustum diversarum regionum causa relinquitur episcopis singularum regionum.

4) Quoad Musicam sacram in ritu latino specialis praerogativa competit cantui gregoriano, ita ut ceteris paribus semper obtineat primum locum.

5) Canones et statuta ecclesiastica ... retineantur vel introducantur » (Textus prouti iam legitur in schemate nostro, cap. VIII, n. 104; pag. 200, linn. 21-31).

2

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Emendationes ad capita V, VI, VII et VIII schematis constitutionis *de sacra Liturgia* a Conferentia episcoporum Chiliensis Ditionis (Chile) propositae.

Ad caput V: *de anno liturgico.*

Pag. 190, lin. 5. Loco verbi « magna » proponitur « maxima ». Ratio: quia revera festum Paschatis maximum est in anno liturgico.

Pag. 190, lin. 12. Oratio, quae incipit « Quin immo » usque ad lin. 15 « exaltat », sic mutetur: « In hoc annuo mysteriorum Christi circulo celebrando, Sancta Ecclesia Beatam Mariam Dei Genetricem cum amore memorat, cui Deus magna fecit et in qua veluti... ». Ratio: verbum « mysterium » in usu biblico et patristico refertur ad oeconomiam salutis in Christo peracta in qua habet etiam partes Beata Maria Virgo. Videtur ergo rectius hoc verbum tantummodo referre ad totalitatem oeconomiae Christi. Formula proposita insuper magis favet sano oecumenismo, scilicet desiderio proponendi veritates fidei verbis quibus fratres non catholici facilius nobiscum conveniant.

N. 83, pag. 192, lin. 4. Post verbum « opportunitatem » addatur « et rationabiles consuetudines locales ». Ratio: ne verbis paragraphi tollatur vis indultorum quae pastoralibus ex causis promulgata sunt.

N. 84, pag. 192, lin. 12. Pro verbo « iis » proponitur « paucis ». Ratio: ut melius vitetur augmentum festorum quae aliena manent affectibus plurimorum fidelium.

Ad caput VI: *de sacra supellectile.*

Pag. 193, lin. 9. Post verbum « irrepsit » addatur « ita ut signa sacra interdum amiserint suam spiritualem ac evangelicam significationem ». Ratio: peropportunum videtur ut Sancta Synodus votum supralaudatis verbis expressum edat, quo excessiva ornamenta ad dignitatem et sobriam pulchritudinem minime conferentia, quin immo potius vanitatem vel etiam inopportunam magnificentiam aut locupletem pompam redolentia tollantur.

N. 87, pag. 193, lin. 21. Post verbum « manent » addatur « attamen semper et disserta simplicitas et evangelica sobrietas aperte serventur ». Ratio: eadem ac immediate supra.

N. 89. Optatur ut hic parva clausula inseratur de simplificandis tum vestibus tum ritibus pontificalibus.

Ad cap. VII: *de musica sacra.*

N. 91, pag. 195, lin. 23. Omittantur verba « lingua latina ». Ratio: primo, quia non probatur huius linguae usus aut intrinsece aut extrinsece ad sollemnitatem pertinere. Et insuper quia si lingua vernacula ut liturgica admittitur non adest ratio cur ad solam liturgiam « lectam » coarctetur; secus fidelium amplissima participatio ut quid contrarium sollemnitati appareret.

Pag. 195, lin. 28. Integra oratio sic mutanda proponitur: « Proinde sit Conferentiae episcoporum in singulis regionibus statuere ut nonnulli cantus lingua vernacula peragi possint, actis a Sancta Sede recognitis, ad normam n. 24 huius constitutionis ». Ratio: eadem est quae pro emendatione n. 24 cap. I iam allata fuit, et insuper ad servandam uniformitatem in tota constitutione.

N. 94, pag. 196, lin. 20. Oratio sic mutetur: « Ecclesia cantum gregorianum agnoscit tamquam liturgiae romanae proprium... ». Ratio: vitanda videtur revindicatio cantus gregoriani tamquam « Ecclesiae Romanae » proprii, quia his verbis quandoque tota et unica Christi Ecclesia designatur. Neque de « liturgia latina » oportet loqui cum alii latini ritus sint praeter romanum.

N. 95, pag. 196, linn. 36 et 37. Haec oratio omittenda est. Ratio: nemo sane est qui dubitet de possibilitate immo de opportunitate novas melodias componendi secundum recentiora artis musicae placita. Attamen alia omnino res et prorsus diversa est hodierna productio musicae vere gregorianae. Quod, peritorum iudicio, res est difficultatibus fere insuperabilibus obnoxia.

N. 97, pag. 197, lin. 11. Post verbum « regionibus » addendum est « praesertim ». Ratio: ne excludantur regiones ubi pares agendi causae inveniuntur quin proprie inter missiones connumerari possint.

Pag. 197, lin. 17. Post verbum « apostolatu » addendum est « praesertim ». Ratio: eadem ac pro emendatione allata.

Ad caput VIII: *de arte sacra.*

N. 104, pag. 200, lin. 31. Addatur sequens oratio: Inter alias hac in re fontes adhibendas, prae oculis habeantur quae in « Declaratione » huius paragraphi, in textu commissionis praeparatoriae inveniuntur. Ratio: quin tota « Declaratio » textui constitutionis conciliaris inseratur, quia tamen in illa multa valde utilia inveniuntur, opportunum videtur ut in ipso constitutionis textu de ea tamquam fonte mentio fiat.

3

EXC.MUS P. D. ALFREDUS ANCEL

Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Textus huius capitis omnino placet: attamen mihi videtur deesse aliquam paragraphum, scilicet de vitanda in artis sacrae operibus qualibet occasione scandali, praesertim quoad pauperes, debiles in fide vel acatholicos.

Scitis, venerabiles Patres, innumeras esse regiones in quibus homines famem patiuntur, vestimentis carent, domos decentes non habent. Nonne pauperes, qui in extrema necessitate versantur, tristitia afficiuntur quando vident nimias expensas ad aedificationem vel exornationem sacrorum templorum consumi? Nonne pauperes membra sunt Christi? Immo sunt ipse Christus, qui in eis esurit, nudus est, atque non habet ubi caput reclinet. Mementote verborum Sancti Ioannis Chrysostomi aientis: « Quae utilitas, si mensa Christi sit aureis poculis onusta, ipse vero fame pereat? Primo esurientem imple, et tunc ex perabundanti mensam eius exorna ». Dicebat etiam: « Quid opus est auro intexta velamina mensae apparare, ipsi vero nequidem necessarium tegumentum praebere? ». Et concludebat: « Haec porro dico, non prohibens ut haec ornamenta adhibeantur, sed ut haec etiam cum aliis curentur; immo hortor ut haec prius quam alia fiant. Ne itaque, dum domum exornas, afflictum fratrem despicias: nam hoc templum illo pretiosius » (Hom. L in Matth., PG. 58, 509).

Curandum igitur est ut in omnibus prioritas detur pauperum necessitatibus. Nam dignitas ipsius Christi in immensum templorum dignitatem superat. Ceteroquin, secundum peritos, pulchritudo domus sacrae non ex magnitudine expensarum, sed ex authentia artis pendet. Nonne in arte sacra locus paupertati evangelicae dari potest? Nonne Christo magis placet paupertas quam superfluae expensae? De superfluis expensis locutus sum, non de expensis quae vere ad decorem domus Dei necessariae sunt. Domum enim Dei decet sanctitudo. Ipse vero Christus, quando sanctissimam Coenam celebrare voluit, non stabuli paupertatem elegit, sed « coenaculum grande stratum » (*Mc.* 14, 25). Immo vehementer optarem ut pauperiores paroeciae a ditioribus etiam aliarum nationum adiuvarentur ut semper essent decentia Dei templa.

Alia occasio scandali posset inveniri in Ecclesiis noviter erectis si templa quae ibi exstruerentur valde quoad stilum cultui ingenioque populi aliena essent. Tunc enim, ratione huius stili, Ecclesia quasi aliena appareret, cum ipsa nulli populo aliena sit, et « nullum stilum proprium » habeat, ut optime dicitur in n. 99.

Ultima tandem occasio scandali inveniri posset in regionibus acatholicis, si catholicorum templa, sive ratione formae exterioris, sive ratione magnitudinis, quasi offensa incolis viderentur.

Itaque rogo, ut addatur, sub n. 106, nova paragraphus cuius titulus foret:

Scandali occasio sedulo vitanda. Textus huius numeri ita breviter exarari posset: « Sedulo vigilandum est ne forte artis sacrae opera occasio scandali etiam debilium ratione circumstantiarum evadant. Quod quidem, v. g., accidere posset in regionibus ubi dura paupertas viget, si nimiae expensae ad aedificationem vel exornationem templorum fierent; aut in Ecclesiis noviter erectis, si cultui ingenioque populi alienus appareret stilus adhibitus; aut in regionibus acatholicis, si catholicorum templa ratione formae, magnitudinis vel splendoris offensa incolis evaderent ».

Haec approbantibus Galliae episcopis.

4

EXC.MUS P. D. HERIBERTUS BEDNORZ

Episcopus tit. Bullensium Regionum, coad. c.i.s. Katovicensis

Sacrarum artium opera secundum eorum obiectivum valorem aestimamus. Non procedimus ergo hoc in casu secundum personalem gustum. Veritas haec in nostro schemate indirecte expressa est. Propterea in cap. VIII de Arte sacra, in n. 99 dicitur: « omnem stilum artis Ecclesia admittit », dummodo « sacris aedibus sacrisque ritibus debita reverentia, debitoque honore inserviat ». Hoc est principium generale quod omnes sine dubio accipimus.

Attamen non omnes concordes sumus, quando agitur de concreta applicatione huius normae generalis. Nonnullis enim non raro videtur quod novae ecclesiae externo et interno in stilo solummodo traditionaliter accepto construendae sunt. In hoc sensu quaedam praescriptiones plus minusque determinatae non solum parochis sed etiam architectis et aliis artificibus eduntur. Hic modus agendi cum nostro schemate consentaneus non est. Etenim in n. 104 iuste affirmatur: « disciplina ecclesiastica de arte sacra opportune revisenda ». Haec autem revisio efficitur in sequenti modo: « quae liturgiae instaurandae ... favent, nova et vetera, retineantur vel introducantur », ut dicitur in iam citato paragrapho. Subsigno expressionem « nova », quia hic acceptio novi stili artis sacrae invenitur.

Novus stilus artis sacrae in Ecclesia admittitur, quia multos maioris momenti positivos valores secumfert. Exempli gratia est simplex, ut hodiernus homo simplex est. Elementa essentialia ecclesiae, id est altare et baptisterium ponit in principalem locum et non admittit multitudinem altarium et imaginum. Incitat ergo christifideles, ne obliviscantur de vita supranaturali, quae primordiale elementum vitae catholicae constituit. Non aedificat magnificas turres ecclesiasticas, sed maxime animadvertit, ut novum aedificium ecclesiasticum in eodem loco ponatur, in quo actualis vita humana maxime pulsat. Homines nostri temporis hoc desiderant, quia valores praesertim vitales nostrae religionis quaerunt. Propter has et alias rationes liceat mihi n. 99 aut 104 supplementare his verbis: non convenit specialiter fovere stilos artis

sacrae, qui traditionaliter usque adhuc in Ecclesia usi fuerant, sed novus stilus, qui mentalitati hodierni hominis religiosi correspondet, opportunum locum in ecclesia obtineat.

Ratio, quae est fundamentum huius supplementationis est unice pastoralis. Experientia enim scimus christifideles nostri temporis in ecclesiis in stilo contemporaneo constructis optimam devotionem habere. Non loquimur de stilo moderno, quia haec expressio spiritui Ecclesiae plus minusque non convenit. Attamen affirmamus contemporaneum stilum artis sacrae, in quo utitur ferro et ligno, caemento armato et vitro, stilum, qui suam universalem applicationem non solum in architectura, sed etiam in aliis speciebus artis sacrae e. g. in sculptura et pictura invenire debeat, reiectis omnibus, saepe observatis, excessibus, qui « fidei et moribus ac christianae pietati ... repugnant » ut dicitur in n. 100 cap. VIII.

5

Exc.mus P. D. FLOYD LAURENTIUS BEGIN
Episcopus Quercopolitanus

N. 85. Omnino placet. *a*) Eliminari potuisset sic dictus « Ordo » seu calendarium festorum. *b*) Festa D. N. I. C., B. M. V. et Sanctorum fixa et immobilia non disturbarentur festis sic dictis « mobilibus ».

N. 86. Placet. Saltem Ecclesia deberet declarare se non obstare calendario perpetuo si Nationes omnes vel quam plures ita maluerint.

N. 95. Placet omnino talis revisio praesertim quoad « simpliciores modulos » ut eliminarentur moduli nimis protractati in quibus « ancilla verborum » Missae quamplurimae notulae aptentur uno syllabo, v. g. « a » finali in « alleluia », etc.

6

Exc.mus P. D. AEMILIUS BLANCHET
Archiepiscopus tit. Philippopolitanus in Thracia

Aliquid offendit in hoc facto quod in precibus Ecclesiae latinae in oblivione nimis saepe sint Ecclesiae graecae Sancti, etiam illustrissimi; ita, e. g. in litaniis Sanctorum, cum iuste nominentur Doctores Ecclesiae latinae, nulla fit mentio graecorum Doctorum, qui tam magni fuerunt et tantum fructum fecerunt. Igitur peto ut, occasione praesentis Concilii, in his litaniis invocentur egregii Ecclesiae graecae Doctores, sicut Basilius, Ioannes Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Athanasius, et ita reddatur honor debitus Ecclesiae, quae tales viros genuit.

7

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CAROLUS BORROMEO
Episcopus Pisaurensis

Ad n. 80, pag. 191. Si omnis « dies dominicus » est commemoratio mysterii paschalis, semper in dominicis adhibeatur color albus paramentorum, exceptis dominicis in Quadragesima et in Adventu. Color viridis adhibeatur tantum in feriis in quibus nunc adhibetur.

Ad n. 89, pag. 194. Sic ampliandum censerem:

1. « Insignia statuantur quae solis episcopis a suscepta consecratione reserventur, neque ulli honoris tantum causa concedatur.

2. Item insignia statuantur quae concedantur iis tantum qui iurisdictionem quasi episcopalem exerceant quin episcopali consecratione sint donati.

3. Convenit ut usus pontificalium reservetur illis ecclesiasticis viris qui vel charactere episcopali sint donati vel iurisdictionem quasi episcopalem exerceant ».

Ad n. 81, pag. 191: festa Sanctorum recenter ad altaris honores elevatorum ne includantur in calendario universali nisi vigesimo vel quinquagesimo quoque anno et omnia simul, ne saepesaepius perturbetur usus librorum liturgicorum.

8

EXC.MUS P. D. CAROLUS BUSWELL
Episcopus Pueblensis

Experientiam in vita mea sacerdotali unice ex labore pastorali adeptus sum. Propter rationes pastorales ex tali experientia pastorali exhaustas, totum schema de sacra Liturgia in genere commendare velim.

Specifice autem quoad cap. VII quaedam proponerem. In hoc capite, de Musica sacra, pag. 195, art. 91, dicitur: « Forma nobilior celebrationis liturgicae est Liturgia solemnis, lingua latina celebrata », et inferius, in fine eiusdem articuli prosequitur: « Proinde sit Conferentiae episcopalis in singulis regionibus proponere, ut nonnulli cantus lingua vernacula peragi possint ».

De quibus duo propono:

Primo: Ne Missa in cantu quoad populum amittat suum valorem, tamquam nobiliorem formam celebrationis liturgicae, immo, ne talis Missa in desuetudinem omnino delabatur, usus cantus liturgici lingua vernacula concinnati, in omnibus his Missis introduci debet. Hoc dico non de hymnis lingua vernacula cantatis, sacro durante, sed de vero cantu liturgico instituendo qui, populo magis accommodatus, ab eo adhiberetur in cantando tum Ordinarium tum Proprium ipsius Missae.

Talis institutio cantus liturgici in lingua vernacula suadetur ex eo quod in Missa cantata et in qualibet Missa in cantu, ipse cantus constituit quemdam modum omnino specialem intrandi in actionem liturgicam, et certe nolumus populo nostro denegare illa media quae necessaria sunt ad plene participandum in tali modo sese liturgice exprimendi. Tamen praecise in his Missis, experientia pastorali aperte testante, participatio ex parte populi in Liturgia saepe saepius minima est. Ego et alii multi, ex experientia nostra pastorali, invicte edocti sumus quam difficulter, etiam omni conatu et vera peritia perseveranter adhibitis, populus educetur ad cantum gregorianum latine cantandum.

Propono deinde ut cantus magis populares et faciliores et lingua vernacula cantandi permittantur ita ut varii populi qui ex valde diversis culturis proveniunt et diversis ingeniis musicalibus gaudent, partem vere sibi propriam in Missis cantatis habeant. In certis casibus indulta ad tales cantus vernaculos adhibendos, iam concessa sunt, relate ad Ordinarium Missae. Ego etiam petivi tale indultum ex Sancta Congregatione Rituum et ex Sancto Officio. Hoc indultum mihi concessum non fuit, sed Sanctum Officium me certiorem reddidit Concilium Vaticanum Secundum de hac re disceptaturum esse. Sic propono ut hoc negotium iudicio Concilii submittatur et ut cantus liturgici in lingua vernacula ubique permittantur non solum quoad Ordinarium Missae sed etiam quoad Proprium.

Propono igitur emendationem art. 91: omittendo verba « lingua latina celebrata » in paragrapho prima; omittendo verbum « nonnulli » in paragrapho tertia; et dicendo « determinare » vel « statuere » loco « proponere » in eadem paragrapho.

Forma nobilior celebrationis liturgicae est Liturgia sollemnis cum participatione populi, sive lingua latina, sive lingua paleo-slavonica uti heri, sive ulla lingua digna.

Secundo loco propono ut commissiones de Musica sacra in omni gradu vitae Ecclesiae, inclusis etiam laicis peritis, constituantur ad studium et usum musicae sacrae fovendum, sicut iam statutum est in articulo centesimo secundo pro arte sacra.

Tales commissiones Conferentiis episcopalibus consilium habile darent, de idoneitate et aptitudine cantuum vernaculorum ad usum liturgicum, et auxilium praestarent in perscrutandis problematibus cum usu musicae sacrae connexis.

9

Rev.mus P. D. NIVARDUS BUTTARAZZI

Abbas praeses generalis Congregationis Casamariensis S.O.C.

Ad n. 89 schematis de sacra Liturgia (Usus pontificalium).

Decretum propositum auferre intendit usum pontificalium abbatibus resignatis et abbatibus titularibus necnon aliis praelatis, qui vel privilegio cum dignitate praelatitia connexo vel consuetudine hoc iure gaudent.

Sed contra putat infrascriptus hanc contractionem probandam non esse et hac in re nihil esse innovandum.

N. B. Hic agitur ex professo de abbatibus non de regimine, tamen multa ex dicendis etiam pro illis valent qui charactere episcopali carentes pontificalibus utuntur.

A) Benedictio abbatialis est ratione effectus benedictio constitutiva quia per illam persona ad cultum, i. e. ad servitium divinum et ad officium pastorale deputatur. Est ergo unum ex sacramentalibus permanentibus, quia nunquam iteratur nec iterata fuit etiam si abbas emeritus denuo ad gubernium eligatur.[1] Ideo abbatibus per benedictionem simul cum dignitate ius ad pontificalia per se ad dies vitae traditur, propterea etiam post resignationem ab officio dignitatem abbatialem servant et pontificalibus uti possunt.[2]

---

[1] CAPPELLO, *Tract. can. mor. de Sacramentis,* Romae 1938, pag. 92.

[2] Perpetuitas dignitatis abbatialis pro abbatibus benedictis semper agnita fuit. Hoc patet ex praxi nunquam benedictionem iterandi in casu reelectionis abbatum resignatorum.

Saeculo XV, ut ex documentis clare apparet, communiter abbatibus resignatis vel emeritis titulum et honorem abbatum concedebantur. Pro Ordine Cisterciensi, qui ob suam severitatem tardius usui aliorum Ordinum se accommodabat, testificatur ex decisionibus Capituli Generalis (C. 1411, 15: CANIVEZ, *Statuta Capit. Gen. Ordinis Cisterc. ab anno 1116-1786,* annus 1411, statutum 15. Item C. 1434, 24 et 64; 1451, 71).

Quod confirmatur: *a*) Bulla Urbani VIII « In sede principis » diei 21 martii 1631: « Abbatibus emeritis... liceat honoris gratia abbatis nomine vocari... et quoad victum et vestitum censeri iure abbatum ». Ergo non solum nomen sed etiam insignia abbatum servabant (*Bull. Rom. Lugduni,* 1697, t. V, p. 52 ss.).

b) Praescriptionibus quasi omnium Constitutionum benedictinorum, cisterciensium, praemonstratensium et Usus trappistarum, v. g.: Const. Congregationis SS. Cordis Iesu S.O.C., p. 32, c. 25; Statuta Congr. Augiensis S.O.C. 1924, n. 43; Const. Congr. S. Bernardi in Italia, p. 15, n. 37; Const. Congr. Casamariensis S.O.C., p. 82; n. 176, etc.; Lex propria Confoederationis Congregationum O.S.B. n. 106; Const. Congr. Cassin. a Prim. observ. p. 208, n. 12, et p. 238, n. 28; Statuta Congr. Benedict. Bavar., n. 121, etc.; Statuta renovata O. Praemonstr., 83, § 1, 4; Usus O. Cisterc. Reform. 1. XI, ch. I, p. 359.

c) Cf. TAMBURINI, *De iure Abbatum* etc., Lugduni D. XIII, q. IV, nn. 6-9; SCHRAM, *Inst. iuris eccl.,* Augustae Vindel. 1774, t. I, l. L, § 333; MOLITOR, *Rel. iur. cap. sel.,* p. 498, n. 464; BAUCHER, *Dictionnaire canonique,* Paris 1924, v. I, col. 29-62; DE PUNIET, *Le Pontif. Romain,* Paris, 1931, II, p. 107.

d) Abbas, simili modo ac episcopus, pro una ecclesia vel abbatia determinata benedicitur, cui per speciem spiritualis connubii pro semper addictus manebit. Ipse ritus benedictionis abbatialis hoc clare innuit, v. g. traditio anuli (cf. *Pontificale Roman.*), et plures Constitutiones expresse dicunt; v. g. *Const. Congr. SS. Cordis S.O.C.* p. 32: « Abbas solemni benedictione monasterio suo quasi sponsae iunctus, ne leviter... ligamen hoc resolvat ».

Cfr. ROMELIUS, *Capita can. de iure Abbatum,* Ingolstadii, 1728, c. I, n. 9;

Ratio etiam pro abbatibus simpliciter titularibus valet, qui ex similitudine cum episcopis titularibus ad abbatiam suppressam nominantur. Nam et ipsi benedicuntur eodem caeremoniali et cum traditione eorundem insignium (anuli, mitrae, pastoralis) sicut abbates de regimine, ideo etiam ius ad pontificalia cum titulo coniunctum recipiunt.[3] Analogia iuris hic applicari potest, quia eaedem videntur esse rationes nominationis episcoporum titularium et abbatum titularium.[4]

B) Accessorium sequitur principale. Abbas resignatus vel emeritus dignitatem abbatialem servat et saepe alio titulo decoratur. Abbas simpliciter ti-

---

ANDRIEU, *Le Pontifical Romain au Moyen-Age,* Romae 1938, t. II, p. 409; NABUCO, *Pontif. Romani expositio* etc., Petropoli 1945, I, p. 382, n. 322; BAUCHER, *Op. cit.,* col. 50; SCHMIER, *Iurisprudentia can.-civ.,* Salisburgi, 1729, l. I, t. III, c. I, s. VII, § 4, n. 995.

« Abbates recipiunt iurisdictionem quasi episcopalem », HOFMEISTER, *Mitra und Stab,* p. 49.

[3] Praxis nominandi et constituendi abbates titulares perantiqua est et usum iam saec. XVI firmatum fuisse testificat Decretum Cap. Gen. Ord. Cisterc., quo eiusdem introductionem in Ordinem reprobatur (C. 1683, 28). Tamen in ipso Capitulo Gen. anni 1771 cum pleno iure et aliqui abbates titulares sedebant (C. 1771, *c*). Saeculo XIX et etiam hodie S. Sedes tales nominationes facit, v. g. Pius X Breve Apost. *Ex officio,* diei 7-6-1907, abbates titulares cum iure successionis in duabus abbatiis constituit (*A.A.S.,* XL, 1907, p. 672); Benedictus XV Litt. Apost. *Placet nobis,* diei 31-3-1921, abbatem resignatum de Emaus in titulum aliae abbatiae suppressae constituit (*A.A.S.,* XIII, 1921, p. 194); Leo XIII, Litt. Apost. *Diu quidem,* diei 29-6-1899, omnibus abbatibus emeritis Congr. Bened. Angliae facultatem concessit assumendi titulum alicuius abbatiae suppressae (*Leonis XIII Acta,* v. 19, p. 111).

Item non solum abbatibus resignatis sed etiam Monachis bene meritis vel in aliquo officio magni momenti constitutis (Procuratores Gen., Praefecti Biblioth. Vatic., Praeses Pont. Instit. Musicae Sacrae) dignitatem abbatis titularis concedit S. Sedes. Exempla prae oculis habentur (NABUCO, *Op. cit.,* I, p. 415).

Constitutiones aliquae benedictinorum, v. g. Lex propria Confoeder. O.S.B., et Const. Congr. Casinen. continent privilegium vi cuius Abbatibus resignatis titulum antiquarum abbatiarum confertur.

[4] Rationes quare episcopis resignatis et sacerdotibus bene meritis vel speciali officio addictis titulum alicuius dioecesis suppressae confertur, sunt:

a) quia dignitas episcopalis natura sua determinatae dioecesi vel Ecclesiae adnexa sit oportet;

b) ne memoria Ecclesiarum in partibus infidelium extantium pereat.

Ob easdem rationes, licet non ex aequali urgentia, titulum abbatiae suppressae abbatibus resignatis vel monachis bene meritis datur. Nam benedictio abbatialis natura sua perpetua est et ad determinatum monasterium tendit. Alia ratio expresse adducitur in Litt. Apost. Benedicti XV, *Placet Nobis*: « ut simul memoriam aliquo pacto revocemus extinctae abbatiae benedictinae » (loc. cit.); et Decretum S. Congr. Consistor. in Tarvisina: « ne perantiquae olim insignis abbatiae nomen et a monachis egregie gestorum memoria pereat » (*A.A.S.,* XXXIX, 1947, p. 635).

tularis titulum et eandem dignitatem habet. Sed dignitas abbatialis est « principale » dum ius ad usum pontificalium est « accessorium », cum originem suam a privilegio repetit. Ergo...

C) Abbates titulares habere ius ad ferenda insignia pontificalia et ad officia divina ritu pontificali celebranda ex consuetudine immemorabili probatur, quae adhuc pergit non obstante can. 625.[5]

D) Ad quid autem aliquem abbatem titularem nominare et benedicere si ipsi usus pontificalium denegatur? Ferre enim insignia et officia pontificalia celebrare erit pro ipso unica possibilitas publice demonstrandi dignitatem quam habet.

Ex alia parte humiliatio sat magna pro abbatibus emeritis erit si post tot annos regiminis hoc iure privarentur et abbates senectute vel infirmitate inhabiles difficilius officium deponerent cum damno pro eorum monasteriis.

---

[5] Abbates resignati (ideo tanquam titulares i. e. absque iurisdictione) iam saec. XV usum pontificalium habuerunt. Adest Decretum Capituli Generalis Ord. Cisterc. anni 1472 (C. 1472, 19) in quo de aliquo abbate resignato sermo est, qui insignia pontificalia ferebat et officia ritu pontificali celebrabat. Si consideratur quod Ordo Cister. strenue contrarius erat usui pontificalium etiam pro abbatibus de regimine, qui de facto tardius quam abbates benedictini hoc privilegium acceptaverunt, decretum probat consuetudinem illo tempore communem apud alios Ordines fuisse et nunc paulatim in ipsum Ordinem Cisterc. introduci. Impossibile enim erat a communi evolutione in Ecclesia totaliter avulsus manere.

Anno autem 1560 ipsum Cap. Gen. annuit ut abbas resignatus de Strata omnia sicut antea facere potuisset (C. 1560, 28).

Constitutio Urbani VIII *In sede principis,* anno 1631, pro Congregatione Cisterc. Lombardiae et Tusciae data, praescribit quod abbates resignati: « quoad victum et vestitum censeri iure abbatum », quod de insignis pontificalibus certe intelligitur.

Saec. XVIII consuetudo etiam in Ordine Cisterciensi communis evasit, ita ut, quando Capitulum Generale restrictionem aliquam introducere voluit, multi abbates protestaverunt etiam apud regem Galliae, quia nova lex contra antiquas traditiones erat.

Quidquid sit, ex documentis certis constat abbates titulares vel emeritos saec. XVIII pontificalibus saepe saepius usus fuisse, quae consuetudo saec. XIX omnino firma et communis apparet (HOFMEISTER, *Op. cit.,* pp. 43 et 108; SCHMIER, *Op. cit.,* t. I, l. I, tr. 3, c. 6, S. I, § 7, n. 126; SCHRAM, *Op. cit.,* t. I, l. I, § 333, schol. 1; MOLITOR, *Religiosi Iuris cap. sel.,* p. 498, n. 464; BAUCHER, *l. c.,* col. 61; MAYER, *Benedikt. Ordensrecht,* Beuron 1936, II, p. 154, n. 4).

Pro Benedictinis usum confirmant Lex Propria et aliae Constitutiones, quae abbatibus resignatis ius ad usum pontificalium concedunt expresse. Const. Congr. Casinen, p. 238, n. 28; Congr. Bavar., n. 121; Congr. Helvet., p. 76, n. 139; Congr. Ottilien., p. 94, n. 234; etc.

Pro aliis Ordinibus adest praxis a testimonio Monachorum provectioris aetatis confirmata, qui uno ore affirmant se consuetudinem invenisse quando Religionem ingressi sunt et semper abbates resignatos et alios titulares uti pontificalibus vidisse.

E) Nec hoc laesivum dignitati episcopali esset. Quia quod episcopos a praelatis inferioribus distinguit non est per se et a priori usus pontificalium, quem etiam ipsi ex privilegio et non a iure habuerunt.[6] Abbates titulares insuper sat pauci numero sunt et grave problema in Ecclesia non constituunt. Inconvenientia gravia et generalia non lamentantur et si ex parte unius vel alterius abusus irrepsit, ratio sufficiens non est privilegium consuetudine tam longa firmatum abrogandi.

F) Meminisse denique iuvat usum pontificalium pro abbatibus titularibus sicut pro abbatibus de regimine ad ecclesias proprii Ordinis limitari et ad officia divina in aliis ecclesiis celebranda invitatio Ordinarii semper requiritur.

10

Exc.mus P. D. ALOISIUS CARLI

Episcopus Signinus

Pag. 190, lin. 28: post « in ieiunio » addatur « et in operibus caritatis ».

Pag. 191, ad n. 82: Iuvat ut etiam idea seu character *missionalis* tribuatur tempori quadragesimali. Per baptismum diffunditur Regnum Dei.

Pag. 193, lin. 32: loco « in singulis regionibus » dicerem « in singulis nationibus ».

---

[6] Notum est quod ab initio in Ecclesia episcopi nec insignia pontificalia, nec ius divina officia ritu speciali celebrandi habuerunt. Existentia mitrae v. g. tantum a saec. X documentis probari potest. Decursu autem saeculorum sive ex privilegio, sive consuetudine ius ad pontificalia commune evasit, speciatim saec. XIV, quando ius non solum personis sed etiam sedibus episcopalibus conceditur (Klauser, *Der Ursprung der Bischöflichen Insignien,* Krefeld 1953, p. 23; Salmon, *Etude sur les insignes du Pontife dans le Rite Romain,* Roma 1955, p. 41 et p. 91; « Le fait le plus frappant, quelque peu paradoxal, c'est que les pontificalia n'ont pas de lien nécessaire ni primitif avec la dignité episcopale »). Pontificalia ipsa autem iam ab eorum ortu non pertinent privative et exclusive episcopis sed etiam aliis clericis in dignitate constitutis data fuerunt, v. g. cardinalibus etc.

Quasi eodem tempore simile privilegium et abbatibus concedebatur, initio tantum personis sed postea etiam sedibus seu monasteriis, ita ut iam saec. XIV habeatur in Pontificali Romano ritus specialis: « In benedictione abbatis habentis pontificalia ». Ita traditio insignium in ritu consecrationis episcopi et in ritu benedictionis abbatis simul apparet (Hofmeister, *Op. cit.,* p. 55).

Quod autem episcopos a reliquis praelatis inferioribus et clericis distinguit est character episcopalis, potestas ordinis et iurisdictionis et functiones huic potestati propriae. Ex alia parte etiam in usu pontificalium distinctio servatur, quia aliqua officia dantur, v. g. ordinationes etc., quae privative episcopis pertinent, dum leges liturgicae formam diversam pro eodem ritu pontificali praescribunt prout de cardinalibus, de episcopis vel de aliis praelatis agitur.

Pag. 195, lin. 28: loco « in singulis regionibus » dicatur « in singulis nationibus ».

Pag. 197, lin. 20: loco « respondent » dicatur « respondeant ».

11

EXC.MUS P. D. ALOISIUS GONZAGA DA CUNHA MARELIM
Episcopus Caxiensis

Cap. V, pag. 192, addatur: « N. 84 bis: Permittuntur, in altaribus, cum moderatione, Sanctorum Imagines et Reliquiae, secundum Ecclesiae traditionem et liturgicas regulas. Reprobantur qui, proprio motu, sine Sanctae Sedis aut Ordinarii licentia iuxta canones, Imagines aut Reliquias ab altaribus deponunt aut alienant, cum fidelium scandalo ». Rationes sunt:

1. Haec additio, puto, necessaria, quia valde divulgatum est quod a Concilio Oecumenico abolerentur imagines in ecclesiis et etiam ipse Sanctorum cultus.

2. Quia illegitima Imaginum aut Reliquiarum remotio contraria est Concilio Tridentino (Sess. XXV): « Sanctos una cum Christo regnantes... bonum atque utile est suppliciter eos invocare... eorumque reliquias atque imagines venerari...

3. Quia hic agendi modus occasio scandali et perturbationis est fidelibus.

Cap. VI, pag. 193, addatur: « N. 87 bis: Ubi deest copia cerae apum, Ordinarii permittere possunt aliam materiam bonae aestimationis facilius in loco inveniendam, ad cereos liturgicos conficiendos ».

12

EXC.MUS P. D. BLASIUS D'AGOSTINO
Episcopus Vallensis in Lucania

Argumentum quod de anno liturgico agit, maximi momenti mihi videtur relate ad pietatem fidelium fovendam necnon ad spiritualem animarum formationem assequendam, quae christifidelibus vitam christianam efficaciter agere permittit.

Hodie, negari nequit, plus minusve fere ubique pietas fidelium imminuitur, in non paucis christianis formalismus religiosus viget, vita spiritualis languescit, nobilitas morum obscuratur.

Sive apud ruriculos sive apud cultura praeditos individualismus religiosus lamentatur et generatim populus noster cum Ecclesia non sentit et de Ecclesia non vivit.

Ad hanc non laudabilem situationem corrigendam, ideoque ut reditus fidelium nostrorum ad vitam quae clara pietate fulgeat, obtineatur, enixe in omni dioecesi *apostolatus liturgicus* fovendus est qui populo christiano divi-

tias mysteriorum Christi, B. M. Virginis ac Sanctorum enucleat et has divitias eidem populo gaudere permittat.

Hoc obtinetur per assiduam, organicam catechesim circa annum liturgicum: quae sola, ignorantiam fugando, animos fidelium excitare potest ad pietatem atque vim vitae vere christianae ex puris fontibus anni liturgici attingendum ita ut, vita renovata, in omnibus Christus vivat.

Ideoque humiliter peto quod haec Sacrosancta Synodus:

1. Votum formulet quo animarum curatoribus obligatio fiat frequenter, opportuna occasione, proprios filianos instruendi circa compositionem et mysticum significatum anni liturgici, ut omnes christifideles cum Ecclesia vivant et Redemptoris nostri necnon B. M. Virginis ac Sanctorum exempla devote imitentur.

2. Postulo quod non solum character temporis quadragesimalis plenius in luce ponatur, sed etiam temporis Adventus ad profundiorem fidelium eruditionem et ad sancte festum Nativitatis celebrandum.

Horum temporum, scil. sive temporis quadragesimalis sive Adventus character poenitentialis restituatur ut in christianis aetatis nostrae, de necessitate poenitentiae ac christianae mortificationis persuasio fiat, iuxta verba D. N. I. C.: Si quis vult...

Circa ieiunii obligationem, firma ieiunii feria VI in Passione et Morte Domini observantia pro universa Ecclesia, facultas praxim poenitentialem pro diversis regionibus determinandi episcopis concedatur, qui de condicionibus fidelium ac de possibilitate diversarum regionum aptius iudicare possunt.

3. Quod ad festa Sanctorum attinet, ad Ecclesiam universam quae sanctos memorant universale momentum prae se ferentes, assignentur; alia particulari cuique Ecclesiae vel nationi vel religiosae familiae relinquantur celebranda, quo facilius atque efficacius fideles exempla virtutum cognoscere et imitari possint.

4. Valde desideratur quod festum Paschatis certae Dominicae assignetur; non solum propter rationes ab em. card. Feltin allatas, sed etiam ut alia festa mobilia certam diem habeant et stabilis anni divisio determinetur, quae etiam in rebus civilibus agendis maxime opportuna est.

Ad cap. VI.

In pag. 192, n. 88, legitur: « Sanctae Sedis, vel episcoporum in singulis regionibus ad normam iuris, erit perpendere etc. ». Relate ad haec verba hanc emendationem propono: « Sanctae Sedis, auditis episcopis in singulis regionibus, ad normam iuris erit perpendere etc. ».

In pag. 194, in art. 89, de usu pontificalium agitur. Schema propositum usum pontificalium reservat solummodo illis ecclesiasticis personis quae aut charactere episcopali aut peculiari aliqua iurisdictione gaudent.

Si tamen usus pontificalium iuxta veterem disciplinam regulabitur, scil. etiam non episcopis permittetur, opportunum statuere videtur aliquam distinctionem inter vestes pontificales eorum qui charactere episcopali pollent et eorum qui simplici privilegio pontificio pontificaliter celebrandi gaudent.

Ita e. g. usus tunicae atque dalmaticae. Si episcopus his utitur ad plenitudinem sacerdotii significandam, non videtur qua ratione illis Protonotarii Apostolici utuntur.

Ad cap. VII.

1. In pag. 196, in n. 94, praestantia cantus gregoriani celebratur et musica polyphonica non damnatur dummodo fidelium actuosam participationem non impediat.

Opportunum esset quod etiam in Sacris solemnioribus in quibus saepesaepius cantu polyphonico utitur, ad actuosam et piam fidelium participationem fovendam aliquae partes fidelibus reservatae sint.

2. In pag. 197, in n. 98, legitur: « Cetera vero musica instrumenta, de iudicio et consensu loci Ordinarii in cultum divinum admitti possunt, quatenus usui sacro aptari possunt etc. ». Haec verba valde generalia sunt et elasticum iudicium determinare possunt. Desideratur, pro certa uniformitate assequenda, quod norma maiorem precisionem habeat.

Ad cap. VIII.

Quam maxime gaudeo quod haec sacrosancta Synodus inter tam alta et venerabilia argumenta quae fidei veritates ac Ecclesiae vitam respiciunt, sibi hoc schema proposuit in quo de Arte sacra agitur, cuius finis non in vana hominis exercitatione, sed in Deum laudando atque glorificando sistit.

In hac veneranda Basilica S. Petri, quae sua magnificentia ac fulgente pulchritudine Deum, supremum Artificem glorificat, maior simplicitas, immo paupertas in sacris supellectilibus et in Ecclesia postulanda est.

Sed humiliter dico: utique paupertas! Sed paupertas in nobis et pro nobis, sed non in cultu pro Deo! Caeli enarrant gloriam Dei et opera eius annuntiat firmamentum...

Ad laudem caelorum glorificatio terrae copuletur: glorificatio quae fit per vitae nostrae sanctitatem et per artis splendorem.

Iesus Christus Dominus noster, in vigilia Passionis suae, pro se coenaculum magnum atque pulchrum voluit, quasi ad significandum munus quod nobis incumbit, splendorem in cultu Dei procurandi.

Ergo alma Mater Ecclesia sit semper artium amica! sive in sacris aedibus sive in sacris ritibus ac in religiosa supellectile magnum splendorem curet, non pro vanitate nostra, sed pro gloria Dei!

13

Rev.mus P. D. GODEFRIDUS DAYEZ

Praeses Congregationis Belgicae O.S.B.

Aliquid dicere volo de cantu liturgico. Saepe saepius aliqui dicunt: « Oportet servare cantum gregorianum, quia nihil aliud habemus ». Quod non est mirandum. Nam usus linguae latinae hucusque imperatus in liturgia non praebuit locum liberis studiis cantus in lingua vernacula componendi.

Omnes in Concilio persuasum habent cantum gregorianum esse thesaurum pretiosissimum Ecclesiae romanae latinae. Attamen, Spiritus Sanctus Ecclesiam numquam derelinquit, nec in rebus quae ad cantum spectant. Si Spiritus Sanctus nobis loquens per res manifestas et per desideria multorum pastorum, indicat quomodo, in aliquibus regionibus, lingua, cultura et huiusmodi, ad curam animarum requirant mutationes, etiam graves et dolorosas, haec inspiratio, sine aliquo dubio, sequenda est.

Duas animadversiones vobis, em.mi et exc.mi Patres, humiliter proponere cupiam.

Et primo: Cantus est instrumentum tantum unionis fidelium ad Deum. *Est medium et non finis.* Quid a pastoribus magis est inquirendum? Imprimis instrumentum an unio ipsa fidelium ad Deum? Atqui unio ad Deum non est res tam facilis pro omnibus fidelibus. Ergo, instrumentum aptum et facillimum est adhibendum.

Non sufficit solos clericos vel monachos amare et intelligere cantum gregorianum. De *toto* populo christiano agitur; et imprimis de mundo novo, de iuventute contemporanea et futura (ut dixit exc.mus episcopus Elchinger). Agitur de populis recenter ad Ecclesiam adunatis (ut dixit exc.mus episcopus Seitz), quorum omnium cultura in aliis linguis et aliis modis musicis efformatur, et de quorum animis et unione ad Deum pastores Summo Iudici sunt redditurі.

Cavendum est etiam ne monachi, musei custodes videantur. Et *ipsi* quoque in *hodierno mundo,* in *hodierna Ecclesia* vivunt. Premuntur, sicut alii, anxietate praesentis temporis. Nedum traditionum amor sit obex ad vitam actualem, in illo amore traditionum nova vita pro semetipsis et pro omnibus fidelibus haurienda est tam a monachis quam ab omnibus aliis.

Et secundo: Fateor cantum in lingua vernacula, tam psalmorum quam hymnorum a perfectione sua adhuc longe distare. Etsi nondum in missa cantata solemni, tamen experimenta iam facta sunt et non sine aliquo successu, in pluribus regionibus Europae et Africae (verbi gratia in Urundi et Rwanda).

Etenim, nihil omnino impedit quominus cantus novus, ipso usu et studiis ad perfectionem, sicut olim cantus gregorianus, progressive attingat.

Quare mihi in optatis est ut omnes scholae sacri cantus multaque monasteria, etsi perseverantia in studiis et editionibus textus gregoriani cantus, ad inventionem et editionem novi cantus liturgici in lingua vernacula incumbant. Erit optimus modus participandi in cura pastorali animarum.

Quae cum ita sint, sequentia proponere cupiam:

1. Compositio huius cantus liturgici et popularis sit ita simplex ut antiphonae (sive introitus, sive gradualis, sive offertorii, sive communionis) semper et ab omnibus repetantur. Idem dicendum est de Officio divino.

2. Conferentia episcopalis eiusdem linguae eiusdemque regionis constituat commissionem ad quam mittantur compositiones diversorum cantuum Missae et Officii.

3. Ab illa commissione regionali eligantur ecclesiae parochiales vel ali-

cuius domus religiosae, ubi licet fidelibus cantare, in quibus experimentum fiat ad tempus, secundum iudicium commissionis.

4. Ex peritis in scientia musicali cuiuscumque regionis constituatur commissio centralis pro quacumque lingua. Ad quam, commissiones regionales, post diuturnum experimentum, compositiones iam selectas mittant ad novam selectionem et definitivam approbationem.

Haec necessaria censeo ut in omnibus, et *ab omnibus* possit glorificari Deus.

14

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Ad pag. 191, n. 82, lin. 27 usque ad 29. Ibi commendatur ut in catechesi imprimis inculcetur animis fidelium socialis peccati indoles perniciosa. Haec verba non placent.

1. In catechesi, enim, imprimis animis fidelium inculcandae sunt relationes hominis ad Deum, et nonnisi consequenter ea quae ad convivium sociale pertinent et eo quod societas a Dei voluntate procedat. Quoad peccatum, ergo, quod imprimis docendum videtur est eius natura intima, prout scilicet, peccatum constituitur violatione voluntaria legis divinae; quae violatio magnam iniuriam contra Deum secumfert, necnon et summam ingratitudinem adversus Bonitatem Divinam. Peccato, homo, quatenus posset, vellet existentiam Summi Domini extinguere, cui oboedire renuit. Haec est ratio cur peccatum sit summe detestabile, summoque odio dignum. Iamvero vera catechesis postulat ut imprimis huiusmodi malitia peccati animis fidelium inculcetur.

2. Praeterea, non omnia peccata, in seipsis, indolem socialem perniciosam habent, ut sunt, v. g. peccata interna, quae nonnisi remote, nempe quia gratiam totius Corporis Christi Mystici, cuius peccatores membra sunt, minuunt. Nocivitas autem haec socialis non ex indole sociali huiusmodi peccatorum procedit, sed consequitur factum, scilicet, quod peccatores de uno corpore mystico participant. Immo in ipsis peccatis quae directe ordinem socialem violant, summa peccati malitia non ex inordinatione sociali, quam pariunt, repetitur, sed ex violatione ordinationis quae a Dei voluntate procedit.

3. Catechesis, quae imprimis indolem socialem perniciosam peccati inculcaret, facile falsam conscientiam in fidelibus crearet. Etenim similis catechesis fideles induceret ad iudicandum de societate quasi de aliquo absoluto; quod enim in peccato, summo malo, inculcaret, esset praecise eius socialis nocivitas. Porro nullum aliud medium aptius adesse videtur ut generatio tota disponatur ad placita communistarum admittenda, secundum quae, societas est bonum aliquod summum cui omnes homines absolute subordinantur.

Huiusmodi periculum in hodiernis circumstantiis maius est, cum dynamismus vitae socialis ita homines involvat ut sensim sine sensu minuatur et

velut extinguatur in eis conscientia propriae personae et consequenter etiam « responsabilitatis » personalis. Catechesis autem quae, in huiusmodi circumstantiis, inculcat imprimis indolem socialem peccati, ipsa fideles ad eam doctrinam amplectendam inclinat quae hominem nonnisi ut rotulam quamdam cuiusdam magni mechanismi habet.

4. Alteri etiam falsae conceptioni favet similis catechesis, illi nempe quae indolem personalem actuum humanorum detestatur cum hominem non ut membrum vivum, vita propria gaudens, societatis consideret, sed ut meram partem totius humanitatis quae non vivit nisi ex anima quae totum corpus sociale informat.

5. In peccatis ergo quae directe violationem ordinis socialis secumferunt, et in ipsis eorum indoles personalis in catechesi videtur inculcanda. Eo vel magis quod regeneratio societatis quam maxime ex regeneratione individuorum pendet, seu a recta dispositione hominum singulorum erga Deum Dominum nostrum.

6. Denique ratio non apparet cur in tempore ad poenitentiam propitiore, quod est Sancta Quadragesima, ipsa ratio poenitentiae quae ex natura peccati, prout est offensa Dei, procedit, non sit primarium obiectum catecheseos.

Itaque propono ut n. 82, littera *b*) sic, vel similiter, mutetur: « Quoad catechesim autem imprimis inculcetur animis fidelium ratio propria poenitentiae quae ex ratione peccati, prout est offensa Dei, deducitur, ita ut peccatores " perversitate abiecta et emendata tantam Dei offensam cum peccati odio et pio animi dolore detestentur " (ex Tridentino, sess. XIV, cap. 1). Inculcetur etiam consequentia perniciosa peccati in Corpus Mysticum Christi, sicut et partes Ecclesiae in actione poenitentiali; atque oratio pro peccatoribus urgeatur ».

Alia quae de aliis rebus istorum capitum habeo observanda ad secretarium generalem scripto mittam.

Unum tantum addere velim de sacra supellectili simplificanda. Attendantur, quaeso, ea quae de difficultate lintei in Indis obtinendi dicta sunt. Ne tamen nimis simplicitatis fautores simus. Verum quidem est Dominum Iesum pauperem fuisse paupereque vixisse. Paupertas tamen quam valde commendavit est paupertas spiritus, seu melius, spiritus paupertatis qui, proh dolor, saepe et in hodiernis pauperibus non invenitur. Quoad cultum autem nihil dixit de minuendis sive pompa sive rebus pretiosis quas ipse Dominus Deus ad Moysem in Vet. Testamento praescripserat in cultu divino adhibendas. Etiam hodie bonum est ut in cultu divino appareat Deum omnia, honorem et divitias, creavisse; ideoque ad Dei gloriam haec omnia ordinari.

Non oblivioni demus verba ipsius Domini Iesu Christi ad discipulum murmurantem de dissipatione unguenti nardi pistici pretiosi, quod venumdatum pauperibus erogari potuisset, et tamen totum consumptum est in lotione pedum Domini.

Vitam ergo agamus pauperem, cultum vero solemnem, divitem et pomposum iuxta possibilitatem nostram.

Idem dicendum de vestibus quibus gradus hierarchiae inter se et a populo distinguuntur. Num Sanctissimus minus amabilis pauperibus videtur cum in sede gestatoria pomposa cohorte circumdatus populo apparet? Multitudo quae singulis diebus apud forum petrinum Patres Conciliares e Basilica egredientes visura coniungitur, certe movetur vestibus peculiaribus pompam quamdam redolentibus quibus episcopi ornantur. Ne ergo salutari desiderio aptandi mores Ecclesiae hodiernis temporibus potius erroribus huius saeculi faveamus.

15

Exc.mus P. D. IOSEPH DESCUFFI
Archiepiscopus Smyrnensis

De calendario recognoscendo (pag. 192, n. 85).

Sacrosancti Concilii votum ut festum Paschatis certae dominicae in calendario gregoriano assignato ab omnibus christianis celebrandum foret, quam commendandum et optandum medium sit ad unionem christianorum praeparandam et saltem cum hoc exteriori signo auspicandam, nemo est qui dubitare possit.

Attamen quum in Concilio Nicaeno I, a. 325 habito (cfr. *Conc. Oec. Decreta,* Herder 1962, pp. 2-3), huic eaedem propositioni universalem Ecclesiam spectanti, tres totius orbis partes cum Romanis et Alexandrinis consentire, unam vero et solam orientalem plagam dissentire compertum sit, ne in nostris temporibus, speciatim occasione huius Concilii Vaticani II unionem faventis, eadem discrepantia, non solum ut quondam in odium iudaismi, sed nunc ex argumentis historicis et difficultatibus politicis allatis, adhuc maior et infelicior evadat, haec quaestio de festo Paschali eadem die dominica in calendario gregoriano, non solum sicut optime iam dictum fuit, cum commissione liturgica mixta catholica examinanda est, sed etiam, salvo meliori iudicio de hac quaestione, ut maius pondus coram omnibus obtineatur, Ecclesiarum dissidentium doctos et venerandos observatores audire, si tamen Summo Pontifici secretariatui pro unione Ecclesiarum hanc licentiam concedere placuerit.

Venerabiles Fratres, hanc meam propositionem benignae considerationi vestrae submitto.

16

Exc.mus P. D. AEMILIUS IOSEPH DE SMEDT
Episcopus Brugensis

Ad pag. 197, art. 96, lin. 10 addatur: Modulus gregorianus etiam adhiberi potest ad cantandum in lingua vernacula partes liturgiae quae de iure in lingua vernacula dici permittuntur.

Traductio cura Conferentiae episcopalis huius linguae praeparetur, audita commissione nationali Liturgiae.

Explicatur. Cum in dies cultura musicalis fidelium crescat sive propter influxum melioris formationis in scholis, sive et praesertim propter educationem popularem ex emissionibus radiophoniae et televisionis emanantem, participatio actuosa fidelium in Liturgia magis efficax et communitaria fieri potest. Ad hoc multum iuvabit in lingua vulgari canere sub modulo gregoriano eas partes pro quibus post Concilium vernacula lingua permittetur.

Secus quando cantus gregorianus adhuc adhibebitur? Eximius hic Ecclesiae thesaurus ne sepeliatur.

In pag. 197, art. 98, linn. 31 et 32. Deleantur verba: « non modo mere mechanico seu automatico, sed directa et personali artificis actione tractentur ».

Explicatur. In posterum in ecclesiis et oratoriis publicis iam non sit prohibitus usus discorum et aliorum instrumentorum modernorum ad automatice cantum religiosum vel musicam sacram proiiciendum vel sustentandum.

Auditio discorum in vitam religiosam fidelium nostri temporis optimum exercet influxum. Cur non posset iuvenes et adultos pari modo in templo adiuvare ad melius orandum et meditandum. Modernarum machinarum usus in sacra Liturgia multum iuvaret rectores ecclesiarum, praesertim in parvis paroeciis vel in paroeciis dechristianisatis, ne fideles in dies in musica profana magis exculti, deterreantur ab officiis religiosis in quibus musica sacra producta difficulter potest esse alti valoris.

Adhibitio talium instrumentorum fiat sub invigilantia Ordinarii loci.

Quaedam verba de Musica sacra. Schema propositum valde placet. Adspectus pastoralis Musicae sacrae optime in luce positus est. Secundum spiritum Sancti Pii X, diversis in partibus monstratur cura ut populus christianus per musicam profundius uniatur cum Deo et actuose suas partes habeat in mysterio quod exercetur.

In campo Musicae sacrae Ecclesia versatur in circumstantiis novis. Etenim in populo crescit magnopere cultura musicalis. Fideles nostri melius cognoscunt musicam. Scholae meliorem dant musicalem educationem. Sed praesertim radiophonia et televisio maximum exercent influxum in culturam popularem. Permulti acquirunt meliorem familiaritatem cum musica classica et moderna. Habent gustum magis excultum. Hoc ponit problema novum pro nostris paroeciis. Fideles assuefacti sunt musicae perpulchrae. Quid fiet si musica in paroecia audita ipsis videtur pauperrima? *Periculum* est ne templa nostra deserant si ibidem eorum aures iterum et iterum lacerantur cacophonia vel musicali miseria.

Sed ex altera parte haec adaucta cultura musicalis constituit occasionem providentialem ut liturgia nostra evadat magis educativa. Musica enim sacra est creativa sensus communitarii, ideoque sensus ecclesiastici, sensus catholici. Possibilitas extraordinaria nobis praebetur pro apostolatu liturgico. Ideo

iure merito hoc Concilium quaerit quaenam statuenda sint ut Musica sacra in apostolatu Ecclesiae summam efficaciam attingere queat.

Ad ea quae proponuntur sequentia liceat observare:

1. Non debemus nimis attendere ad solemnem polyphoniam. Certe habet suum valorem et momentum in vita Ecclesiae et excolenda manet.

Tria tamen sunt observanda. Practice quaeri potest in quo numero paroeciarum ista sat pomposa polyphonia realisabilis sit. Ecclesia catholica est ecclesia pauperum. Praeterea in ipsis magnis paroeciis talis polyphonia tantummodo cantatur in festis maioribus et quidem solummodo in una vel altera Missa. Quid de aliis Missis? Praeterea experientia docet maximam partem fidelium modernorum talem polyphoniam non valde amare. Constat quod de facto in Missis cum polyphonia frequentia populi decrescit.

Problema Musicae sacrae est praesertim et fere unice problema de cantu populi christiani in Missis ordinariis. Quid in Missis ordinariis efficiendum est ut fideles, nunc in musica profana magis exculti, vere nutriantur et religiose educentur musica nostra?

2. Medium excellentissimum est *cantus popularis religiosus.* Optima de ipso dicuntur in schemate proposito. De cantu populari non tracto, quia de ipso probabiliter ab aliis dicetur.

3. Verbum dicere vellem *de cantu gregoriano.* Omnino erroneum esset asserere cantum gregorianum ab hominibus modernis non gustari posse. Ex experientia multorum pastorum contrarium constat. Cum aliquantula educatione fideles moderni temporis faciliter addiscunt melodias gregorianas. Illas amant. In cantu gregoriano habetur aliquid directum, invenitur quaedam ut ita dicam sinceritas quae placet homini moderno. Iuventus moderna invenit in cantu gregoriano aliquid quod correspondet suae mentalitati, suis aspirationibus. Cavenda sunt praeiudicia. Multi sacerdotes qui sincera tentamina fecerunt, mirantur de correspondentia inter cantum gregorianum et animam nostrorum coaetaneorum.

Qua de causa magno cum gaudio legi in proposito schemate, in art. 94: « cantus gregorianus in actionibus liturgicis, ceteris paribus, principem locum obtineat ».

4. Secundum ultimam Instructionem de Musica sacra illicitum est secundum modulos gregorianos cantare in lingua vernacula. Hoc est valde lugendum.

In unaquaque regione inveniri possunt linguistae vel poetae qui possunt textus sacrae Liturgiae ita in vernaculam vertere ut versioni latinae correspondeant et quoad rhythmum et quoad accentum. Tales traductiones cantari possunt secundum melodias gregorianas respectivas. Quantus thesaurus pietati fidelium et cultui divino aperiretur si tales translationes permitterentur! Quantae divitiae spirituales pro unoquoque populo! Rogo ut de thesauro cantus gregoriani non tantum proferantur vetera, sed etiam haec nova.

Praeterea observare liceat nos hoc modo conservare unitatem inter nationes christianas. Si propter introductionem linguae vernaculae non conser-

vantur eadem verba, servarentur saltem melodiae communes. Diversis in linguis unus idemque cantus a fratribus in fide cantari poterit. Quod propono est verum ligamen unitatis.

De cetero rogari potest ad quid pretiosissimus noster cantus gregorianus inserviet in posterum, si lingua vulgaris introducitur in cantis Ecclesiae. Si melodiae gregorianae excluduntur a cantu in lingua materna, vivus iste Sanctae Romanae Ecclesiae thesaurus sepelietur in sepulchro latinitatis.

5. Prohibitus est hucusque in ecclesia *usus discorum et aliorum instrumentorum ad musicam vel cantum automatice proiiciendum.* Haec prohibitio conservatur in schemate proposito.

Evidens est quod ante omnia promovenda est musica quae directe et personali artistae vel populi actione tractatur. Sed non intelligo cur interdictum ferri debeat adversus discos et alia instrumenta moderna quibus congregata fidelium communitas in sua actuosa participatione sustineri vel educari potest. Porta ne claudatur.

Nostris diebus habentur pulcherrimae collectiones discorum musicam religiosam proferentium. In adunationibus, immo in exercitiis spiritualibus iuniorum et etiam adultorum persaepe instituitur id quod vocant: « auditio discorum ». Religiose, immo piissime audiuntur. Clerus paroecialis, educatores, assistentes ecclesiastici sciunt ex experientia quantopere nostri coaetanei his discis, hac sic dicta mechanica musica adiuvantur ad simul orandum, ad devote meditandum. Cur non liceret talia instrumenta moderna in cultum introducere?

Ceterum cogito de nostris parvis paroeciis, de paroeciis in terris dechristianisatis ubi frequentia populi est minima. Etiam isti fratres indigent adiutorio communitariae celebrationis pulcherrimae. Etiam isti sunt homines moderni, abhorrentes a draconibus qui tam facile in talibus paroeciis proliferunt. Non illos condemnemus ad dracones, sed misereamur pauperum et debilium in Ecclesia.

Propter has considerationes rogo ut porta non claudatur, sed tota res committatur prudentiae et iudicio Ordinarii.

Concludo. Progressus culturae musicalis et technicae musicalis novam viam aperit. Nos qui ministrando pascimus populum Dei etiam in hac materia signa temporum agnoscamus.

17

EXC.MUS P. D. BONAVENTURA LEO DE URIARTE BENGOA

Episcopus tit. Madaurensis, vic. ap. S. Raymundi

Parcite mihi si, quin peritus sim in arte sacra, quasdam circa ipsam observationes vestro illustrato iudicio pro bono Ecclesiae proferre valeam.

Ars sacra proindeque artifices sacri in universo mundo necessarii sunt, sed in hoc est periculum quod omnes videre possumus; nam multi, qui neces-

sitate compulsi vel audacia impulsi, arti sacrae operam navant, tum in aedificatione ecclesiarum tum in decoratione earundem, tum in acquisitione imaginum, immo vestimentorum sacrorum cum ingentibus expensis, cum quibus sub peritis in arte, magna et artistica opera fieri potuissent. Eo vel magis hi periti necessarii sunt in his temporibus, in quibus ars nova videtur esse in crisi ne evolutio convertatur in revolutionem et confusionem, et ne ut ars moderna exhibeantur errores artistici absque discretione facti neque cognitione artis sacrae verae et authenticae.

Certum est Ecclesiam accommodari omnibus culturis omnium populorum, sed distinguenda est ars profana et ars sacra, ars antiqua et ars moderna. Nescio cur debeamus imitari artem Ecclesiae primaevae neque respuere artem sacram hodiernam dummodo vera sacra sit. Cum Ecclesia progrediatur et adaequetur omnibus temporibus. Dolendum est aedificare ecclesias et capellas aliquando cum magnis sumptibus absque ullo stylo et, quod peius adhuc, absque securitate technica, praesertim in regionibus terraemotibus expositis. Hac de causa prudentissima est dispositio in pag. 200, n. 100: In diiudicandis artis operibus periti adhibeantur. Necnon quae in eadem pag. 200, nn. 102-103 continentur: « Commissiones de arte sacra tum dioecesanae tum provinciales, vel regionales vel nationales vel internationales, congregentur in quantum possibile ex utroque clero et laicis peritis.

« Episcopi vel per se ipsos vel per sacerdotes qui peculiari facultate et amore praediti sunt, artificum curam habeant ut eos spiritu artis sacrae et s. Liturgiae imbuant. Artifices autem omnes qui ingenio suo vocati gloriae Dei in Ecclesia sancta servire intendunt, semper prae oculis habeant agi de sacra quadam Dei creatoris imitatione et de operibus cultui catholico, Ecclesiae aedificationi necnon fidelium religiosae instructioni destinatis ». Necnon devotioni et pietati fovendae loci, ut dicit Iesus: « Domus mea domus orationis est »; ideoque orationi aptandus est locus sacer. Artifex praeclari nominis aiebat: Nos plures artifices sumus, sed profani in arte sacra, ideoque indigemus artifice perito in arte sacra ad locum sacrum aedificandum; verumtamen consecuto fine principali loci sacri, ars sacra fines artisticos persequi optandum est; ut ita locus sacer et ars sacra compleantur.

Vitanda tamen duo extrema, pauperies quae dedecet Domum Dei, et magnificentia supra id quod paupertatem Iesu Christi dedeceat. Sunt ecclesiae, immo et capellae praesertim religiosorum, quin de domibus et collegiis loquamur cum scandalo gravamine et damno fidelium, quae ita rebus pretiosis abundant ut sufficientes sint ad multas alias ecclesias et capellas indigentes honeste subveniendas.

Conclusio: Nulla ecclesia aedificetur absque artificis periti directione et approbatione Ordinarii, ut sit vere technica et artistica domus Dei et domus orationis.

18

Exc.mus P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO
Episcopus Lucknovensis

Circa cap. VII: de Musica sacra.

N. 97 decernit quod in missionibus musica congruum locum habeat: evidenter de musica peculiari loci agitur.

N. 94 vult ut Musica sacra non repugnet gravitati et sanctitati liturgiae.

Theoretice, ergo, necessitas introductionis usus musicae localis in liturgia non posset magis commendari; praeterea non deest cura ad tuendam Musicam sacram et sanctitatem liturgiae.

Tamen vellem ut Patres considerarent aliquod *factum,* quod generatim in locis missionum verificatur. Nempe: musica plurium populorum non debet considerari ad modum cantus gregoriani, vel polyphoniae occidentalis. Haec musica iam regulas definitas obtinet; immo « tonalitates » tales sunt ut quis facile eas adhibere possit sive pro profanis cantibus, sive pro religiosis, quin tamen confusio vel admiratio nascant.

Hoc autem non accidit in musica aliquorum saltem populorum in missionibus, v. g. in India, ubi loco tonalitatis habetur « Naga », quo ad exprimenda humana sentimenta utitur, vel gaudii, vel luctus, vel doloris...

Nunc omnibus patet quod si quis gaudium, vel laetitiam religiosam exprimere vult, in musica utitur eodem « Naga » quo utitur quis in exprimenda eadem sentimenta in rebus profanis, et aliquando obscenis.

Sic factum est — experientia magistra —, quod aliquando pagani, dum audiunt nostram musicam religiosam cum eodem « Naga » executam, ac si « Naga » laetitiae et gaudii suae religionis, vel rerum profanarum exprimant. Et quia verba nostri cantus illi non intelligant, dicunt nos in nostra religione musica pagana vel profana uti.

Ideo peto ut sequens monitum in disciplina liturgica musicae, inseratur: « Caveant ne Musica sacra cum pagana vel profana confundatur ».

Circa cap. VIII: de Arte sacra.

Videtur hic praesumi quod, uti fit in arte occidentali, *stylus* differat a *subiecto* quod illo stylo exprimitur. V. g., Architectus pro nobis potest stylo gotico uti sive ad ecclesiam creandam, sive ad aulam, palatium etc. designare.

Non ita fit autem in arte aliquorum populorum in missionibus. Stylus a subiecto non distinguitur. Sic v. g. in India monumenta artis Hindu, et ars ab Hindu adhibita, idem sunt, ita ut tantum templa Hindu illa arte locali erecta sunt. Hic non loquar de stylo arabico quo usi sunt in Mausolea et aedificia profana aedificanda.

Ideo si de arte maioris partis populi agitur, de arte Hindu agitur; et sic accidit quod ecclesiae quae constructae sunt sequendo illum stylum peculiarem, templa Hindu videntur esse.

Propterea liceat mihi rogare Patres ut ad n. 99 velint addere sequentia verba: « Concilium autem non potest adprobare ut aedificia sacra tali artis stylo construantur, ut nulla detur differentia inter ecclesias catholicas et templa paganorum ».

19

EXC.MUS P. D. LEO STEPHANUS DUVAL
Archiepiscopus Algeriensis

N. 82. Expressio « peccatum sociale » est aequivoca. Adhibeantur alia verba ad exprimendum aspectum socialem peccati et responsabilitatem quam quisque habet in malis societatis.

20

EXC.MUS P. D. ISIDORUS MARCUS EMANUEL
Episcopus Spirensis

Disceptationi de schemate constitutionis de s. Liturgia modo conclusae liceat mihi apponere in scriptis brevem animadversionem, quae n. 84 in cap. V (festa Sanctorum) spectat: Ex magno numero Sanctorum sacerdotum paucissimi tantum in calendario liturgico hoc titulo ornati inveniuntur, sicut S. Hieronymus presbyter, confessor et Ecclesiae doctor, S. Valentinus presbyter et martyr, S. Ioannes Nepomuzenus presbyter et martyr (in off. pro aliquibus locis). Alii sacerdotes Sancti simpliciter inter martyres vel confessores non pontifices enumerantur.

Attamen rationes tum theologicae tum pastorales videntur suadere, ut occasione recognitionis librorum liturgicorum, quae in cap. I, sub n. 16, commendatur, hic « defectus » corrigatur.

Revera sacerdotes Sancti in terris degentes perpetuum hauriebant sanctificationis augmentum ex peculiaribus gratiis in sacramento sacri Ordinis confertis, in caelo autem triumphantes charactere indelebili sacerdotii insigniti in aeternum prae sanctis non sacerdotibus effulgent.

Quo charactere sacerdotali necnon ministerio sacro iam in terris multo magis pontificibus appropinquare videntur quam non pontificibus. Sane in ipso Ordinationis ritu episcopus candidatos ordinandos non semel uti coadiutores et cooperatores muneris sui alloquitur, in fine vero neopresbyteros sollemniter salutat illo Dominico verbo: « Non iam dicam vos servos, sed amicos meos! ». Proinde omnibus sacerdotibus Christi esset magnum confortamen, candidatis autem novum incentivum, si Sancti sacerdotes etiam in Liturgia sacra titulo proprio dignitatis suae ornarentur. Fidelibus vero laicis tempore maxima sacerdotum penuria laborante vocationes sacrae impense commendarentur.

Valde optandum quidem apparet, ut sacerdotes Sancti etiam Missa propria et officio proprio honorentur ad instar Sanctorum pontificum.

Sancti vero, qui non gaudent charactere sacerdotali, debito honore minime privantur. « Stella enim a stella differt in claritate » (*I Cor.* 15, 42). Immo Sancti laici qua tales magis conspicui evadunt, si non una cum sacerdotibus mere privative « non pontifices » nuncupantur, sed positive « confessores laici » nominantur. Quod magni momenti esse videtur in nostra aetate apostolatus laicorum.

21

Exc.mus P. D. IESUS ENCISO VIANA
Episcopus Maioricensis

Cap. VI.

Quidam Patres Conciliares, amore paupertatis ducti, petierunt in hac aula, ut actus liturgici expolientur omni supellectile, quae divitias, magnificentiam et pompam prae se ferant.

Certe aedificatione nobis est talis spiritus paupertatis. Liceat tamen in memoriam revocare quondam in Bethania Mariam sororem Lazari alabastrum nardi pistici pretiosi fregisse, ut unguento caput et pedes Iesu ungeret. Fuerunt ibi quidam, quibus hoc displicuit: « Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, et datum est egenis? ». Placuit tamen Iesu, qui Mariam defendit (*Io.* 12, 1-7).

Liceat etiam rememorari Iesum non instituisse Eucharistiam in tugurio vel misera domo, sed apud virum quemdam, relative saltem divitem, qui optimam domus aulam, cenaculum nempe, ei apparavit tapetiis ornatum; talem scilicet qualem ipsemet Christus quaerebat: « Ipse vobis demonstrabit cenaculum grande stratum » (*Mc.* 14, 15), dixerat Apostolis suis.

Ex circumstantiis adunationis eucharisticae a Paulo Troadis celebratae unum tantum scimus; et hoc non paupertatem sed profusionem quamdam denuntiat: « Erant autem lampades copiosae in cenaculo, ubi eramus congregati » (*Act.* 20, 8).

Immo traditio romana loquitur de Petro Eucharistiam celebrante in domo Pudentis; et prima templa romana fuerunt domus christianorum divitum, qui suum triclinium cum impluvio pro adunationibus offerebant.

Ipsi Sancti Patres, tam Orientis quam Occidentis, quos Ecclesia maxime laudat et honorat, magnificentiam in Liturgiam induxerunt.

Unde cum maxima reverentia erga opiniones aliorum, credimus paupertatem esse practicandam in vita particulari episcoporum et sacerdotum, sed non in caerimoniis liturgicis.

Si fideles viderint ecclesiasticos, quamvis in Liturgia vestibus pretiosis utantur, cum simplicitate vivere, non curribus opulentis itinerare, non in commodissimis quidem sed valde dispendiosis hospitiis degere, nec longa

itinera recreationis gratia instituere, intelligent certo nos magnificentiam non pro nobis sed pro Dei servitio quaerere.

Ad cap. VIII.

1. His, quae in cap. VIII de Arte sacra dicuntur, ex toto corde adhaereo; et praesertim n. 99, ubi asseritur: « Nostrorum etiam temporum atque omnium gentium et regionum ars liberum in Ecclesia campum habet ».

Vellem tamen ut expresse statuatur primam normam, tam in sacris aedibus quam in imaginibus approbandis, esse earum aptitudinem ad suum proprium finem; et reliquas normas, aesthetica non exclusa, secundum locum tenere.

Ecclesiis enim nostris applicari potest quod de templo hierosolymitano scriptum est: « Domus mea domus orationis vocabitur ». Si qua ergo aedes ad orationem non invitat sed potius animum dissipat, non debet tanquam aedes sacra approbari. Et similiter dicendum est de imaginibus.

Unde proponere audeo ut in pag. 199, lin. 24, ubi dicitur: « Ita quidem ut eadem ad mirabilem illum concentum... suam queat adiungere vocem », inserantur haec vel similia verba: « Ita quidem ut eadem et fini suo respondeant et ad mirabilem illum etc. ».

2. Vocem meam adiungere volo voci eorum Patrum, qui cultum sacrarum imaginum propugnaverunt, in variis conciliis, a Nicaeno II ad Vaticanum I, sancitum.

Censeo tamen etiam in extremo opposito aliquid esse a Concilio ordinandum. Sunt enim quaedam ecclesiae, quae tali numero imaginum obruuntur, ut vere inordinatus evadat, et hodiernam mentalitatem speciali vi offendat. Unius eiusdemque sancti, praesertim Beatae Mariae Virginis, tres, quatuor vel plures imagines aliquando venerationi exponuntur. B. M. V. dignissima quidem est ut ab omnibus hominibus agnoscatur et honoretur. Sed multiplicitas imaginum in eodem templo non auget honorem, et periculum praebet simplicioribus credendi B. V. non unam sed plures esse.

Unde humiliter propono ut, his quae fortasse de imaginibus sacris in schema introducentur, haec vel similia addantur: « Aedes sacrae non nimio imaginum numero redundent, et in uno eodemque templo ne exponantur venerationi fidelium plures imagines eiusdem sancti; possunt tamen varia eorum vitae momenta vel mysteria repraesentari ».

3. Optime schema, in n. 103, episcopis commendat ut artifices spiritu Artis sacrae et sacrae Liturgiae imbuant. Sed etiam his peractis opportunum esset ut artifici opus artis sacrae conficienti adesset sacerdos, qui eum in his, quae S. Scripturam, Liturgiam et alia similia spectant, consiliaret.

Unde in fine primae paragraphi n. 103 possent addi haec vel similia: « et curent ut artifices, quibus opera artis sacrae commendentur, frui possint collaboratione alicuius sacerdotis periti ».

22

Exc.mus P. D. IOSEPH FADY
Episcopus Lilongwensis

Liceat mihi pauca dicere de n. 81, consentientibus etiam aliis episcopis regionum nostrarum.

Diebus dominicis optime nobis datur opportunitas fidelibus et catechumenis claram, accuratam et completam catechesim impertiendi, dummodo praestantiores Scripturae Sacrae textus ita eligantur ut in Introitu, Collecta, Epistula et Evangelium uniuscuiusque Missae dominicae, de una eademque materia tractetur. Experientia enim pastorali constat, christifideles et catechumenos facilius instrui et eorum mentes potius trahi propositione et expositione unius veritatis, succincte et clare facta quam sine magno labore mente retinere valeant. Si etenim solide instructi fuerint — cum patientia et perseverantia — unaquaque die dominica, etsi forsan ad tempus domum Patris deseruerint, saltem et fere semper, morte instante se cum Deo reconciliare et Sacramenta recipere petunt. Ubi autem instructio talis defuerit, in vanum laboraverunt operarii.

Perfectum exemplum huiusmodi unitatis iam habetur in festivitate Ascensionis Domini, in qua revera Introitus, Collecta, Epistula necnon Evangelium intime inter se connectuntur, et homilia ex textibus sacris quasi naturaliter profluit.

Hic addere velim, textus sacros magis trahere quam verba praedicatoris. Sunt enim verba inspirata et prolata ex labiis Domini et Apostolorum.

In concreto materia melius disponenda est praesertim in Dominicis post Pentecosten, in quibus nexus inter Epistulam et Evangelium vix inveniri potest. Hisce diebus dominicis mysteria et virtutes quae antea locum non habuerunt, exponantur, textibus congruis allatis. Insuper aptum locum obtineant textus qui devotionem erga Ecclesiam, Corpus Mysticum Christi, fovere et augere queant.

Novam dispositionem Evangeliorum et Epistularum cum gaudio acceptabimus, si in iis « integer cyclus mysteriorum recolitur » decursu duorum triumve annorum, durante Missa dominica cui christiani omnes in nostris regionibus regulariter assistere solent. Sic sacerdotes, in dioecesibus nostris numero pauciores, multitudinem fidelium contra gravissimum malum ignorantiae efficaciter protegere valent. Usque nunc opus erat instruere adultos quotannis in vicis eorum per quattuor vel quinque dies ut veritates salutis in memoriam revocentur vel amplius explicentur.

Tandem quod hac de re ad n. 38 exc.mus Dominus Perraudin dixit, approbamus et corroboramus.

23

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis - episcopus Squillacensis

Opportunum videtur, cum prima vice in Conciliis Oecumenicis tractatio fiat de Arte sacra, ut in mentes omnium revocentur altiora principia quibus semper informari debent quaecumque conamina proficiendi et perficiendi opera artis — et praecipue ipsas aedes sacras seu ecclesias — quibus populus christianus utitur in celebratione mysteriorum Dei.

In Vetere Testamento Moyses iubetur in deserto tabernaculum construere iuxta exemplar quod ipsi monstratum est in monte: cui postea suffectum est templum in Ierusalem, unicum pro toto populo electo, ad unitatem Dei significandam et inculcandam.

In Novo Testamento maxime elucet condescendentia Dei erga nos: Christus enim per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, idest non huius creationis, introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa. Sed quis est Christus? Est revera Emmanuel, Deus nobiscum, est Verbum quod, caro factum, habitavit in nobis, seu posuit tabernaculum suum intra nos.

Ad Christum Dominum ergo respicere debemus, qui et ipse per carnem suam inter nos dignatus est vitam degere et ita mirabilius reformare dignitatem humanae substantiae.

Deus ipse ergo condescendit nobis, dignatur esse in nobis et nobiscum, et eligit suam domum inter nos habere.

Domus Dei, quam homines aedificant in honorem Dei, sit ergo semper: speculum condescendentiae divinae, signum habitationis Dei inter nos, gloria christianorum, qui in domo Dei Deum, quem caeli caelorum continere non possunt, non solum adorant, sed Filium Dei Iesum Christum, Deum verum et hominem verum, adorant in SS. Eucharistia realiter praesentem, qui factus est pro nobis sacrificium, communio, comes peregrinationis nostrae.

Condescendamus ergo sensui artistico in erectione ecclesiarum, et foveamus artifices, quorum ingenia in servitium Dei et Ecclesiae operam navant; sed ab eis requiramus:

1. Ut domus Dei, qui habitat in nobis, condescendat necessitatibus humanis, sed semper distinguatur a domibus hominum, qui per divina ad altiora elevari debent: *condescendentia utique, sed etiam transcendentia.*

2. Ut quicumque intret in domum Dei: ad elevationem animae in Deum et res divinas possit adduci et ad preces fundendas disponi: « Domus mea domus orationis est ».

3. Erudiatur quidem fidelis qui domum Dei agnoscat symbolum ipsius animae humanae in qua Deus habitare vult: per fidem in intellectu, per amorem in voluntate, per zelum in cultu Deo exprimendo, in communione Corporis Mystici Christi.

Et haec eruditio fiat iuxta traditiones populorum et propensiones et progressiones artis modernae. Nulli rei officere debemus, nisi malae: sed malum est illud quod est contra rationem boni. Animum addamus ergo artificibus qui concurrere volunt ad splendorem domus Dei et ad dignitatem cultus promovendi, et salvis principiis theologicis requiramus ut et tempore praesenti — et etiam quocumque tempore iuxta ingenia temporum — opus hominum concurrat etiam per artem ad Deum glorificandum et homines elevandos.

24

Exc.mus P. D. IOSEPH FENOCCHIO

Episcopus Apuanus

Videtur cum hoc articulo connecti posse quaestio de cultu S. Ioseph in sacra Liturgia amplificando.

Beatus Ioseph, qua Sacrae Familiae caput, Sanctissimae Virginis sponsus et Incarnati Verbi nutricius, in Incarnationis et Redemptionis mysteriis locum et officium omnino singulare tenet, ideoque omnibus sanctis, Beata Virgine Maria utique excepta, dignitate antecellit.

Haec Beati Ioseph singularis excellentia, quae ob eius peculiarem relationem cum Incarnationis redemptivae mysterio luculenter fulget, valde congruit ut etiam in Ecclesiae Liturgia eniteat; Liturgia enim opus Redemptionis prosequitur, ut docet Pius XII in Encyclicis Litteris *Mediator Dei.*

Meminisse praeterea iuvabit omnia Oecumenica Concilia, explanando mysterium Christi, indirecte collustrasse dignitatem illarum personarum quae arctissimo vinculo Salvatori nostro coniunctae fuerunt.

Neminem latet antiquiora Concilia, naturam duplicem in Christo definiendo, dignitatem Beatae Mariae Virginis praedicasse, cuius rei non pauca monumenta in Liturgia exstant. Nunc vero videntur advenisse tempora ad melius collustrandam singularem Beati Ioseph dignitatem: lux enim Christi Domini nostri eiusque Matris iam abunde in eum redundavit. Addatur praeterea pietatem in Sanctissimum Christi Iesu Nutricium nostris temporibus maximum incrementum adeptam esse apud Sacram Hierarchiam, clerum, religiosas familias, populum christianum; in qua fovenda non parum profuerunt Documenta Summorum Pontificum, praesertim ultimi saeculi.

Quapropter Sacrosancti Concilii Patres reverenter rogo ut singularissimam S. Ioseph dignitatem sollemniter declarare velint, istiusque declarationis recordationem in sacram Liturgiam inserere.

Haec liturgica monumenta in honorem S. Ioseph humiliter propono:

1. Invocatio S. Ioseph, in Litaniis Sanctorum, immediate post nomen Beatae Mariae Virginis pronuntietur.

2. Nomen Beati Ioseph formulae Confessionis (Confiteor) addatur, eiusque locus sit statim post Mariae nomen, ita ut Beato Michaeli Archangelo praecurrat.

3. Nomen S. Ioseph in Ordinario Missae invocetur. Quod fieri potest vel in ipso Canone, vel saltem in orationibus « Suscipe Sancta Trinitas », peracta oblatione dicenda, et « Libera nos », quae dominicam orationem sequitur.

4. Festivitas cui nomen « Patrocinium Sancti Ioseph » in integrum restituatur. Haec enim festivitas specificam et magni momenti significationem habet praesertim nostris temporibus, quibus conscientia christiana mysterium Ecclesiae profundius penetrare conatur et intimius vivere; quae significatio neque exprimitur, neque exprimi potest festis nunc exstantibus et celebrandis die 19 martii et die prima maii.

25

Exc.mus P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c.i.s. Delhiensis

Circa art. 80, pag. 191: Cum dies dominicus sit unica occasio in hebdomada in qua fere omnes fideles conveniant, et proinde multa illa pulchra in schemate locum habere possint et debeant, velim ut plus attentionis dirigatur in diem Domini, uti medium maximi momenti pro sanctificatione Populi Dei.

Haec proinde addi possent art. 80 de quo agitur: « Peculiaris natura diei dominici pietati fidelium quam maxime proponatur et inculcetur, quatenus est " dies Domini " et hebdomadalis commemoratio mysterii paschalis et christianae fidelium regenerationis ».

Deinde addatur: « Fiat ergo dies festivus in quo homilia, actuosae participationis conatus et alia adiumenta liturgica ita efformentur, ut populus Dei revera confortetur et laetificetur, dum Deus unus et trinus magis glorificetur. Aliae proinde celebrationes nisi revera sint magni momenti, ipsi nullatenus praeponantur ».

26

Exc.mus P. D. EMMANUEL FERNÁNDEZ-CONDE

Episcopus Cordubensis

Nn. 80-81. Maiorem praestantiam tribuendam censeo « Proprio de tempore » in anno liturgico, ut fit post innovationem librorum liturgiae a Sancto Pio X inchoatam opportuneque in recentioribus Rubricis perfectam.

« Proprium de tempore » Domino est consecratum, quodque cumulo festorum Sanctis tributorum obscuratum fuerat. Hoc sensu admodum consentaneum mihi videtur quod in n. 81 legitur.

Attamen ut « Proprium de tempore » pluris habeatur earum formularum exempla ita ditare, maxime in Missis feriarum, necessarium duco, ut non tam

frequens Missa Dominicae iteretur. Quod ut consequatur satis erit prisca Sacramentaria recolere inexhaustum thesaurum praebentia orationum, praefationum, quae compleri possunt lectionum serie ex Sacris Litteris delectarum, ut optime dictum est in hac aula conciliari.

Hic tamen unice honestanda videtur maxima praestantia « diei Dominici » apprime significata in numero octogesimo schematis.

Digna celebratione profecto diei Dominici fideles conscientiam suae dignitatis christianae recognoscent et mysteria praecipua, quae ipsam vitam christianam constituunt, attingent, beatam passionem dico, ab inferis resurrectionem atque gloriosam ascensionem Christi, ex quo universa redemptio constat.

Dies Dominicus, reapse, nec dicatur nec dicari potest devotioni cuidam singulari, sed magnae « devotioni » Ecclesiae, qua commemoratur et vivitur mysterium plenum, unicum, et multiplex Christi Domini, unde dies Dominica nomen accepit.

Praeter intimam praestantiam et propriam diei Dominici, eius influxus praetermittendus non est pastoralis, utpote qui revera multi fideles hanc solum occasionem nanciscantur sese adhaerendi Ecclesiae, et suo Pastori.

Summe itaque utendum est hac opportunitate singulari, ut fideles edoceantur:

1. Eorum praesentiam in Missa Dominicae, potius quam officium fungendum, requisitam esse natura baptismatis. Ideo quia christiani sunt, necessitudinem sacrificii Domini sentire debent, « sine Dominico esse non possumus » ut martyres Abythiniae clamabant.

2. Plenam et integram participationem sacrificii Christi, quo inde ab aevo apostolico centrum consistit celebrationis dominicalis, ex verbo Dei hausturos, quod in Epistula et in Evangelio continetur, et in homilia profertur; singulari tamen modo participatione sacramentali in Communione. Homilia igitur locos praestantiores Missae enucleate proferet.

3. Si intimis sensibus fideles Sacrificio dominicali interfuerint, se necessaria re coactos Dominicam sanctificaturos, in primis lectione verbi divini cuius sensus atque delectatio eos aptaverit ut scite et laete sancto Missae Sacrificio adsint.

27

Exc.mus P. D. CAROLUS A. FERRERO DI CAVALLERLEONE
Archiepiscopus tit. Trapezuntinus

Caput V: ad n. 84. Mihi optimum videtur si *in festis Calendarii Romani* locum obtinerent cum Missis propriis pro Ecclesia universa, *Sancti Veteris Testamenti*: in primis David Rex, et insuper Protoparentes, Patriarchae maiores, Moyses et Aaron, Prophetae.

Laudandum etiam si festa Sanctorum, ad Ecclesiam universam extenta,

ea sint tantum quae « Sanctos memorant momentum universale revera prae se ferentes »; sed valde *doleo de recenti perlibratione,* ut ita dicam, omnium fere Sanctorum in III classi liturgica, quia, sine ullo iudicio de gradu sanctitatis, puto quod attendere debemus ad Providentiae Divinae significationes et maiores liturgicos tribuere honores illis qui a Divina Providentia evidentissime insigniti sunt, pro bono animarum, testimoniorum specialium: verbi gratia, Maria Magdalena, a D. N. I. Christo singulariter dilecta et exaltata, curnam honoribus liturgicis singularibus laudari non deberet?

Ad n. 85. Nullo modo mihi videtur commendandam esse assignationem *festi Paschatis* certae dominicae: fere bis mille annorum vitae christianae et pulchritudo variationum festorum per singulos annos mobilium, firmitatem suadent moris qui nunc est.

Cap. VII: ad n. 94 (linn. 23 et 24). Postulo normas ut *polyphonia* non sit, uti frequenter in sacris caeremoniis lamentatur, merum artis testimonium, seu non impediat verborum, quae canuntur, intelligentiam.

Ad n. 98 (linn. 30-32). Puto quod melius sit iterum perpendere rationes et modos vetiti circa *instrumenta* sic dicta « *mechanica seu automatica* ».

28

Exc.mus P. D. IOANNES FERRO
Archiepiscopus Rheginensis

Quae in hoc schemate optime statuuntur circa annum liturgicum, profundiorem aliquam significationem habent quae respiciunt summi momenti quaestiones, ad quas absque dubio redeundum erit, cum de sanctificatione diei festi et de obligatione poenitentiam agendi disceptatio fiat.

Attamen quia ad eas quaestiones solvendas elementa nonnulla ex his quae in hoc capite V proponuntur erui possunt, pauca verba mihi dicere liceat de tempore quadragesimali ac de praxi poenitentiali Quadragesimae opportune restituenda.

Ad hanc disciplinam poenitentialem instaurandam « quae res maxime urgenda videtur » valde conferet consensus christianorum in festo Paschatis assignando certae dominicae; ex quo consensu omnes christifideles eodem tempore praxim quadragesimalem iuxta proprias consuetudines inducendam curabunt. Liceat hoc votum proferre hodie, dum tot in Christo fratres aliorum rituum vel ab Ecclesia catholica separati hic nobiscum sunt in charitate coniuncti, de quorum praesentia in hoc templo apud B. Petri gloriosum sepulcrum omnes gratulamur.

Gaudium erit omnibus cum sacrosancta Iesu Christi mysteria iisdem diebus ubique terrarum pia devotione christianorum recolentur.

Hoc modo indolem vel formam socialem melius et efficacius dare licebit praxi poenitentiali quadragesimali, utique aptatam iuxta diversarum regionum condiciones et consuetudines.

Nostris hisce temporibus multi homines taedio affecti de nimia levitate ac falsitate quae in mundo inveniuntur, magna aestimatione prosequentur signa vera devotionis et poenitentiae christianorum « e. g. processiones stationales, viae crucis, piae recollectiones » quae si operibus charitatis et misericordiae sociantur cum actuosa voluntate perfectioris iustitiae socialis adipiscendae, magnum emolumentum afferent vitae christianae et ad bonam frugem vocabunt multos.

Ut homines iuxta legem divinam recte mores instituant et contra daemoniorum illud genus, quod eicitur oratione et ieiunio, acriter pugnent, omni ope nobis nitendum est. Quapropter non solum altius erit efferenda Christi lex ad dignitatem et sanctitatem hominis a Christo redempti et familiae, sed et necessitas poenitentiae clare et firmiter conclamanda erit ab hoc sacrosancto Concilio, cum semper vera sint et urgeant verba Salvatoris « nisi poenitentiam egeritis omnes similiter peribitis ».

Attentis autem diversis condicionibus hominum in tot dissitis regionibus degentibus perpauca opera poenitentiae praescribantur lege generali; alia relinquantur in singulis nationibus confirmanda vel instauranda.

29

Exc.mus P. D. FIDELIS GARCIA MARTINEZ
Episcopus tit. Sululitanus

Circa schema de S. Liturgia Sacri Concilii iudicio reverenter subicio: circa cap. VI, de sacra supellectile: ut amictus et manipulus quorum nulla iam manet utilitas nec significatio pro populo christiano, universim supprimantur.

30

Exc.mus P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

Ad meliorem intelligentiam et participationem fidelium in die dominica conferre posse videtur renovatio traditionis poenitentiae in die VI praecedentis hebdomadae; dum, e converso, ex connexione poenitentiae, in die VI praescriptae, cum celebratione diei dominicae, oriri potest renovatio valde urgens huius traditionis. Utrumque brevi declaratur:

1. *Dies Domini intime connectitur cum feria VI poenitentiali.*

Dies dominica procul dubio resurrectionem Domini commemorat, dies autem VI ut dies poenitentiae habetur propter memoriam Passionis Domini. Quemadmodum igitur dies festus Paschae a commemoratione Passionis Domini in feria VI hebdomadae sanctae separari non potest, ita nec dies domi-

nica cuiuscumque hebdomadae a commemoratione mortis Domini, qualis ab Ecclesia praescribitur?

Unde legitime speratur connexionem firmiorem clarioremque diei Domini cum poenitentia diei VI ad intelligentiam diei dominicae profuturum esse: « Compatimur... ut et conglorificemur... » (*Rom.* 8, 17).

2. *Renovatio urgens sensus poenitentiae authenticae in die VI ex connexione cum die dominica facilior evadit.*

Poenitentia diei VI ab Ecclesia sub specie legis abstinentiae praescribitur. At negari non potest, in multis regionibus, hanc praxim ad meram formalitatem reduci, ita ut potius vertat in dissolutionem verae obligationis moralis et etiam contritionis et poenitentiae; ita ut etiam educatio conscientiae puerorum ex hoc difficilior evadat, et sensus mandati enervetur.

Via renovationis, ab intimo rerum, daretur ex connexione strictiori poenitentiae huius feriae VI cum die dominica, ad quam animos aptissime praeparat.

Quidquid igitur fuerit de sententia et decisione Concilii circa legem abstinentiae, de qua ulterius suo loco tractandum erit, multum conferre posse videtur, cum ad celebrationem diei Domini, tum ad intelligentiam poenitentiae diei VI, affirmatio hic allata intimae connexionis inter hanc poenam et illud gaudium.

Quod fieri potest, si huic n. 80 sequentia verba adiunguntur: « Traditio insuper poenitentiae in die VI cuiuscumque hebdomadae praecise renovetur quatenus communionem exprimit cum Domino patiente, et animos disponit ad communionem cum Ipso resurgente in coena eucharistica diei dominicae ».

31

EXC.MUS P. D. CESAR GATIMU

Episcopus tit. Abilensis in Palaestina, aux. Nyeriensis

Praeter ea quae dicta sunt liceat mihi aliqua proferre de Musica et Arte sacra, speciatim in quantum ad novam Africam attinet.

1. Ad n. 101, pag. 200, agitur de relationibus inter artem et sacram liturgiam et generaliter inter artem et omnes religionis manifestationes. In hac re advertendi sunt gustus et traditiones omnium gentium atque regionum; diversissimi enim gustus diversaeque traditiones extant apud diversas gentes. Haec diversitas maxime invenitur etiam in Africa: ibi enim innumerabilis est diversitas gentium traditionumque varietas. Quod praedicatur de tota Africa non invenitur revera apud singulas gentes vel tribus Africae. Sic gustus et traditiones gentium Congo non sunt gustus et traditiones gentium Kenyae. Quod placet de musica vulgo « tamtam » in Congo, non placet nec invenitur in Kenya. Advertantur ergo hae varietates et differentiae dum legiferatur vel agitur de musica et arte sacra.

2. N. 88, cap. VII, valde commendandus est. Ratio est quod non deest

populus qui ornatus diversos videntes diversimode senserit de forma et usu. Est proverbium in Kenya mea patria « *ornetur princeps ut praeclarum et superiorem in populo eum esse videamus* ». Ita non raro auditur et videtur fideles praeferre habere episcopum ad quasdam religiosas caerimonias peragendas plus quam vicarium qui mozetam non portat. Quapropter nihil mirum si etiam *Cappa Magna* appareat aliquibus quodammodo obsoletam, tamen alicui alio populo in occasionibus solemniis maxime perplacet. Hoc tamen non prohibet quominus sacrae supellectiles simpliciores et minoris pretii fiant.

3. In multis paragraphis huius capituli, praesertim in nn. 101 et 102, cum agitur de commissione dioecesana de arte sacra textus mentionem facit virorum in arte sacra vel legibus liturgicis peritorum. Sed quaero: ubinam inveniuntur artifices et alii viri in legibus et traditionibus liturgicis vere periti? Mihi videtur ipsos adhuc formandos esse. *Necessitas formandi viros in arte sacra et liturgia peritos praestat specialissimo modo in regionibus, ut Africa,* ubi Ecclesia recentissime fundata est et ubi ars christiana nuperrime orta est.

Sed etiam in nationibus iam a saeculis christianis, experientia docet hisce diebus non facile inveniri viri vere in arte sacra et legibus sacrae liturgiae docti. Dantur viri expertissimi in artibus profanis sed de legibus et exigentiis cultus quam maxime imperiti; nam in Universitatibus et Academiis disciplina de relationibus inter varias artes et sacram liturgiam rarissime, si quid, docetur.

4. Quapropter, mihi videtur perutile et valde necessarium esse quandam condere Scholam Superiorem seu Facultatem de Arte Sacra. Sicut in hac urbe Roma extant Pontificium Institutum de Musica Sacra et Pontificium de Sacra Liturgia, sic mihi videtur necessarium etiam quondam Institutum Pontificium de Arte Sacra. Si Institutum huius naturae conditum fuisset, possibilitas daretur explorandi melius artem in regionibus novis, sed etiam mittendi Romam alumnos ut studium peragerent de traditionibus genuinis Ecclesiae eiusque legibus in arte sacra. Mihi enim videtur insufficientem esse exhortationem pro instituendis artificibus quae expressa est in art. 103. *Aliquid amplius et quidem maioris efficaciae peragendum est.* Verba tantum parvum effectum producerent.

5. Nunc tempus adhuc datur ut in societatibus et nationibus novissimae Africae ars vere christiana formetur. Hoc mihi officium gravissimum videtur, nam ars est causa efficientissima atque duratura super quam novae traditiones gentium aedificantur et maximi interest ut hae novae traditiones sint christianae. Mihi videtur quod in condendo Pontificio Instituto de Arte Sacra, viri vere in arte sacra et sacra liturgia periti formentur non tantum ut consultores adeant in commissionibus de arte sacra, sed etiam *ut magistri in Universitatibus et Theologiae Scholis necnon Facultatibus et ut fermentum in societate evadant.* Humillime ergo peto ut hoc Sacrosanctum Concilium hortetur ut Pontificium Institutum de Arte Sacra pro imbuendis peritis in sacra liturgia in traditionibus et legibus ecclesiasticis hic in urbe pro omnibus gentibus condiatur. Qua de causa propono ut, ad n. 105 cap. VIII, pag. 201,

post verba « principia et historiae Artis Sacrae doceantur », addatur paragraphus sequens: « Praeterea hoc Sacrosanctum Concilium valde exoptat ut Pontificium Institutum de Arte Sacra pro imbuendis peritis in sacra Liturgia in traditionibus et legibus Ecclesiae in Urbe pro omnibus gentibus quamprimum condiatur ».

Quod faxit Deus, B. Maria Virgo, et S. Ioseph.

32

EXC.MUS P. D. IOSEPH GAWLINA
Archiepiscopus tit. Madytensis

Ad n. 97. Non intelligitur cur hoc in articulo iuste prolata *solummodo* pro regionibus *Missionum* praevideantur.

33

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS A. GONZÁLEZ Y ROBLETO
Archiepiscopus Managuensis

Pontificalia vestimenta, quibus Sancta Sedes induit — exempli gratia — Protonotarios Apostolicos, Praelatos Urbanos, Camerarios a Secretis etc., coadiuvant in Ecclesia diversis modis:

Ora concurrunt ad decus, ornamentum atque magnificentiam in sacris sollemnitatibus.

Ora verum constituunt stimulum tam in sacerdotibus recipientibus quam in aspirantibus.

Et denique, inter fideles augent aestimationem et appretiationem in favorem clericorum.

Proinde, opinor: Vestimenta pontificalia supradictis concessa, non esse auferenda. Si sublata fuerint, etiamque supprimere debent respectiva titula, nam sine significatione externa evasissent.

Terminus medius, hac in re, esse poterit si talia vestimenta solummodo utantur in sacris functionibus, necnon in publicis festis, sed non in cotidiana vita.

34

EXC.MUS P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

In introductione cap. VIII asseritur artem sacram ut finem habere « hominum mentes pie ad Deum convertendas ». Unde opera artium ad sacrum

cultum, utpote « rerum supernaturalium signa et symbola » Ecclesia semper quaesivit.

Exponuntur in hoc capitulo principia quibus opera artium instituenda in cultum videntur.

Siletur vero quaestio de iure Ecclesiae proprio vel nativo possidendi, administrandi et distribuendi opera sua artium, prout pastorales necessitates postulent.

Plerumque accidit, praesertim hodiernis temporibus, in quibus tot nova templa aedificantur, ut onera et dispendia multiplicentur, cum ex aliqua sive antiqua et ruinosa, aut e contra valde operum artis sacrae divite ecclesia, haud facile factu sit, haec opera in novum templum transferri ut sacro cultui melius et decentius destinentur. Et hoc ex triplici causa:

1. Ex studio quo rectores ecclesiarum in casu iura suae ecclesiae seu templi defendunt, quin necessitati generali Dioeceseos consulant.

2. Ex amore ut ita dicam sociali, quo fideles, vel cives, talia artium opera ut sua defendunt.

3. Ex cura, qua ipse Status civilis defendit, Ministerii vel Commissionis pro Artibus ope, ius et necessitatem artes defendendi.

Unde: *a*) ne onera et dispendia in templis aedificandis inutiliter, praesertim in pauperibus regionibus, multiplicentur, non sine scandalo fidelium et non fidelium; *b*) ne libertas pastoralis Ordinariorum criterio tantum humano coarctetur; *c*) ne libertas Ecclesiae possidendi, administrandi et disponendi opera sacra artistica criterio solummodo humano imminuatur vel laedatur.

Hoc voto petitur ut:

1. In iure condendo recognoscatur ius et libertas Ordinariorum talibus operibus artisticis sacris pro necessitate Dioeceseos utendi, illis operibus saltem quae in ecclesiis Ordinario subiectis continentur. Hic igitur rei normae iuris certae et firmae statuantur.

2. Principium saltem profiteatur quo potestas atque ius nativum et proprium Ecclesiae possidendi, utendi, administrandi et distribuendi opera sacra artistica expresse indicetur (cum implicite iam in Codice Iuris Canonici, can. 1495 § 1 contineatur). Cum autem exercitium huius iuris Ecclesiae aliquo modo societatem civilem affectet, aliquae normae ad usum procedendi statuantur.

Insuper: nemo nescit Ecclesiam, hic Romae, suum « Musaeum » artisticum habere. Sunt etiam in nonnullis dioecesibus « Musaea » similia, in quibus opera artistica religiosa et sacra servantur, defenduntur et fidelium admirationi et studio exponuntur.

Ex triplici autem ratione supra dicta, non parvae difficultates oriuntur ut opera artistica sacra et religiosa in illis « Musaeis » sistant et exponantur.

Unde: hoc voto etiam petitur ut ius et potestas Ordinariorum itemque et potestas Ecclesiae etiam ad ea quae ad « Musaea » spectant indicentur, itemque normae certae procedendi statuantur.

35

EXC.MUS P. D. THOMAS GUTIÉRREZ DIEZ

Episcopus Gadicensis et Septensis

De forma vasorum et vestium quae in sacrificio eucharistico adhibentur. Exigitur scilicet, pag. 193, ut forma vasorum et paramentorum usui consulat et reverentiam conciliet.

Iam vero, recenter apparuerunt calices in forma vasorum quae usu sunt pro liquoribus in conviviis profanis hauriendis, quaeque aliquando minore stabilitate pollent et semper valde a traditionali consuetudine differunt; quapropter admirationem fidelium suscitant et reverentiam erga sacrum mysterium minuunt.

Similiter, bona quidem intentione, praesertim in monasteriis virorum, cappae pluviales et casulae adhibitae sunt, restituta forma antiqua quae « gotica » appellatur. Inde in ecclesiis paroecialibus et sacellis religiosarum, inconsulto Ordinario, receptae sunt tales vestes contra Sanctae Sedis praescripta (cf. *A.A.S.,* 18 [1926], pp. 58-59). Immo, consulta circa paramenta ex oblatione fidelium, respondit *redigendas esse* tales vestes ad formam consuetam.

Certe, in decreto Sacrae Rituum Congregationis (cf. *A.A.S.,* 49 [1957], pag. 762), quaestio relicta est Ordinariorum iudicio, unde praxes diversae et oppositae in eadem regione ortae sunt. Sed in citato Decreto committitur Ordinariis ut curent « in hoc iudicio ferendo, ut sanctitati et decori divini cultus quam maxime prospiciatur, neque sinant a probata disciplina circa sacrarum vestium formam temere atque inconsulte recedi, immo omni cura eas mutationes prohibeant, quae perturbationes producere et fidelium animos in admirationem inducere possint ».

In schemate iudicium circa hanc rem Sanctae Sedi vel episcopis in singulis regionibus reservatur, iuxta art. 21 constitutionis, in qua quaestio remittitur Ordinariis provinciarum vel regionum vel Conferentiae episcopali nationali.

Interest vero ut clare et definite exprimatur cuius in posterum erit competentia ad quaestiones de hac materia solvendas et normae concretae ad iudicium efformandum statuantur .

36

EXC.MUS P. D. IOSEPH HASLER

Episcopus S. Galli

In cap. V, n. 83, pag. 191, in fine cuius est titulus « Praxis poenitentialis Quadragesimae opportune restituenda » legitur: « Indoles paenitentialis temporis quadragesimalis non tantum spiritualiter et individualiter colatur,

sed in vita quoque practica fidelium suam partem externam et socialem habeat ».

Maxime haec verba schematis mihi placent. Attamen aliam huius principii pulcherrimi applicationem proponere audeo. Non tam rationibus liturgicis quam experientia practica pastorali motus praeferendum mihi videtur ut vigiliae omnes, etiam Paschatis et Nativitatis Domini a praeceptis et ieiunii et abstinentiae liberae omnino sint. Ratio practica haec est: His in diebus milia fidelium extra familiam commorantes ad celebranda festa patriam domum repetunt. Hi autem non sine magna difficultate praecepta supra dicta observant.

Ne autem praxis poenitentialis nimis aboleatur audeo ulterius proponere ut praescribatur ieiunium:

1. pro feria IV Cinerum iis exceptis ritibus qui tempus quadragesimale posteriori tempore inchoant;

2. pro omnibus feriis sextis temporis quadragesimalis;

3. pro feria sexta Quattuor Temporum Adventus.

Lex abstinentiae valeat sicut adhuc in feria IV Cinerum et in omnibus feriis sextis totius anni salvis specialibus consuetudinibus et privilegiis.

Conscius mihi sum has propositiones magis ex rationibus eorum quibus cura animarum immediate incumbit, quam ex rationibus liturgicis ortas esse. Sed salus animarum praevalere mihi videtur.

37

Exc.mus P. D. FRANCISCUS JACHYM

Archiepiscopus Maroneus, coad. Vindobonensis

In n. 104, pag. 200, agitur de recognitione, emendatione ac etiam adaptatione illorum canonum et statutorum, quae pertinent ad ecclesias aedificandas et instruendas — certe labor eximiae difficultatis ac simul magni et praecipui momenti!

Ista decreta nempe hodie partim dispersa in variis decisionibus particularibus partim etiam obsoleta sunt partim obsolescent, si illa instauratio generalis sacrae Liturgiae secundum normas ab hoc Concilio iam disceptatas ac decernendas ad effectum adducta fuerit.

Interim autem iam ab annis in his architecturae et artis sacrae rebus obortum est tempus multorum et interdum etiam temerariorum experimentorum.

Cum vero iam alii abusus difficiliter tantum exstirpentur, multo difficilius ideoque fere numquam ecclesiae exstructae, altaria aedificata, tabernacula efformata, imagines pictae aut sculptae, supellex magno pretio comparata corriguntur aut emendantur aut tolluntur.

Quare haec recognitio et collectio et editio normarum de ecclesiis aedificandis mihi videtur esse urgentis necessitatis et periculum in mora imminere pro certo habeo.

Propono ergo et consensum huius sacrae Synodi rogo, ut annotetur etiam in fine istius paragraphi tempus, intra quod tale mandatum implendum sit.

Quod fieret concordanter cum n. 16, pag. 164, ubi de edendis liturgicis libris disseritur. Quae paragraphus etiam quoad rem cum nostra cohaeret ipsique respondet. Profecto iam deploratum est ista verba: « inter paucos annos » non esse nimis concreta, sed permanerent in documentis ut testimonium insistendi ex parte huius Oecumenici Concilii, et decursu temporum commentatores semper explanarent istam annotationem temporis appositam esse non ad finiendam, sed ad urgendam obligationem!

Repeto ergo meas preces, ut etiam hic numerus finiatur addendo saltem sequentia verba: « Quae recognitio et editio perficienda est intra paucos annos ».

38

Exc.mus P. D. HENRICUS JENNY

Episcopus tit. Lycaonensis, aux. Cameracensis

1. Ad n. 104 (pag. 200) intelligendum, « Declarationem » antea paratam esse necessariam et Patribus distribuendam dicere volui.

Quaestio est alicuius momenti. Nam textus regulas proponit pro aedificandis novis ecclesiis, quas multas in nostris urbibus, nos pastores, ad caelum, pro Deo et pro hominibus erigere debemus.

Dicent aliqui puncta minoris momenti ad commissionem postconciliarem referenda. In ipso tamen Concilio de his rebus materialibus sed sacris et venerandis, regulas sat concretas proponi perutile est, ita tamen ut, post Concilium, aliqua libertas, in eadem mente eodemque liturgiae amore, concedatur, his qui in Arte sacra et in templis construendis operam navant.

Votum pono, ut ea quae in Declaratione continentur ad illustrandum n. 104, textui incorporentur, vel saltem ut illa declaratio addatur ad operam commissionis postconciliaris regendam.

2. Ad n. 86: de calendario recognoscendo. Si institueretur tale calendarium sic dictum perpetuum in nulla traditione radicatum, nec super facta religiosa nec super scientiam naturalem vel cosmicam fundatum, vita nostra tam civilis quam religiosa mecanico artificio et mathematico motu contra psychologiam humanam duceretur. Et ideo propono ut n. 86 supprimatur.

Ultimum verbum addere mihi permittatur. Cum ad finem huius schematis de sacra Liturgia perventuri sumus, votum maximi momenti proferre audeo, ut in fine schematis inserantur haec verba: « Normae generales et altiora principia, liturgicam restaurationem respicientia, quae in hac constitutione decernenda vel decisa sunt, ad praxim inter paucos menses vel annos ducantur, ope commissionis specialis postconciliaris, pastoribus et peritis ex universo orbe adhibitis ».

39

EXC.MUS P. D. IULIUS GEORGIUS KANDELA
Archiepiscopus tit. Seleuciensis pierius, aux. Antiochenus

Liceat mihi, venerabiles Patres Conciliares et Observatores carissimi, quaedam exponere circa orientalem musicam sacram, sc. *de Choro christianorum levitarum,* qui iam a saeculis exsequitur cantum in Liturgia syriaca.

Notum est in primis christianismi saeculis scholas ad erudiendos pueros vix exstitisse vel, ubi exsistebant, a paucissimis tantum frequentatas fuisse. Non obstante autem illa carentia scholarum, communitas christiana, fere unice educata in sinu familiae, vitam religiosam gerebat valde profundam. Quomodo hoc explicatur? Ratio est, quod Liturgia sacra erat plerumque, ne dicam semper, illorum schola ac institutrix, esca ac nutrix.

Aliquid simile adhuc invenitur in nostra Liturgia syriaca, quae semper habuit, usque ad recentiora tempora, magnum quendam chorum, constitutum, ut ita dicam, ex omnibus fidelibus. Innumerabilis enim habebatur turba Subdiaconorum, Lectorum et Psalmistarum. Liturgia nostra alios gradus minores quam istos tres non habet, sed istos omnes laici suscipere possunt. Sic isti omnes cotidie ante ortum solis cantabant in S. Liturgia, illam meditabantur, gustabant et vivebant. Facile intelligitur etiam familias illorum Levitarum cotidie illos concomitatas esse ad ecclesiam, sicut hodie adhuc fit rure et in pagis nostris, sed, proh dolor, minus quam antea.

Attamen novum Ius Orientale, anno 1949 promulgatum, cum subdiaconis orientalibus imponat caelibatum, ad quem antea non tenebantur, ipso facto gradum subdiaconatus abstulit ab hoc choro levitarum cantorum, quia laici in Subdiaconatu positi iam non possunt in futuro matrimonium inire. Quamobrem fatendum est — salva reverentia erga Ius Orientale — pulcherrimam exsecutionem nostrae Liturgiae non iam augmentari sed diminui, exceptis locis ubi habeatur Seminarium quod istae deficientiae Levitarum subvenire possit.

Huius rei ratio quaerenda est in indole iuvenum. Illi enim pietate ducti duos inferiores gradus assumentes cupiunt ut etiam subdiaconatus gradum adipisci possint, ad morem in Ecclesia Orientali vigentem. Quid nunc eveniet? Audeo dicere iuvenes ac adulescentes, propter impossibilitatem perveniendi usque ad subdiaconatum, sese retrahere a choro levitarum, qui erat decus solemnitatum atque aedificatio populi christiani. Et sic nostra Liturgia syriaca pristinam pulchritudinem perdet.

Dixerit quis istum chorum levitarum substitui posse ab alio choro, constituto ab utriusque sexus laicis, sicut hodie apud nonnullos fit. Respondendum autem videtur talem mixturam haud optandam esse in cantandis laudibus Dei in Ecclesia. Praeterea, aliud est chorus a laicis non ordinatis constitutus et longe ab altari in aliqua rostra collocatus, aliud chorus constitutus

a coetu levitico, albis, stola et aliis vestimentis sacris induto, episcopum vel sacerdotem celebrantem circumdans in conspectu populi Dei. Etenim magnam habent utilitatem apparatus, ornamenta et solemnitates ad promovendam pietatem ac reverentiam erga Sacrificium Eucharisticum necnon erga quodlibet aliud exercitium solemne cultus divini.

Praeterea multum optandum est ut numerus Levitarum viventium in saeculo et tamen consecrati ad servitium altaris et Ecclesiae, omnino magnus sit, sicut fuit apud Hebraeos, ubi constituebant duodecimam partem populi. Evidens enim est coetum « shamassorum », uti nominantur lingua aramaica, id est, servorum Ecclesiae in diversis gradibus ordinis constitutorum, revera « florem » fuisse communitatis christianae, assiduissimos ad officia divina, viventes vitam christianam aliis meliorem. Optandum ergo fuisset ut primitivus status rerum conservatus esset, secundum adagium: favores ampliandi, odia restringenda sunt.

Aliud quoddam desiderium addere vellem: S. E. Mons. Khouri episcopus Maronita locutus est de restituendo die liturgico, ita ut dies semper computetur a vespere ad vesperam, sicut mos erat apud Hebraeos. Mihi autem videtur non esse redeundum ad istum morem hebraicum, attamen optarem ut vigilia diei dominicae ita constitueret unitatem cum die dominica ac festiva, ut iam vespere diei sabbati vel vigiliae obligationibus diei dominicae vel festi satisfieri possit, sicut aliquando mos viguit apud Armenos.

40

Exc.mus P. D. RENATUS KÉRAUTRET

Episcopus tit. Areopolitanus, coad. c.i.s. Engolismensis

In prooemio cap. VI (pag. 193) opportune memoratur decorem decere domum Dei et supellectilem pulchram adhibendam esse tam ut laus Dei plenior fiat quam ut fideles ad maiorem pietatem impellantur. Libenter et plene assentior.

Sed valde opto ut alterum principium affirmetur quod ad paupertatem attinet. Prooemium (lin. 9) dolet « humanam vanitatem quandoque decursu temporum irrepsisse ». Velim id apertius explicari.

Ex una parte videmus aliquos pastores, sive in aedificandis ecclesiis, sive in sacra supellectile acquirenda, sumptui nimio indulgere, sine ulla consideratione expensarum; alios pastores e contrario, per speciem paupertatis ecclesias et sacram supellectilem velle ad formas quae vix decent reducere.

Inter hos duos excessus, mihi videtur viam mediam quaerendam esse ita ut pro regula habeatur « semper digne, non sumptuose ».

Ex altera parte, in omnibus fere orbis regionibus circa civitates crescunt suburbia vel civitates novae quasi ex nihilo surgunt; quae vix ecclesias habere possunt, cum ibi plerumque vivant operarii prolem numerosam sed paulum

argenti habentes. Mihi denuo videtur remedium quaerendum esse ut quaedam repartitio opum intra limites eiusdem dioeceseos vel paulatim inter dioeceses fieri possit.

Scio tales propositiones etsi universale momentum habeant normis generalibus et ubique valituris exprimi non posse. Sed nisi in forma iuridica, saltem in forma voti exprimi possunt, ut menti Sancti Evangelii magis congruente, necnon aspirationibus hominum huius temporis qui exspectant ab Ecclesia testimonium paupertatis et communitatis fraternae usque ad quamdam partitionem pecuniae protractam.

Ideo, ceteris non mutatis, propono ut post lineam decimam septimam haec verba addantur: « Alius abusus oriri potest ex nimio sumptu in aedificandis vel ornandis novis ecclesiis. Est modus, praesertim his temporibus servandus ita ut, sumptui parcendo, testimonium simplicitatis detur et ut regiones pauperiores, ubicumque necessarium sit, ad ecclesias extruendas adiuvari possint.

41

Exc.mus P. D. MICHAEL KIEN SAMOPHITHAK

Episcopus tit. Octabensis, vic. ap. Tharensis et Nonsengensis

Nomine episcoporum Thailandiae et Laos regnorum.

De anno liturgico instaurando.

Annus liturgicus, sicut in Ecclesiae traditione observatur, sane optimus est; quia non est mere commemorativus mysteriorum Incarnationis et Redemptionis, sed etiam actualizans eadem mysteria, fovendo in cordibus nostris pietatem et pia sentimenta, ita ut, in tempore Adventus, possimus dicere ex corde sicut Prophetae et Patriarchae, expectantes adventum Salvatoris Domini: « Rorate coeli desuper et nubes pluant iustum ».

Item in die Natalis Domini, quasi viventes in realitate facti aut eventus, possumus eructare: « Hodie Christus natus est, hodie Salvator apparuit, hodie in terra canunt Angeli... ». Et sic per totum annum liturgicum, cuius centrum et culmen est mysterium paschale.

Attamen noster annus liturgicus nobis videtur incompletus; quia mysterium eschatologicum non celebratur cum convenienti celebritate. Videtur non habere locum Christo, qui venturus est iudicare vivos et mortuos.

Ergo, ad maiorem Dei gloriam et pro salute multarum animarum, humiliter proponimus additionem circuli eschatologici in anno liturgico nostro:

1. Circulus eschatologicus incipiatur a Dominica secunda ante finem mensis octobris, in qua legatur Evangelium secundum Matthaeum cap. 24: « Cum videritis abominationem desolationis quae dicta est a Daniele propheta, et reliqua... ».

2. In ultima Dominica octobris, legatur Evangelium secundum Lucam cap. 21, quod nunc legitur in prima Dominica Adventus: « Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et reliqua... ».

Hic circulus bene coincidit cum festo Omnium Sanctorum, in quo aspiramus beatitudinem cum Sanctis. Etiam coincidit cum Commemoratione omnium Defunctorum, in qua cogitamus supplicium fratrum nostrorum languentium in purgatorio.

3. Dies Dominicae mensis novembris, quae sequuntur, includantur in hoc circulo eschatologico, in quo lectiones et Evangelia legantur aut praedicentur de Novissimis, quae homines huius temporis obliti sunt aut neglexerunt aut considerant esse fabulas.

4. In die Dominica ante Dominicam primam Adventus, sicut corona huius circuli eschatologici, festum Christi Regis celebretur cum solemnitate, in qua proclamamus: Dominus iudex noster, Dominus rex noster, Dominus dominantium. Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum.

42

Rev.mus P. D. SIGHARDUS KLEINER
Abbas generalis S.O.C.

Ad n. 89: de usu pontificalium ex parte abbatum.

1. De abbatibus mere *titularibus,* qui nimirum nullam exercent iurisdictionem vel primatum (abbas primas): Dicendum videtur, aut eis concedendum esse usum pontificalium — cum non congruit eis tradere in benedictione abbatiali pontificalia, ab eorum usu autem eos arcere —; aut non nominare amplius huiusmodi abbates titulares, nempe honoris dumtaxat causa.

2. De abbatibus *resignatis,* qui scilicet laudabiliter officium suum expleverunt, quod praesentem quaestionem attinet, ancipites haeremus. Si eis tollitur usus pontificalium, periculum creatur, ut systema abbatum coadiutorum magis invaleat, quia abbates desiderantes retinere rem et usum pontificalium, sed amplius non potentes adimplere officium suum, coadiutorem potius sibi expetent quam ut resignent. Systema autem abbatum coadiutorum non est laudandum et periculis scatet.

Ex alia parte huiusmodi abbates raro possunt uti vel abuti pontificalibus, cum senium aliaeque rationes eos inde impediant.

3. De abbatibus *de regimine,* eorumque usu pontificalium *extra* monasteria. Non est eis negandus usus pontificalium in ecclesiis exemptis propriae vel aliarum religionum.

Item licitum sit eis uti pontificalibus, prout hactenus observatum est, in paroeciis incorporatis vel monasterio proprio concreditis.

Liberum maneat episcopis vocandi eos ad functiones pontificales intra dioecesim. (Hoc ius confirmatum est recentissime in decreto Summi Pontificis circa confirmationis sacramentum durante Concilio administrandum, ni fallimur, cum supponi potest abbates confirmationem conferentes posse uti pontificalibus).

43

Exc.mus P. D. LIBANIUS LAFAYETTE
Episcopus Riopretensis

De prima Persona SS. Trinitatis in anno liturgico.

Sancta Mater Ecclesia numquam tres divinas Personas separat et ideo nullam festivitatem instituit cultui Patris aut Filii aut Spiritus Sancti separatim dicatam. Nam et Incarnationis festivitates commemorant Filii Dei Adventum in terram et Verbi festa appellari proprie non possunt, et temporis Pentecostes solemnia Sancti Spiritus in apostolorum animis infusionem commemorant et ideo Sancti Spiritus festa proprie appellari non licet.[1]

Attamen, tempus anni liturgici Incarnationi et Redemptioni dicatum occasionem praebet loquendi de Verbo Dei et mysterium Verbi Patris populo explanandi, quamquam Nativitatis vel Paschatis solemnia « festa Verbi » appellari non licet. Pari modo tempus Pentecostes occasionem praebet loquendi de tertia Persona SS. Trinitatis.

Itaque, conveniens videtur institutio festi quod illud « In principio Deus creavit caelum et terram » commemoret et occasionem praebeat loquendi de prima Persona SS. Trinitatis, cui opus creationis tribuitur.

Festum creationis convenienter collocari videtur in principio anni liturgici et tempori Adventus convenienter aptari: nam ita Deus dilexit mundum, quem creaverat, ut Filium suum Unigenitum daret.

Lectio Sancti Evangelii primae dominicae Adventus propria videtur *Mt.* 25, 34: « Venite, benedicti Patris mei, possidere regnum quod vobis paratum est ab origine mundi ».

Quae lectio commemorat etiam secundum Christi adventum et universale iudicium, fere ut in lectione *Luc.* 21, 25-33, quae hucusque legitur in prima dominica Adventus.

Epistola autem e cap. I Genesis: « In principio Deus creavit caelum et terram ».

Ita, tempus Adventus, tempus Nativitatis et Paschatis una cum tempore Pentecostes brevi et bene in verbis « Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto » complecti liceret.

Obiectio: Omni die aeterno Patri cultus tribuitur, nam et orationes liturgicae omnes incipiunt a verbis « Omnipotens aeterne Deus » Patrique « per Christum Dominum nostrum » praeferuntur.

At contra: Haec ipsa obiectio ab Alexandro II (1061-1073) et Alexandro III (1159-1181) allata est contra festum SS. Trinitatis, quod, a Ger-

---

[1] B. A. C., *Biblioteca de Autores Cristianos, La Palabra de Cristo,* vol. V, pag. 17, Herder - Barcelona.

mania, Gallia et Belgica Gallia iam saeculo decimo celebrari solitum, a. 1334 a Ioanne Papa XXII approbatum et in Ecclesia universali institutum est.[2]

Fomentatio cultus primae Personae SS. Trinitatis — Patris — Creatoris caeli et terrae:

1. Fidelibus praesidio esset hodierno tempore, quo, scientiae progressus et inter siderum spatia circumnavigatio cultu fere idolatrico ab hominibus habentur;

2. Missionariis inter Hebraeos et Musulmanos adlaborantibus valde utilis esset.

[*Subsignati etiam*] Severinus Marianus de Aguiar, ep. Pesqueirensis; Augustus de Carvalho, ep. Caruarensis; Caietanus Antonius Lima dos Santos, ep. Ilheosensis; Ioseph V. Tavora, arch. Aracajuensis.

44

EXC.MUS P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ
Episcopus Sideropolitanus

Ad art. 82, propono sequentem emendationem: (Tempus quadragesimae et passionis). Pro tempore quadragesimae duplex character, praeparatio nempe vel saltem (etc.) ... in luce ponatur; pro tempore passionis autem memoria Passionis D. N. I. C. Proinde:

a) ad profundiorem fidelium... (ut in textu proposito);

b) idem etiam fiat de elementis... (ut in textu proposito);

c) tempore autem passionis fidelibus praeprimis Passio D. N. I. C. tum catechetica institutione cum piis exercitiis ante oculos ponatur. Quae omnia altitudinem suam consequantur triduo sacro, quod fidelibus tamquam centrum totius Liturgiae annualis valeat.

Ad art. 83. Pro praxi poenitentiali commendantur etiam processiones poenitentiales sive stationales, quae non tantum Romae sed etiam extra Urbem exerceantur.

Sacrum ieiunium esto non tantum feria VI in passione et morte Domini sed etiam feria IV Cinerum. Praeterea ieiunium commendetur fidelibus etiam tempore quadragesimae et passionis, saltem nonnullis diebus et renuntiatione variis delectationibus vitae.

---

[2] Cf. B. A. C., *La Palabra de Cristo,* vol. V, pp. 208-209, Herder - Barcelona.

45

EXC.MUS P. D. CLETUS LOAYZA GUMIEL

Episcopus Potosiensis in Bolivia

Optimo iure quotidie canimus in perficiendo Eucharistico Sacrificio nos terricolas nostras concinere, coniungere laudes, quibus novem Beatorum Spirituum Ordines glorificant Omnipotentem Deum, Unum ac Trinum. Est, igitur, canticus ecclesiasticus, et in genere religiosus sacrificium, seu rectius dicam, oblatio laudis Altissimo tributa.

Perhibetur pariter nostra ex parte mentis deprecatio vivida, humilis peccatorum agnitio, musicis modulis equidem expressa, iuxta Tempora Liturgica et cordium adiuncta, in qua *emotionali,* ut sic loquar, parte mentis et corporis, percutiente, veluti instrumentum, organa vocis, preces nostrae, sensus doloris et laetitiae, affectus spei et caritatis, etc. innotescunt apud Dominum.

Ast in huiusmodi *cithara mentis* seu cantu defectus irrepere possunt. Atque reapse saepe saepius irrepunt.

Quapropter sequentia occurrunt notanda seu commissioni suis peritis exponenda, haud paucorum episcoporum boliviensium (*Bolivia*) nomine atque meo.

I. Primum quidem depurgationi seu examini subiiciantur libri liturgici musicae gregorianae, ut ex ipsis eliminentur seu amputentur pneumatum repetitiones innumerae ac innecessariae, puta viginti et amplius, quibus non semel et iterum verborum sensus penitus evanescit ac periit. In polyphonicis hymnis haud raro idem contingit apud hodiernos.

II. In adaptatione musicae sacrae ad tempora liturgica accuratius procedatur, quod iam merito in pluribus reperitur. Idem asserendum de verbis seu textu.

Insuper: quare non seliguntur Psalmi populares et optima musica ornati, e. g. pro referendis gratiis Domino; atque similiter pro coetibus popularibus, uti missionibus paroecialibus etc.? Edoceatur plebs christiana cantu psalmodia populari orare Dominum...

Selecti Psalmi lingua vernacula et rhythmo instructi rite aptari possunt...

III. Ideoque valde commendantur cantus populares, non stricte liturgici, qui rationem referant seu indolem diversorum populorum sive nationum traditione populari approbati ac sanciti. Quanta autem affectione non recordamur hymnorum, quos cantavimus teneris annis et adolescente aetate!

Haud dissimiliter valde commendantur cantus et hymni pro ingentibus coetibus christianis, immo *internationalibus,* qui iamdudum venerunt in usum, v. g. pro Congressibus Eucharisticis, Marianis, peregrinorum, etc.

Optimo equidem consilio Libri edantur Usuales hunc in scopum (schema de Liturgia, cap. VII, n. 96).

IV. Ea praeter neque negligatur musica popularis iuxta genium seu indo-

lem novorum populorum, sed ex adverso foveatur atque studiosissima cura aptetur ad cantus religiosos et christianos concentus. Ubi vero adhuc desideratur istiusmodi musica *autocthona,* a peritis missionariis inveniri oportet.

Attamen nequeo non reprobare choros et musicam et saltus inducere in Liturgiam, qui proprie bellicum furorem, martiales traditiones exprimunt, vel etiam minus decoros producunt sensus.

V. Plurimum commendantur Congressus Musicae Religiosae. Utinam celebrarentur frequentiores in provectum pastoralem et liturgicum! Immo quotannis, ut fit magno cum successu secundo in Republica Mexicana. Fretus experimento Ibero-Americae, haec attestor ac postulo. Exemplum sectandum est nobis!

VI. Tandem optandum est nobis ut Catechismus, saltem pro pueris et adolescentibus utriusque sexus et pro catechumenis pariter in missionibus apud Gentes, ita cantu, rythmico ac populari, proponatur discendus, ut memoria adiuvetur et mens delectetur.

Indeque musica adiuvabit plurimum in pastorali cura et muneribus sacerdotalibus.

Sicut alicubi iamdudum fit, rhythmus huiusmodi popularis evadat. Immo saepe laudabiliter cantus pro Catechesi concinuntur... (in Appendice Catechismi isti hymni seu cantus edantur).

VII. Postremo, rev.mi Patres, fixum ac perpetuum Kalendarium exopto. Commissioni liturgicae iam tradidi Kalendarium perpetuum, quod Ioannianum vocabimus, ex Pontifice Romano feliciter regnante, inventum a quodam religioso Hispano Andrea Alvarez C.SS.R.[1]

Compendio, venerabiles Patres, superius exposita hic tradam.

Effectus pastorales ex cultu musicae religiosae exoriuntur bene multi, atque proventus innumeri pro Populo sancto Dei in quotidiano ascensu ad Cor Patris Caelestis.

Media adhibeantur opportuniora ut plebs christiana ex musica sacra, ope librorum liturgicorum, percipiat uberrimos fructus.

Ex animo approbo et una mecum alii Patres Conciliares et scientifici pariter. Subiiciatur, rogo, commissioni de Liturgia ut inducatur in annum liturgicum.

---

[1] Cf. A. Alvarez, C.SS.R., *Solucion aceptable a la reforma del Calendario* (Acceptable solution of Calendar Reform), Bogotà 1945; Por la Concordia: *Dialogando a media voz* (*sobre la reforma del Calendario*), Bogotà, Febrero 1946.

46

EXC.MUS P. D. VICTORIUS LONGO

Episcopus tit. Lorymiensis, aux. Neapolitanus

Trado quasdam observationes super capita IV, V, VI, VII et VIII, de Liturgia, quae tenent locum sermonis in congregatione generali.

1. *Brevissimis verbis*: propono ut nihil innovetur circa structuram et linguam divini Officii et Sanctae Missae, consideratione habita tum momenti historici ac spiritualis divini Officii ac Sanctae Missae, tum gravium periculorum emendationis sive partialis sive totalis.

2. Videtur opportunum contrahere aliquid in divino Officio; exempli gratia, possent auferri, servata proportione inter varias partes, unus vel plures psalmi, praesertim qui non sunt satis conformes spiritui Novi Testamenti.

3. Ad fovendam pietatem sacerdotalem et ad rite edocendum populum christianum, ministerio sacerdotali, propono ut adiungantur in Breviario, ad instar appendicis, quaedam « puncta meditationis », deprompta ex locis Officii divini uniuscuiusque diei: ita sacerdos adiuvatur, hoc adminiculo, ad inveniendа, in Breviario, argumenta pro sua vita spirituali et pro animabus sibi commissis, harmonice ad lineam liturgicam « temporis » et diei.

4. Circa sacram supellectilem, artem sacram et musicam sacram, ars nostrorum temporum admittatur, solummodo in illis formis, quae possunt iuvare fideles in exhibendo Deo debitum cultum et arceantur, maxima cum severitate, illa omnia, quae dedecent decus domus Dei et opponuntur, quomodocumque, sive sensui communi sive veritati tam historicae quam anatomicae.

5. Circa annum liturgicum, salva tota anni structura, propono ut determinetur celebratio Paschae prima vel secunda dominica aprilis. Ad unitatem efficiendam inter orientales et occidentales, propono ut dies Natalis Iesu Christi determinetur in occidentali et orientali die vicesima quinta decembris, vel die sexta ianuarii aut in die intermedia.

47

EXC.MUS P. D. VLADIMIRUS MALANCZUK

Episcopus tit. Epiphaniensis in Syria

Ad cap. V, de sacra Liturgia. Sacrosancto Concilio Vaticano II sequentia tantum scriptim humiliter proponit:

A) Ad n. 81, pag. 191: assentit illo Patri Conciliari Maronitae, et quidem pro eisdem rationibus, ut facultas concedatur Ordinariis loci aliquem diem suppletorium in hebdomada assignandi, in quo fideles impediti diebus dominicis vel de praecepto quominus participent Sacrificio Missae, ut hac die designata, vel qualibet alia die in hebdomada praecepto audiendi S. Mis-

sam satisfacere queant. Ut etiam qualibet hora diei Sacrificio Missae satisfacere possint. Ratio: multi nunc, uti iam in Concilio dictum est, saepe impediuntur ex variis causis diebus dominicis et de praecepto ab audienda S. Missa; praesertim hoc valet de emigrantibus exulibus, v. g. in Gallia.

B) Ad n. 83, pag. 192: post verba « iuxta opportunitatem, etiam Sabbato sancto », linn. 4-5 addatur « saltem usque ad meridiem » cf. C.I.C. c. 1252 § 4. Ratio: in Ecclesia Orientali, dies Sabbati sancti indolem iam paschalem Resurrectionis prae se fert.

C) Ad n. 84, pag. 192: valde optandum esset ut:

a) In calendarium liturgicum Orientalium (praesertim Byzantinorum) sancti totius Ecclesiae catholicae maioris momenti introducantur, qui vixerant post separationem Orientis christiani ab Occidente, saeculo XI. Ratio: Calendarium liturgicum Ecclesiae Orientalis (Byzantinae) continet sanctos tantum ex primo millenio Ecclesiae, cum parva exceptione.

b) Ut non pauci sancti, quorum vitae in libris liturgicis orientalibus cum elementis legendariis permixtuntur, criticae historicae subiciantur. Ratio: per se patet.

D) Ad n. 85, pag. 192: valde optandum est, ut festum Paschatis certae dominicae in calendario gregoriano assignetur, assentientibus quidem iis quorum id intersit, praesertim fratribus separatis. Et hic addatur « qui calendarium gregorianum sequuntur ». Ratio: assignatio festi Paschatis certae dominicae induceret Orientales tam unitos quam separatos qui calendarium iulianum adhuc sequuntur, ut calendarium gregorianum facilius amplectentur, et hoc propter uniformitatem valde desiderabilem.

E) Ad n. 84, pag. 192: festa de praecepto calendarii liturgici orientalis (byzantini), quae cadunt in dies praeter dies dominicas, reducantur ad principaliora. Et episcopis facultas concedatur talia festa transferendi ad dies dominicas. Vel saltem facultas eis concedatur fideles suos dispensandi *a celebratione talium festorum* praeter S. Sacrificium Missae, cui talibus diebus saltem tempore vespertino assistere deberent.

48

EXC.MUS P. D. IOSEPH MALULA

Episcopus Attanasensis, aux. Leopoldpolitanus

Omnes episcopi continentis Africae, Madagascar et insularum dolemus de redactione huius art. 91.

Sunt enim dies festi solemniores, in quibus Liturgia solemnis aut pontificalis celebratur, occasiones nobis rarissimae ad quas concursus populi adspectare possumus.

Necessarium inde nobis videtur ut eis quam maxime fruamur ad docendum et erudiendum populum nostrum, et hoc non sermone tantum vel homilia sed nihilo melius fiet quam si insuper fideles nostri actuosam partem

in sacris habere valent. Quod non nisi in lingua vernacula vere fructuose fieri potest.

Unde censemus verba « lingua latina celebrata » et « nonnulli » omittenda esse, ita ut, ratione habita animadversionum nostrarum antea iam in n. 24 factarum, textus novus fiat: « Forma nobilior celebrationis liturgicae est Liturgia sollemnis cum participatione populi. Ut autem fideles et scholae cantorum ad Liturgiam sollemniter celebrandam progressive ducantur, gradus ipsorum captui et condicioni accommodati statuantur.

Proinde sit Conferentiae episcopalis in singulis regionibus statuere ut cantus lingua vernacula peragi possint, ad normam art. 24 huius constitutionis ».

49

EXC.MUS P. D. EDUARDUS MARTINEZ GONZÁLES

Episcopus Zamorensis

Inter elementa Liturgiae maximam quidem partem habet ars sacra, quae, utpote liturgica, duplicem finem liturgiae debet attingere: cultum et actionem pastoralem. Quod ad primum attinet omnia, praesertim sacra, in laudem et gloriam Dei conspirent necesse est. Quod autem ad secundum, omnia pariter sacra ad fidem et pietatem fidelium conferre debent. Quapropter si quid, licet pulcherrimum sub aspectu artis fortasse videatur, his finibus obstat, ab ecclesia debet arceri.

Attamen aspectus hic quasi negativus non sufficit, sed modo etiam positivo omnia suum debent officium exsequi animam ad Deum levando sive in ipso stylo architectonico domus Dei, sive in eius ornamentatione praesertim quoad elementa magis immediate ipsum cultum et pietatem attingentia.

His pro certo statutis, silentio praetermittens stylos novae artis sacrae in templis extruendis frequenter non satis favere unctioni orationis et animi calori devotionis in communicatione cum Deo, et omnino respuens illum artis pictoricae et sculptoricae stylum qui potius quam dignas imagines Sanctorum, deformationes humanae personae etiam cum derisu fidelium exprimere videntur, attentionem defigere intendo in criterium illud liturgicum quod magis magisque in dies templa nostra catholica invadere videmus. Nempe de modo et constantia qua imagines Sanctorum supprimunt, ita ut in pinacibus, seu retabulis, altaris tantum Crucifixum, immo quandoque etiam simplex crux apparet. Quod quidem plane reiiciendum existimamus hisce rationibus:

1. Quia talis usus contrarius est historicae veritati Evangelii. Etenim si altare ad hoc proprie est ut sacrosanctum Missae sacrificium in ipso offeratur, quod iuxta Tridentini verba, unum idemque est in offerente et hostia cum sacrificio crucis, et « *sola offerendi ratione diversum* », expresse docet S. Ioannes (19, 25 ss.) iuxta crucem Iesu dum sacrificium cruentum Christus, sacerdos offerebat, Matrem eius stetisse, immo et discipulum eius quem diligebat.

Quos callide alloquitur Iesus. Quare ergo in pariete prae altari structo effigies Mariae, exempli causa, esse non oportebit?

2. Contrarius etiam est sano sensui theologico. Etenim Beatissimae Virginis Mariae praesentia iuxta crucem dum sacrificium redemptionis a Redemptore offerebatur, non communis erat ita ut sicut simplex testis aut spectatrix adstaret, sed *qualificata,* scilicet ut *corredemptrix,* ipsi sacrificio ut poterat cooperando. Quod expressis verbis Pius XII docuit in Encyclica *Mystici Corporis,* hac ratione: « (Maria) vel propriae vel hereditariae labis expers, arctissime semper cum Filio suo coniuncta. Eundem in Golgotha, una cum maternorum iurium maternique amoris sui holocausto, nova veluti Eva..., Aeterno Patri obtulit » (*A.A.S.* 1943, p. 247). Nunc autem in altari esse non oportebit?

3. Contrarius est unitati liturgicae ipsius Sanctae Missae, in qua frequenter etiam intra canonem Beatissimam Virginem et Sanctos invocamus eosque tamquam intercessores adhibemus, dum eorum imagines reiicimus.

4. Contrarius est sanctae et saeculari traditioni Ecclesiae Catholicae in fundamentis dogmaticis innixae, quae paulatim modo vitali evolvitur progressive per efficacem adaptationem ad religiosam vitam fidelium, quin tamen nihil liturgiae essentiale laedat. Liturgia enim in elementis accidentalibus non ut aliquid staticum et immutabile concipi debet, sed ut quid dynamicum et vitale intime cum ipsius Ecclesiae missione coniunctum; sic aperte in hoc toto schemate intenditur et ostenditur.

5. Contrarius est decreto Sacrae Congregationis Rituum, quae statuit imaginem titularem ecclesiae in altari maiori esse debere. Qua ergo auctoritate removentur?

6. Sed est et nocivum pietati fidelium, qui in contemplatione imaginum Sanctorum stimulum sentiunt religiosum ad eorum invocationem et imitationem, fervorem quendam sacrum experiuntur in ecclesia, et demum instructionem de spiritualibus per oculos permanenter hauriunt. Quibus omnibus privantur tali stylo liturgico imagines depellendi.

7. Demum, eiusmodi ratio procedendi in nostris templis, innovatione satis recenter introducta, originem quandam suspectam ideoque non admittendam videtur redolere.

Si vero abusus, vel in numero vel in qualitate artistica imaginum irrepserunt, aptum quidem remedium adhiberi debet ad illos vitandos, quod tamen non in suppressione vel reiectione, sed in moderamine usus reponendum est.

Quam ob rem, si Sacrosancto Concilio illud opportunum videtur, exoptarem ut n. 100 sequentem paragraphum adderet: « Curent pariter ut in pinacibus altarium ornandis imagines Sanctorum, sive pictas sive sculptas, et praesertim Beatissimae Virginis Mariae non arceantur ». Sic censeo.

50

Exc.mus P. D. FRANCISCUS MAZZIERI
Episcopus Ndolaensis

I. Ad n. 94 schematis, pag. 196, lin. 19, haec pauca mihi liceat addere verba. Summe gaudeo quod in schemate statutum sit: « In actionibus liturgicis cantus gregorianus principem locum obtineat ». In mea longa experientia in Africa Centrali (Northern Rhodesia) hoc mihi compertum est: Indigenae optimam ad cantum habent dispositionem et in Ecclesia cantare desiderant. Cantum gregorianum quam maxime diligunt; facile illum memoriae mandant simul cum suo textu latino et in sacris functionibus cantui gregoriano exsequendo omnes sine respectu humano uniuntur cum magno enthusiasmo et aedificanti pietate. Cantus gregorianus igitur semper praeferendus est in solemnibus liturgicis functionibus quippe qui optimam dat fidelibus occasionem active participandi in sacris mysteriis.

Cavendum tamen est ne, novitatis amore, verba latina, gregorianis modulationibus declamata, verbis in vernacula lingua substituantur, quia, 1) vernacula translatio sacri textus, etiam accurate facta, male aptatur gregorianis modulationibus; 2) adsunt quam plurimi indigenarum dialecti et, humanum est, unusquisque praefert dialectum suum. In centris industrialibus in quibus ego vivo, adsunt fideles qui veniunt ex longinquis regionibus et quam maxime varias loquuntur linguas. Quid si unusquisque vellet sua lingua divino sacrificio participare? Babelis haberetur confusio cum detrimento decoris debiti domui Dei. Sed haec confusio vitatur si omnes fideles gregorianas modulationes lingua latina cantant. Nec dicatur: Non intelligunt quid canunt; habent enim translationem textus sacri in eorum devotionis libris. Opportunum ergo mihi videtur si de servando textu latino in cantu gregoriano mentio fiat in schemate. Sed libenter admitto hymnos in vernacula lingua in sacris functionibus.

II. Ad n. 97 schematis: verba quae adhibita sunt nimis vaga mihi videntur et censeo ea esse modificanda. In mea missione multi adsunt indigenarum cantus; sed, ut plurimum si non exclusive sunt « vel cantica bellica » ad odium contra inimicos incitandum; vel, quod est peius, sunt lubricae et sensuales modulationes quae cantantur in paganis ritibus initiationis puellarum quae pubertatem attingunt. Evidenter, istiusmodi cantus sunt omnimode excludendi ab Ecclesia Dei. Accurata selectio cantuum sacrorum est valde importans et bonum esset si in schemate auctoritative haec urgeretur. Indigenae amant etiam cantus sacros ex europaea origine, e. g. qui in Lourdes, Loreto, Pompei et aliis locis a peregrinis cantantur: isti cantus sunt suadendi.

III. Ad eundem n. 97, in ultima propositione dicitur: « Commendatur etiam instrumentorum indigenorum ad usum liturgicum aptatio etc. ». In illa mundi parte in qua ego vivo, indigenarum musicae instrumenta reducun-

tur ad « tympanum » et « cymbalum » davidicae recordationis, et quomodo instrumenta ista aptari possint ad usum liturgicum sincere intelligere non possum. Populus electus istis utebatur instrumentis ante Arcam Dei quae erat figura Tabernaculi Novae Legis in quo Salvator noster per Realem Praesentiam perenniter inhabitat. Instrumenta ista Divinae Maiestati consona non videntur; nec ad compunctionem, sed potius ad hilaritatem provocant fideles; ideoque permittenda non sunt. Et cavendum est ne abusus in hac materia introducantur quia, semel introducti, difficile eradicantur. Propono proinde quod praefata propositio schematis « Commendatur etc. » omnino deleatur, vel mutetur in sensu opposito, i. e. « Non commendatur etc. ». Talia instrumenta non inclinant ad pietatem; potius sunt ad detrimentum sincerae christianae pietatis. Est pro omnibus monitum: Sancta sancte tractanda sunt.

51

EXC.MUS P. D. IOANNES McELENEY
Episcopus Kingstonensis

Cap. V: de anno liturgico. Post art. 84 (pag. 192, lin. 14). Quattuor tempora videntur fere carere vera significatione liturgica. Miror nil dici de eorum suppressione.

Cap. VI: de sacra supellectile. Art. 89 (pag. 194, lin. 5). Convenit etiam ut evitetur ostentatio in vestibus ita ut in earum simplicitate, sobrietate, et masculinitate magis aptentur saeculo vicesimo.

Cap. VII: de musica sacra. Art. 91 (pag. 195, lin. 23). Verba « lingua latina celebranda » melius delenda sunt. Nulla est necessitas huius qualificationis, et in schemate etiam sine emendationibus supponitur etiam hanc solemnem liturgiam non futuram esse lingua latina exclusive.

Art. 96 (pag. 197, linn. 1-10). Ut videtur, hic articulus melius ponitur statim post art. 94, ut clarius appareat etiam cantus populares religiosos suam partem habere in liturgicis actionibus.

Forte etiam mentio est facienda de hoc puncto: Cantus populares religiosi non sunt excludendi eo ipso quod originem habuerunt ex pietate christianorum separatorum; hi cantus etiam sunt accipiendi dummodo sint ad catholicae fidei doctrinam plene conformes.

Art. 97 (pag. 197, lin. 11). Addatur « *praesertim* in regionibus Missionum » (nam quod hic dicitur non pertinet *exclusive* ad missiones).

52

Exc.mus P. D. MARCUS McGRATH

Episcopus tit. Caeciritanus, aux. Panamensis

Aliqua dicam de anno liturgico instaurando, relate ad opus catechisticum.

I. In disputatione de restauratione anni liturgici, *valor* eius immensus *catecheticus* respiciendus est, qua populus christianus in fide formatur. Nam tum temporibus antiquis tum hodiernis annus liturgicus eiusque celebratio inter alia media formationis populi christiani primum et fundamentum locum habent.

Temporibus antiquis nulla aderat schola christiana nec exercitia spiritualia nec similia. Populus conveniebat ad sacram Liturgiam et ad facta salutis nostrae (a Deo patrata) celebranda, et in hac liturgica celebratione omnia accepit, quae ad vitam christianam erant necessaria.

Temporibus hodiernis fideles a prima pueritia usque ad senium festa redemptionis nostrae celebrant; nec ullo modo facta salutis nempe Nativitas, Passio, Resurrectio, Ascensio, missio Spiritus Sancti, etc., *vivius in corda fidelium imprimuntur* quam in celebratione festorum, in quibus lectionibus, homilia, canticis, celebratione eucharistica, actibus festivis intra et extra ecclesiam mentes fidelium imbuuntur.

Propterea celebratio anni liturgici, quamquam primarie est actus ad Deum glorificandum eique gratias agendum, tamen inter omnes actus catecheticos *fortissimus* et *efficacissimus* est. Hoc clarius elucet, si cum catechesi mere scholari comparatur:

1. Omnes fideles, non solum parva pars eorum alloquuntur.

2. Veritates fidei non solum audiendo recipiuntur sicut saepe in scholis, sed etiam videndo, agendo et orando seu cantando.

3. Celebratio anni liturgici non solum est actus doctrinalis sed etiam et praesertim actus salutis et gratiae, qua Christus ipse in fidelibus agit.

4. Veritates fidei centrales quotannis et saepius repetuntur, ita ut per totam vitam vivae sint in mentibus fidelium.

5. Non imprimuntur cum molestia et labore scholarum, sed cum gaudio celebrationis et hoc modo profundius vitam fidelium formant.

6. Non solum singuli sicut in catechesi scholari formantur, sed unio mystici corporis Christi in veritate et caritate et gratia nutritur et crescit.

7. Veritates fidei non solum voce magistri recipiuntur, sed in celebratione tamquam praesentes sentiuntur teste ipsa liturgia, quae in canone Missae die Nativitatis Domini dicit, « id est hodie », et efficacius fiunt.

II. Propter hunc valorem eminentem catecheticum annus liturgicus diligenter recognoscendus est et quidem duplici modo:

1. Ita ut tempora et festa eorumque formae et proprietates non solum historice declarari possint, sed appareant tamquam actus ecclesiae *hodie* viventis et cum fidelibus *hodiernis* celebrantis.

2. Ut dignitas diversa festorum et eorum celebratione et praecedentia clare appareat. Mysterium et festum paschalis inter omnia festa Domini clare appareat, quia in morte et resurrectione Domini tota nostra salus fundatur, in quam implantati sumus fide et baptismate. Festa Domini, quae acta salutis celebrant, magis luceant quam festa, quae ex devotione erga mysterium speciale orta sunt, v. g., erga pretiosissimum sanguinem. Festa salutis maioris ponderis sint quam festa sanctorum, etc.

Appareat in ipsa celebratione Ecclesiae ordo verus fidei Ecclesiae, ex qua Ecclesia vivit. Ecclesia credens quasi ex experientia in celebratione anni liturgici cognoscitur. Et fides populi, quae hodie tantis periculis obnoxia est, sine intermissione formatur et nutritur. Qui autem sunt extra Ecclesiam, de fide catholica non falsam impressionem percipiunt, sicut per aliquas devotiones fieri potest, sed veritatem internam Ecclesiae in celebratione visibili tamquam lumen cognoscere possunt.

III. His dictis, liceat mihi proponere ut addatur in hoc capite, fine par. 79, sermo his vel similibus verbis conceptus: « Sit proinde munus praestantissimum tum sacerdotis in homilia cum magistri in schola catecheseos, fidei elementa vivida relatione fundare in his magnaliis Dei quae in anno liturgico celebrantur, ita ut fideles vere et actuose participare valeant non tantum corpore in ritibus sed quod maius est mente in mysteriis ipsis christianis quae in liturgia iterum iterumque commemorantur ».

53

EXC.MUS P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO

Episcopus Cuernavacensis

Venerabiles Patres: parcite mihi si his liturgicis quaestionibus de quibus viscerali caritate erga oves meas motus septuagies septies cogitavi, non semel ad microphonium accedo.

In genere censeo capita huius schematis quae nunc consideramus non aequali pulchritudine ac cetera priora capita micare, etsi sensa pastoralia adhuc eluceant.

In cap. V, n. 84, pag. 192, lin. 12 introductionem vel additionem alicuius verbi desiderarem ubi legitur: « Immo plura ex his (festis nempe Sanctorum) particulari cuique Ecclesiae vel Nationi vel Familiae Religiosae ». Additio haec esset: « ... vel Nationi *vel Clero saeculari* vel Familiae religiosae », ut ratio haberetur Sanctorum plurimorum, Sacerdotum quidem saecularium (vel melius dioecesanorum) qui ad sanctitatem pervenerunt et incogniti sunt sacerdotibus ipsis dioecesanis necnon et seminaristis, gravi cum damno animarum nostrarum quia experientias realizationis unici exemplaris summi Domini nostri in vita simili vitae nostrae systematice numquam prae oculis habemus, immo totaliter eas ignoramus.

Hoc votum commendatur quia inter conclusiones Conferentiae generalis Episcopatus Latini-Americani (a. D. 1955) a Sancta Sede rite recognitas prostat:

Cum episcopi de formatione spirituali seminaristarum loquuntur haec inter alia statuerunt: « *b*) se fomente el conocimiento y la imitación de los sacerdotes del Clero secular que han alcanzado la santidad, cuyos ejemplos, vida y culto deben ser cada día más estudiados y divulgados », i. e. « *b*) foveantur cognitio et imitatio sacerdotum cleri saecularis qui ad sanctitatem pervenerunt, quorum exempla, vitam et cultum magis magisque in dies coli vulgarique oportet ».

Venerabiles Patres: additio est minima sicut granum sinapis et nemini offensione erit; sed virtus erit maxima. Cogitate de exemplis Ioannis Kantii, Caroli Borromaei, Francisci Salesii, Pii X et aliorum plurimorum. Pius XII statim ac de hac re cum ipso loquutus sum anno 1949, exclamavit: « sì, per incoraggiare ».

Praeterea ne Ecclesiae nostrae obruantur imaginibus Sanctorum et etiam in proprio Sanctorum rhythmum, sicut in proprio anni liturgici, patiantur, Caeremoniale Episcoporum nobis solutionem praebet cum pro festis in quibus episcopus ad cathedralem accedit commendat ut imago illius Sancti ad valvas Ecclesiae devotioni populi offeratur. Cum pluries de hac re cogitaverim, plurimis rationibus haec solutio commendatur.

Quam maxime plaudo quae de simplicitate et paupertate in sacra supellectili quaerendis hesterna die dicta sunt.

54

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS MINERVA

Episcopus Lyciensis

Mihi concedatis ut de anno liturgico aliquid dicam praesertim de « tempore quadragesimali » et speciatim de « praxi poenitentiali ».

Bene art. 83 huius constitutionis de re liturgica dicit: « Indolis poenitentialis temporis quadragesimalis non tantum spiritualiter et individualiter colatur, sed in vita practica fidelium suam partem externam et socialem habeat ».

In hodierna vita, ingravescente materialismo et hedonismo, dum etiam christifidelium magna pars de semper meliori vitae conditione in sensu materialistico praeoccupati sunt, mihi videtur quod hoc sacrosanctum Concilium praxim poenitentialem, uti de essentia nostrae religionis, christifidelibus cum vigore inculcare debet.

Urgenda mihi videtur haec commendatio ut fidelibus persuasum sit praxim poenitentialem, per recentes dispensationes, minime abolitam esse, sed omnino adhuc necessariam.

Nobis patet, exemplis et verbis Christi, poenitentiam essentialiter necessariam esse, et quidem etiam externam et corporalem, ad regnum caelorum adipiscendum. Nostrae naturae corruptio peccati originalis causa, Christi configuratio in baptismate, mystici corporis soliditas enixe postulant poenitentiam etiam corporalem; ita ut Ecclesia poenitentiam non tantum praedicet sed etiam imponat et sub gravi.

Nunc vero temporis, proh dolor, videtur nimis apud catholicos extenuari ieiunium poenitentiale, quod e contra exaltari videtur apud homines aliis religionibus addictos.

Propterea character poenitentialis, qui tanto vigore fulget in liturgia actuali quadragesimali suffragetur etiam praxi publica et communi Ecclesiae per revisionem et inculcationem praxis poenitentiae (ieiunii et abstinentiae), quod certe fiet ab hoc sacrosancto Concilio in tractandis quaestionibus disciplinaribus.

Ad hanc praxim poenitentialem vero facilius inclinentur fideles si in catechesi quadragesimali, quae frequentior debet esse, « imprimis inculcentur animis fidelium socialis peccati indoles perniciosa, et partes Ecclesiae in actione poenitentiali » (cf. par. *b* art. 82 huius constitutionis); et si ipsi fideles, pressius tempore quadragesimali, ad exercitia poenitentialia (v. g. Via Crucis, Stationes quadragesimales...) invitentur.

Hisce praemissis propono:

1. Ieiunii et abstinentiae lex adhuc vigorem habeat, etiam si hodiernae fidelium condicioni accommodanda sit.

2. Nova proinde et clara descriptio ieiunii et abstinentiae detur vitae hodiernae condicioni adaptata.

3. Lex uniformis sit oportet saltem in ipsa natione; Ecclesia vero ne indulgeat in dispensatione ieiunii et abstinentiae.

55

Exc.mus P. D. MARCELLUS MORGANTE
Episcopus Asculanus in Piceno

Breviter, verbo et facto, mihi liceat vestrae considerationi duas animadversiones in constitutionem de sacra liturgia proponere.

I. Primo quidem, non est qui ignoret artifices (architectos, pictores, sculptores), qui operam suam navant in re sacra, nonnumquam, quamvis bona ducti voluntate, contradicere vero ac sano sensui liturgico, et offensionem praebere non tantum fidelibus parum excultis, sed ipsis dogmatibus sanctae Ecclesiae eiusque Liturgiae. Exinde normae et instructiones Sanctae Sedis, quae crebro locorum Ordinarios exhortatur ut sedulo invigilent ne, artis praetextu, quid contra fidem et liturgiam fieri ab artificibus permittatur.

Non satis tamen, mea humili sententia, provisum, usque in praesens, fuit, ut huiusmodi incommoda vitarentur; potius enim quam mala reprimere, me-

lius est bona curare ac parare. Sicuti, proinde, felici sane exitu, institutae fuerunt scholae superiores pro musica sacra, instituantur et scholae pro arte sacra, penes, ex. gr. Universitates a S. Sede erectis vel erigendis, in quibus una simul cum scientiis technicis tradatur scientia sacra ad historiam sacram, liturgiam, dogmaticam, apologeticam et ita porro, quod attinet.

II. Quae circa cap. VI (de sacra supellectile) sapienter dicta fuerunt in schemate et in hoc amplissimo consessu, respicere videntur tantum supellectilem sacram prouti vitam liturgicam huius vel proximi futuri temporis intersunt; sed non item consultum fuit conservationi pretiosi thesauri sacrae supellectilis quae, ob immutatas temporum vel locorum circumstantias, iam in desuetudinem venerunt. Has supellectiles, si arte, historia, materia pretiosa, sedula cura servare ac custodire congruum omnino videtur ut, praesertim pro aevo futuro, luculentum exstet testimonium de innumeris meritis sanctae Ecclesiae quoad artis progressum, simulque aurea fodina, ut ita dicam, servetur pro futuri temporis historiae, cultus et artis cultoribus.

Humiliter igitur propono ut haec sacrosancta Synodus quin praecipiat, locorum Ordinarios hortetur ut in suis dioecesibus pro posse sic dicta musaea dioecesana instituant ad praedictam supellectilem tuto servandam et ad impediendum ne parochi et ecclesiarum rectores (uti proh dolor saepe factum est) a circulatoribus (vulgo: ciarlatani) decipiantur, qui circulatores haud raro supellectilem antiquitate pretiosam nova supellectile splendore nitente sed nullius omnino pretii commutarunt, uti legitur factum fuisse medii aevi tempore, occasione inventionis dissitarum regionum.

56

Exc.mus P. D. DRAGUTIN NEŽIĆ
Episcopus Parentinus et Polensis

1. Pag. 192, ad n. 84: propono ut festum Sanctissimi *Nominis Iesu* semper *die 1 ianuarii* celebretur.

2. Pag. 192, ad nn. 85 et 86: scio dioecesim Orientalium unitorum, ubi Ordinarius loci transitum ex calendario Iuliano ad Gregorianum sancivit. Nihilominus aliqua pars et sacerdotum et fidelium reformationem non accepit: sunt paroeciae quae secundum calendarium antiquum festa etiam in posterum celebrant. Ita dioecesis divisionem, non sine scandalo passa est. Quis autem ille est, qui mundum universum ad unitatem *calendarii fixi* adducere possit? Ne calendarium fixum causa ulterioris divisionis inter christianos catholicos et non catholicos fiat! Quapropter propono humiliter ut nn. 85 et 86 e constitutione de sacra Liturgia *penitus expungantur,* quaestionem Sanctae Sedi pro ulteriori studio relinquendo.

3. Pag. 193, ad cap. VI: *de sacra supellectile*: hoc in loco introductio non minorem partem quam omnes articuli sequentes huius capitis, occupat,

quod mos non est in scribendo. Propterea, vel articuli huius capitis, introductionem sequentes, multiplicandi sunt, vel totum hoc caput cum cap. VIII: de arte sacra, coniungendum esse, existimo.

4. Pag. 194, ad n. 89: *usus pallii,* uti pars vestimentorum liturgicorum episcopis omnibus concedatur, sicuti apud episcopos ritus orientalis mos est. Per pallium episcopus sese a sacerdotibus in celebrando s. Missae sacrificium, distinguatur, praesertim in concelebratione. Quum modernis temporibus episcopale munus ubique terrarum sat difficile ac onerosum sit, etiam aliqua consolatio et incitamentum ex hoc dono Summi Pontificis episcopis eveniet.

5. Pag. 199 (cap. VIII) *de arte sacra*: liceat mihi proponere ut in Ecclesia *plus imagines* Sanctorum *quam statuae* illorum in cultu adhibeantur, praesertim super altaribus. Prae ceteris rationibus illam adducere vellem, quod per talem praxim viciniores fratribus separatis Orientis erimus. Ipsi etenim solummodo imagines, non statuas conficiunt et colunt. Etiam ipsae repraesentationes D. N. I. C. *Crucifixi* modo statuario exclusive ne fiant, sed plus per modum imaginum, sicuti est illa crux artis byzantinae de qua S. Franciscus Assisiensis vocem Domini audivit. Insuper, figura hominis nudi in cruce, personis religionem christianam ignorantibus admirationem magis quam devotionem provocat. Repraesentandus est ergo Dominus Noster in cruce etiam uti *sacerdos et rex.* Insuper, imagines aptiores sunt ut fidelem ad devotionem et ad orationem excitent, quam statuae, persaepe ex magna quantitate materiae crudae confectae.

57

Exc.mus P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

Aliqua animadvertenda censeo circa cap. VII: de musica sacra.

1. In introductione huius capitis fit quidem mentio de musica Sanctae Ecclesiae traditione, quae merito extollitur tamquam thesaurus inaestimabilis; at deest in eodem schemate substantia eiusdem traditionis, quam sollemne Magisterium, tum Summorum Pontificum, tum Conciliorum et episcoporum, concinne ac sapienter in unum redegit et auxit atque clero et fidelibus decursu temporis proposuit. Hoc Ecclesiae Magisterium, cuius indicationes brevitatis causa secretariatui tradam,[1] dum nova libenter accipit quae in musica sacra evolvuntur, vetera non reicit, sed magna cum cura servat,

---

[1] Const. Ap. *Docta SS. Patrum* Ioannis XXII; Decreta Concilii Tridentini; Const. Ap. *Piae sollicitudinis studio* Alexandri VII; Ep. Enc. *Annus qui* Benedicti XIV; Perplura Decreta Conciliorum saec. XVIII; Motu Proprio *Tra le sollecitudini dell'officio pastorale* S. Pii X; Const. Ap. *Divini cultus sanctitatem* Pii XI; Litt. Enc. *Musicae sacrae disciplina,* cum adnexa Instructione, Pii XII; Ep. Ap. *Iucunda laudatio* Ioannis XXIII.

dummodo et vetera et nova ad Dei gloriam et animarum salutem tendant. Optandum igitur ut schema substantia huius ecclesiasticae traditionis locupletetur.

2. Omnes probe noscunt momentum, quod nostris praesertim temporibus musica obtinet in vita populorum cuiusvis nationis, culturae aut ideologiae: cui provide respondent Summorum Pontificum huius potissimum saeculi praeclarissima de musica sacra documenta. Humiliter ideo expostulo ut: *a*) praesertim Summorum Pontificum S. Pii X, Pii XI, Pii XII et Ioannis XXIII magisterium in subiecta materia integre recipiatur et, quatenus opus sit, opportune augeatur; *b*) ut nova, quae inserenda censentur in sacram Liturgiam, thesaurum musicae sacrae nedum minuant, augeant potius.

3. Natura musicae sacrae amplius ac profundius illustretur. Etenim in schemate effectus exteriores musicae sacrae praecipue describuntur, at musica sacra est in primis expressio caritatis, et ideo a vita supernaturali originem sumit et ad pietatem fovendam tendit; cultu externo ac sonis exprimitur, et a cultu interno oritur atque ad illum efficaciter ducit. Itaque musica sacra, qua ars, ceteris artibus in divino cultu adhibitis iure meritoque praestat. Unde praeclare dicitur in Litt. Enc. *Musicae sacrae disciplina* Pii XII f. r.: « Illae enim (nempe ceterae artes) ritibus divinis dignam sedem parare student, haec vero (nempe musica sacra) in ipsis caeremoniis sacris et ritibus exsequendis praecipuum quendam obtinet locum » (n. 13). Melius igitur inter alias locutiones illa placet quae in iisdem Litteris Encyclicis legitur: « Musica sacra, sacrae Liturgiae quasi administra » (n. 13).

4. Insuper in clara luce ponatur musicae sacrae mira universalitas. Multum disputatum est de lingua in s. Liturgia adhibenda, sed lingua, quae a natura ipsa discitur, ab omnibus hominibus cuiuscumque aetatis et stirpis percipitur eorundemque animi sensus efficaciter afficit, in musica consistit. Ideo musica sacra fideles totius orbis inter se iucunde coniungit ad salutem animarum suarum consequendam in ferventi meditatione ineffabilium mysteriorum Dei et Ecclesiam militantem iungit cum Ecclesia triumphanti. Quare ipsa musicae sacrae universalitas, in eiusdem naturali unitate fundata, vivens constituit vinculum unionis inter homines; unde cum fiducia musica sacra adhibenda est in cultu et in hoc sensu schema ditandum videtur.

5. Vellem denique humillime proponere:

a) ut ad praestantiam liturgiae sollemnis seu cantatae indicandam reassumatur doctrina, quae hac de re habetur in Litteris Encyclicis *Mediator Dei*;

b) ut munus scholae cantorum explicite definiatur et clare hierarchia stabiliatur in cantus liturgici exsecutione;

c) ut populi participatio expresse determinetur ad diversitates vitandas, quae in damnum fidelium cederent, cum hodie nimia facilitate plurimis de causis multi de uno ad alterum locum transmigrare solent;

d) ut magni fiat in cultu usus organi, quod per longam traditionem proprium Ecclesiae musicum instrumentum effectum est;

e) ut iterum atque iterum instetur ut Pueri Cantores, iam a S. Grego-

rio Magno instituti, a S. Pio X restituti et a Sancta Sede pluries commendati, non solum apud cathedrales et alias maiores ecclesias, sed et apud humiliores paroecias instituantur et foveantur.

Vellem postremo unum animadvertere in ordine ad cap. VI, de sacra supellectile, relate ad n. 89. Si locutio « usus pontificalium » non sensu stricto intellegenda est, sed sensu latiore, id est ut usus alicuius pontificalis indumenti seu supellectilis, norma, quae hic innuitur, sat rigida apparet. Permulta enim exstant privilegia, a Sancta Sede sive antiquitus sive etiam novissime rite concessa ecclesiasticis dignitatibus, ecclesiae et capitulis, quae difficile esset et saepe etiam inopportunum abolere. Norma igitur videtur vel supprimenda vel saltem temperanda.

58

EXC.MUS P. D. LEO NIGRIS
Archiepiscopus tit. Philippensis

Ad n. 104. Instandum esse videtur ne a commissionibus dioecesanis de arte sacra indulgeatur arti, quam modernam vocant, quaeque artis aberratio potius dicenda est, quippe quae afflatu sacro caret et ab animi elevatione ad superna avertit.

59

EXC.MUS P. D. IOANNES NUER
Episcopus tit. Phatanensis, aux. Thebanus

1. *Thesis.* Propono ut praxis Ecclesiae quoad indulgentiarum concessiones ita simplificetur ut unica distinctio *de indulgentia plenaria* et *de indulgentia partiali* exinde servetur: ulteriori illa indulgentiae partialis in determinatos dies distinctione suppressa.

2. *Rationes.* Simplificatio haec, quin dogma de indulgentiarum exsistentia minime corruat, quamplurimum, ut nobis videtur, fidelium intelligentiae pietatique favet. Etenim: 1) Illa vitatur confusio quae ex remissione poenae physicae olim ab Ecclesia pro statutis temporibus de 50, 100, 200, 300, 400, 500 etc. diebus inflictae, et de remissione poenae spiritualis nunc unice subintellectae, communiter exoritur. 2) Concessiones, aliquando absque proportione peractae cum parvae orationi multum (e. g. 300 d.) paucum vero (e. g. 50 d.) perdifficili exercitationi conceditur, regulariores evadunt. 3) Fratres separati, qui vix historiae ecclesiasticae quaestionibus indulgent, propositioni mere dogmaticae facilius annuunt. Thesaurus spiritualis Ecclesiae, enim, et Sanctorum communio latius patent ut conventio cum ipsis initiatur. 4) Ex praefatis de indulgentia partiali, ipsa indulgentia plenaria clariore luce intelligitur atque ferventiori pietate optatur. Peto igitur ut actuetur quae non de innovatione, sed de indulgentiarum simplificatione propositio est.

60

Exc.mus P. D. MARCELLINUS OLAECHEA LOIZAGA
Archiepiscopus Valentinus

Huic humili archiepiscopo, venerabiles Patres, videretur nonnulla addenda esse prooemio capitis *de anno liturgico,* ut pleniori luce clarescerent captus et mensura festorum Beatae Mariae Virginis et Sanctorum.

1. In prooemio sic de Beata Maria Virgine legitur: « Per omnia mysterio Christi unitum, Sancta Ecclesia in annuo festorum circulo, etiam mysterium Beatissimae Virginis Dei Genitricis Mariae cum amore frequentat, in quo et praecellentem Redemptionis fructum merito exaltat, et veluti in purissima imagine, id quod ipsa tota esse cupit et sperat cum gaudio contemplatur ». Et de Sanctis ita loquitur: « Sanctorum enim natalitiis praedicat (Ecclesia) paschale mysterium in Sanctis cum Christo compassis et conglorificatis, et fidelibus exempla eorum praesentat, omnes per Christum ad Patrem trahentia ».

2. Diligenter vero legenti, statim magni ponderis deficientiae apparent. Etenim, tum Beatissimae Virginis Mariae, tum Sanctorum cultu, iuxta litteram, duo in eorum mysteriis contemplantur: et fructus redemptionis, ipsis applicatus; et ratio exemplaritatis, Ecclesiae et nobis, in B. V. M. et in sanctis proposita.

3. At de intercessione, de mediatione, de meritis ipsorum, nec iota unum nec unum apex in prooemio.

I - Veniam nunc ad mysterium Beatae Mariae Virginis.

1. In ipso mysterio contemplandus est utique uberrimus fructus Redemptionis, vi cuius Beatissima Mater, perfectissime redempta, gratia apparuit plena et speculum sine macula. Et contemplandum insuper est in hoc mysterio exemplar Ecclesiae datum, in quo id quod ipsa Ecclesia esse cupit et sperat clarescit.

2. Sed quaero: Nihil aliud potest contemplari et contemplatur in mysterio Mariae? Velim quaedam alia momentosissima paucis verbis memorare:

a) Et imprimis, activa et arctissima consociatio ad mysterium Dei-hominis, vel unionis hypostaticae, vi cuius, Mater Dei et dicitur et est.

b) Sequitur postea activa et arctissima consociatio ad mysterium Redemptionis, vi cuius, mater spiritualis hominum iterum et dicitur et est.

3. Prima consociatio vim habet veritatis dogmaticae, ab Ecclesia sollemniter definita in Synodo Ephesina. *Explicatio* alterius activae consociationis, etsi non sit unius labii inter theologos, *factum* tamen ad depositum magisterii ordinarii et ad fidem a fidelibus professam pertinet.

Mirum proinde videretur, et inauditum, si in anno liturgico in quo mysterium mariale cum amore frequentatur, frequentarentur tantum Maria ut redempta et Maria ut exemplar. Et non frequentarentur, immo et ignoscerentur, Maria ut Mater Dei et Maria ut mater hominum, mediatrix et corredemptrix.

His ergo praelibatis humiliter, sed voce plena et toto corde, expostulo ut textus prooemialis remaneat, castigatus sic: « Per omnia, mysterio Christi unitum, Sancta Ecclesia in annuo festorum circulo, etiam mysterium Beatissimae Virginis Mariae cum amore frequentat, in quo maternitatem divinam profitetur, praeferentem fructum Redemptionis merito exaltat, consociationem in ipso opere Redemptionis agnoscit, et veluti in purissima imagine, id quod ipsa tota esse cupit et sperat cum gaudio contemplatur ».

II - Pauca dicam, si adhuc licet, de mysterio Sanctorum.

1. In hoc mysterio, iuxta textum prooemii, praedicatur paschale mysterium in sanctis cum Christo compassis et conglorificatis. Et fidelibus dantur exempla per Christum ad Patrem trahentia. Omnia haec verissima sunt.

2. Quaestionem iterum proponam: Nihil amplius in mysterio Sanctorum invenitur, et nihil amplius sibi vult cultus liturgicus, ipsis ab Ecclesia tributus?

Meminisse oporteret doctrinam de intercessione Sanctorum ab Ecclesia semel atque iterum edoctam et a fidelibus semper professam. Doctrina ista ad depositum fidei pertinet. Parcite mihi, venerabiles Patres, ne onerosus sim in probatione rei, aliunde inter nos satis cognitae. Sufficeret verba Tridentini in hunc propositum afferre.

3. Concludendum igitur: Textus prooemii, in paragrapho de Sanctis, ita redigendum propono: « Sanctorum enim natalitiis praedicat Ecclesia paschale mysterium in Sanctis cum Christo compassis et conglorificatis; fidelibus exempla eorum praesentat, omnes per Christum ad Patres trahentia; et eorum intercessione " beneficia impetrat a Deo per Filium eius Iesum Christum " (Conc. Trid., sess. XXV: Denz. 984) ».

III - His notulis prooemio appositis et prooemium complentes tertiam adderem brevissimam. Asserendo scilicet, semel pro semper, mediationem Beatae Mariae Virginis et Sanctorum non obstare unicitati mediationis Christi Salvatoris et Domini a divo Paulo praedicatae. Ipse est unicus qui, vi prorsus propria et pleno iure, mediationem habet et exequitur. Ceteri, post ipsum, dependenter ab ipso, et per sui gratiam, officium mediationis habere et exercere.

61

Exc.mus P. D. ALEXANDER OLALIA
Episcopus Lipensis

« Sanctae Sedis, vel episcoporum in singulis regionibus, ad normam iuris, erit perpendere an in eorum (vestium nempe et sacrorum vasorum) *forma, usu* et *ornatu* aliquid sit mutandum vel tollendum ». Textus propositi decreti in n. 87 de *forma, usu* et *ornatu* solummodo providet. Verum mea sententia etiam providendum esset de *numero* sacrarum vestium induendarum, qui certe nimius est aliquando pro episcopis; et licet unaquaeque propriam significationem habeat, haec latet plerumque fideles, qui potius in admirationem moventur.

In tropicis regionibus, ubi calores magni sunt totius anni decursu, oportet ut vestes pontificales sint et pauciores numero et ex materia confectae quo fieri poterit leviore.

Quotiescumque enim episcopus Missam pontificali ritu celebrat, ut, exempli gratia, in Missa Chrismatis feria V in Coena Domini, in Missa ordinationis sacerdotum, tot ornamenta debet induere ut iam ab ipsa inceptione sacri ritus sit toto corpore madefactus sudore, qui tandem vestes omnes permeat, non sine magna molestia et defatigatione episcopi, eo quod sacra functio tempore perduret quod facile spatium duarum horarum excedat.

Quare, cum tot vestes non videantur necessariae in sacris functionibus ritu pontificali celebrandis, propono ut ab hoc Sacrosancto Concilio normae dentur de simplificatione numeri earum, vel, quod forte magis suadendum est, ut Conferentiis episcopalibus facultas tribuatur determinandi numerum vestium quas episcopus induere debet cum ritu pontificali celebrat, prout de materia paramentorum dicitur in n. 87, ita tamen ut determinatio facta a Conferentiis episcopalibus Sanctae Sedis approbationi submittatur.

62

Exc.mus P. D. LEO ANGELUS OLANO Y URTEAGA
Episcopus tit. Laginensis

Liceat pauca cum de ieiunio ecclesiastico, tum de sacra supellectili vobis dicere.

Quod ad primum attinet, mihi videtur rationem habendam esse tam doctrinae Christi et sanctorum, quam rerum hominumque conditionis hodiernae. Etenim etiam si certum sit omnium optimam et gratissimam Deo mortificationem esse vitae incommoda et aerumnas patienter tolerare, nihilominus oblivioni dandum non est et Christum et sanctos necessitatem ieiunii ad nostras pravas cupiditates coërcendas enixe et saepissime urgere. Quocirca congruum putamus ut Concilium novam legem de ieiunio quibusdam diebus servando ferat. Legem novam, inquam, nostris temporibus accommodatam, quandoquidem etiam temporum adiunctorumque praesentium ratio omnino habenda est. Neminem enim fugit aut legem ieiunii minime servatam fuisse postremis hisce temporibus, aut ita fuisse interpretatam, ut ne speciem quidem ieiunii illud haberet. Deinde non est dubium quin parvo illo ientaculo quod hucusque mane sumere licebat, minime ferri posse pondus sive studiorum ecclesiasticorum vel profanorum, sive alius cuiuscumque laboris cui hodie fere omnes coguntur se dedere ut vitae suae suorumque consulant.

Lex igitur ieiunii huiusmodi sit ut a plerisque sat facile servari queat; quare et ad paucos dies intra Quadragesimam et ad vigilias quorundam festorum restringatur, et cum mane, tum meridie, tum vespere plenam refectionem permittat horis intermediis cibo quolibet vetito. Ita et christianae mortificationi, ut opus est, simulque valetudini convenienter consulitur.

Quod ad supellectilem spectat, unum addam ad ea quae in schemate dicuntur. Velim ut de forma planetarum, in posterum, hoc tantummodo praescribatur, quod nihil indecorum redoleant, liberum usum permittendo planetarum gothicarum, quae non modo nihil indecorum redolent, verum etiam pulchritudine et gravitate ceteris praestant, ut videre licet in monasterio quod vulgo dicitur Montserrat, ad quod hucusque pertinebat em.mus card. Albareda.

63

Exc.mus P. D. LAURENTIUS T. PICACHY
Episcopus Jamshedpurensis

Nonnulli episcopi missionarii cum gaudio legerunt n. 97, cap. VII schematis, pag. 197. Agitur de musica sacra in missionibus.

In hoc numero proponuntur:

1. Debitus respectus pro musica locali et obligatio promovendi hanc musicam in scholis et in officiis sacris.

2. Aptatio instrumentorum indigenorum ad usum liturgicum.

Etiamsi haec optima propositio non possit adhiberi in omnibus regionibus missionariis propter speciales rationes locales, tamen in nonnullis territoriis est valde utilis, immo necessaria.

In hac propositione, Sacri Concilii Patribus commendo quamdam parvam emendationem. In n. 97 a lin. 14 ad lin. 16, post verba « huic musicae respectus debitus necnon locus congruus praebeatur », propono inserere verba: « *tam in propagando bono nuntio apud gentes non-christianas* »; sequitur textus numeri: « *quam* in efformando earum sensu religioso, quam in cultu earum indoli aptando ».

Saepe in hebdomada in Officio divino, nos omnes legimus illa verba inspirata: « Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnes terrae ». Sed immediate sequitur instructio Psalmistae « enarrate inter gentes gloriam eius in omnibus populis mirabilia eius ». Apostolatus boni missionarii consistit non solum in custodiendo catholicos in fide sua sed etiam in annuntiando gaudium Christi amoris ad omnes gentes, ad omnes non-christianos.

In hoc opere evangelizationis, missionarius inveniet in musica indigena auxiliatricem potentem. Ratio est evidens. Gentes non-christianae saepe habent culturam nobilem. Illae expectant Ecclesiam habere respectum pro musica sua quae non solum illis cara est sed in seipsa etiam dignissima. De facto, in nonnullis missionibus Africae, Sinarum et Indiae, sicut dicitur in notis schematis (n. 11, pag. 198), quaedam pulcherrimae Missae cum melodiis localibus iam conscriptae sunt, instrumentis quoque indigenis comitantibus. Episcopi harum regionum testificantur quod haec methodus est optima ad fovendam devotionem apud fideles et ad non-christianos attrahendos ad officia

nostra. Illi libenter veniunt quia in officiis Ecclesiae possunt cognoscere elementa, non aliena, sed nota et amabilia. Nunc dicunt de officiis ecclesiae « Vere nil canitur suavius, nil auditur iucundius ».

64

REV.MUS P. D. IOANNES PROU

Superior generalis Congregationis Gallicae O.S.B.

Art. 89, sic emendatur: « Convenit ut usus pontificalium reservetur illis ecclesiasticis personis qui Consecrationem episcopalem vel Benedictionem abbatialem receperunt ».

Ratio emendationis: Textus prout in schemate iacet, ambiguitatem continet eo quod non desint ecclesiasticae personae quae peculiari aliqua iurisdictione gaudeant et tamen usu pontificalium non ditentur, uti v. g. superiores maiores multarum Congregationum, vicarii generales episcoporum etc.

Insuper sicut episcopi in eorum Consecratione episcopali, ita abbates regulares in eorum Benedictione abbatiali mitram et baculum recipiunt solemniter nomine Ecclesiae. Si illa insignia pontificalia eis traduntur, ut eis uti possint evidenter traduntur. Ideo principium prout in emendatione huius articuli proponitur simplex videtur et logicum. Cum em.mi cardinales in posterum omnes Consecrationem episcopalem recipiant, iam includuntur in principio enuntiato.

Nihil ceterum prohibet quominus Sancta Sedes privilegium pontificalium concedat quibusdam aliis ecclesiasticis personis, in peculiaribus adiunctis.

Si usus pontificalium conservari debeat pro abbatibus non est in favorem ipsorum abbatum, sed communitatum canonicalium et monasticarum, ut in earum ecclesiis liturgia, cui specialiter addictae sunt, in sua pleniore forma resplendeat.

De cap. VII praesentis schematis aliqua verba dicere vellem:

1. Mendum quoddam irrepsisse mihi videtur in lin. 2 prooemii huius cap. VII; etenim legendum est initium huius capitis modo sequenti: « Musica traditio Sanctae Ecclesiae thesaurum constituit inaestimabi*lem* (et non « inaestimabi*le* »), maxime excellen*tem* (et non « excell*ens* »).

2. In art. 91, dicitur: « Forma nobilior celebrationis liturgicae est *Liturgia sollemnis* ». Animadvertere vellem expressionem « liturgia sollemnis » non esse iuridicam, saltem ad significandam liturgiam cantatam — quod quidem, ut mihi videtur, heic intenditur — sed significare tantummodo liturgiam quae cum assistentia ministrorum sacrorum celebratur (cf. Instructio S. Rituum Congregationis, diei 3 septembris 1958, art. 3) et ideo melius diceretur: « *Liturgia in cantu* ».

3. Quidquid sit de hac praecisione, optime dicitur in art. 91: « Forma nobilior celebrationis liturgicae est Liturgia sollemnis (seu in cantu), lingua

latina celebrata, cum participatione populi ». Ad quam autem formam celebrandam fideles progressive ducantur. Inter alias rationes quae militant in favorem huius affirmationis, ne taedio vos afficiam, venerabiles Patres, unam tantum afferam, quae magni momenti mihi videtur: scilicet ne pereat ille inaestimabilis thesaurus Ecclesiae latinae quem constituit cantus gregorianus, iam a tot saeculis tamquam patrimonium suum ab Ecclesia Romana recognitus, ut saepe saepius edixerunt Romani Pontifices. Nemo est qui non agnoscat quantum bono animarum conferre possit cantus gregorianus cum sacris verbis sensum quemdam religiosum et quasi mysticum superaddat, exprimentem, sit venia verbo, inexprimabilia, quae ultra verba textus latent, quae quidem ab omnibus intelligi possunt, non tantum piis animabus sed et etiam ab iis qui Deum practice obliviscerunt in vita sua et ab his qui adhuc longe sunt ab Ecclesia catholica, prout experientia quotannis probat in monasteriis nostris ubi non desunt laici qui Liturgiae celebrationi assistentes ita interne commoventur ut gratiam Baptismi petant vel ad Deum revertantur. Unde secundum meam humilem sententiam perditio tanti patrimonii, scilicet cantus gregoriani, in damnum verteret salutis animarum, et non tantum in damnum traditionis musicalis Ecclesiae, quae thesaurum certe constituit, ut iam dictum est, thesaurum qui apud plures fratres separatos in admiratione est.

Sed dicet quis — et iam dictum est: Quid prohibet quominus cantus gregorianus separetur a lingua latina et verbis linguarum vernacularum accommodetur? Respondeo: Hi qui talia asserunt, salva reverentia, ostendunt se inexpertes naturae et structurae cantus gregoriani. Quibusdam linguis, e. g. linguae gallicae, accommodari omnino nequit; quibusdam aliis plus minusve accommodari forsitan posset, sed certo certius amittendo ea quae ad suam perfectionem intime pertinent. Auctores enim qui, aurea aetate, gregorianos modulos conscripserunt, eos praecise composuerunt ad verba latina vestienda. Et ideo si memoratae divitiae, in primis spirituales, quae inveniuntur in cantu gregoriano servari debent pro bono animarum, illi moduli lingua latina cantentur oportet. Ea quibus fidelium intellectus forte frustrantur compensari videntur illo sensu spirituali, ab omnibus intellecto, qui ex cantu gregoriano promanat.

Tunc dicet alter: Si gregoriani moduli aliis linguis accommodari nequeunt, cur ad linguarum vernacularum verba vestienda nova musica non crearetur? Timeo ne huiusmodi moduli moderni valorem spiritualem — ne dicam artisticum — cantus gregoriani minime attingant. Experimenta quae iam facta sunt, saltem in Gallia (de iis quae nota sunt mihi loquor), valorem inferiorem, et valde inferiorem habent de iudicio etiam peritorum laicorum, et timendum est ne progrediente tempore taedio afficiant etiam eos qui ab initio huiusmodi conamina cum delectatione reciperent.

Cantus popularis qui a Pio XII, pro piis exercitiis et etiam dum celebratur Missa lecta, commendabantur, adversarius non sum, sed serio cogitandum est, ut mihi videtur, de detrimento quod constitueret amissio vel etiam notabilis diminutio cantus gregoriani in sacra liturgia.

Solutionis elementis ab exc.mo Domino Van Lierde propositis libenter accedo.

In art. 95, linn. 36 et 37 ita emendantur: « Pariter altera paretur editio textus " Proprii Missae " ad modum psalmorum accommodatos continens, in usum minorum ecclesiarum ».

Ratio immutationis in eo est quod:

1. Pro cantu « Ordinarii Missae » moduli simplices iam exsistunt, ii nempe qui in Instructione S. Rituum Congregationis, diei 3 septembris 1958, sub n. 25 commendantur, nec alii desunt.

2. Ad cantum « Proprii Missae » quod attinet, moduli gregoriani truncari nequirent quin amittant propriam indolem sicut concentus a Petro Ludovico Praenestino (Palestrina) vel a Ioanne Sebastiano Bach compositi truncari nequirent quin omnino deturparentur.

3. Si antiphonae simpliciores, ad vestienda verba hucusque usitata, de novo componerentur certo certius, experientia teste, pristinae pulchritudinis nitore, quo moduli gregoriani aureae aetatis ditantur, carerent, et ceterum timendum esset ne in minoribus ecclesiis etiam hi simpliciores moduli non adhiberentur.

Et ideo etsi cantus textuum « Proprii Missae » ad modum psalmodiae accommodatus plenam satisfactionem non affert, omnibus perpensis, ut mihi videtur, meliorem praebet viam ad difficultatem superandam.

Animadversiones additae:

Art. 91, lin. 30. Post verba *ad normam art. 24 huius constitutionis,* addatur *salvo semper « Ordinario missae » quod lingua latina cantari debet.*

Ratio additionis: Vide supra quae proposuimus ad art. 41 [*cf. p. 266*].

65

Exc.mus P. D. CAROLUS QUINTERO ARCE
Episcopus Vallipolitanus

Cap. VIII, de arte sacra, maxime commendandum approbandumque censeo nam respondet exigentiis apostolatus christiani hodierni: nostris etenim diebus creatio genuinae artis sacrae modernae necessaria est.

Articulis huius capitis Ecclesia apparet, sicut olim in praeterito, propulsatrix ac dux artis verae et genuinae; vult enim ut ars sacra actualis spiritui saeculi vigesimi eiusque technicae respondeat.

Ut artificum apta institutio detur audeo Patribus Concilii proponere:

1. Admissa intima connexione artis sacrae cum sacra Liturgia Concilium decernat principia ad solvenda problemata orta ex exigentiis hodiernae actionis liturgicae; nempe *a*) circa ordinationem ipsam architectonicam ecclesiae:

manifestari debet externe velut Domus Dei eiusque familiae, simulque domicilium Christi praesentis; *b*) De positione altaris in Ecclesia.

2. Cum Ordinarius loci sit quidem praeses etiam ecclesiae paroecialis, cathedra ipsius episcopi modo fixo in ecclesiis paroecialibus collocetur. Etenim unica persona quae in ecclesia paroeciali suum locum proprium non habet est episcopus. Si ipse visitat suas ecclesias paroeciales ei thronus provisorius praeparatur, quod inconveniens videtur.

66

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS RADICIONI
Episcopus Montis Alti et Ripanus

Quoad schema de musica sacra haec quae sequuntur liceat mihi proponere. Ad n. 93, legitur lin. 11: « Musicae artifices, praeter musicam, solida formatione liturgica donentur, iuxta Ecclesiae traditionem et pastoralem populi utilitatem »: at, servatis qualitatibus musicae sacrae a S. Pio X praefinitis, scil. ut etiam cantus fidelibus destinatus sit « sanctus, vera ars, universalis ».

Populus enim hodie satis excultus est in musica, quam facile audire et gustare potest ope mediorum diffusionis sonorum; atque ideo in ecclesia damnari non debet ad genus musicae inferius vel infimum, sub specie exigentiae pastoralis. Id pastoraliter erit efficax, quod populum allicit vi sanctitatis, pulchritudinis ac universalitatis cantuum; secus a Liturgia abhorrebit ratione deformitatis seu inanitatis musicae ipsi destinatae: ut proh dolor! saepe saepius hodie evenit.

Ad nn. 94-95: nihil dicitur de musica sacra moderna et contemporanea, quas contra S. Pius X in Motu proprio ac recentissime Pius XII in Litteris Enc. *Musicae sacrae disciplina* sine ulla diffidentia, immo materna cum cura commendarunt. Quapropter propono humiliter ut haec lacuna compleatur, ne Ecclesia videatur musicae progressui infensa.

Merito laudatur cantus gregorianus; attamen cum recentioribus temporibus quidam moduli invecti fuerint cantus gregoriani mutili ac deformis, expresse dicatur: iuxta Motu Proprio S. Pii X, quod agitur de cantu gregoriano, quem Ecclesia Romana « ab antiquis patribus haereditate accepit, summa cura longo saeculorum cursu in codicibus liturgicis custodivit, tanquam suum directe fidelibus proponit, in nonnullis Liturgiae partibus constituit, ac recentissima studia ad pristinam integritatem puritatemque tam feliciter reddiderunt...

« Nominatim autem — ut legitur in Motu Proprio S. Pii X — gregorianus cantus in populi usum restituendus curetur, quod ad divinas laudes mysteriaque celebranda magis agentium partem, antiquorum more, fideles conferant ». Unde quando in n. 95 dicitur: ... altera paretur editio (cantus gregoriani) simpliciores modulos continens in usum minorum ecclesiarum, hoc

adiungatur, quod huiusmodi simpliciores moduli desumantur a genuino patrimonio gregoriani cantus.

Eximii artis musicae viri incitantur ad modos etiam componendos qui parvis quoque scholis conveniant et actuosam participationem totius communitatis fidelium foveant; quod sat aequivocum apparet. Etenim schola cantorum habet verum munus liturgicum, et quidem suum proprium, et distinctum a munere populi. Musici moduli igitur pro schola cantorum, etiam minima, suam habet formam ac substantiam distinctam a cantu sacro populari. Unde humiliter propono ut textus ita reformetur: « Eximii autem artis musicae viri incitentur non tantum ad modos conscribendos qui a maioribus scholis cantorum cani possint, sed etiam ad modos componendos qui parvis quoque scholis conveniant. Atque qualitates verae musicae sacrae prae se ferant ».

Ad n. 96: De cantu populari religioso. Ne pereant cantus populares religiosi, qui saeculorum decursu in quavis natione exorti, immensum pietatis et artis thesaurum efformarunt, sedulo colligantur, attente seligantur atque in fidelium usum reportentur.

Novi etiam populares cantus addantur, qui tamen modulatione utantur simplici, sed non vacua nec insipida; verba autem deriventur quidem ex S. Scriptura et ex fontibus liturgicis, in forma tamen non translationis litteralis, sed aptae et convenientis paraphrasis, populi captui accommodatae.

Ad n. 98: Organi munus in cultu aptius describatur: Maior enim solemnitas, de qua fit mentio in schemate, est effectus quidam exterior organi. Adhibeatur potius descriptio in Litt. Enc. *Musicae Sacrae disciplina* proposita, quae latius patet.

Proinde usus organi in cultu ita amplietur, ut hoc instrumentum musicum traditionale Ecclesiae occidentalis fines a citatis Litteris Encyclicis sibi adsignatos consequi possit. Secus ornamentum fiet mutum in Ecclesia catholica, dum in cultu fratrum separatorum est fons viva ac uberrima pietatis.

67

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS REYES
Episcopus Boronganensis

Circa decreta proposita in hoc cap. VIII, de arte sacra, quaedam breviter censeo notanda, et opportune emendanda.

Et imprimis circa n. 99. « Ecclesia nullum artis stylum veluti proprium habuit, sed omnium temporum modos semper admisit ». Haec sunt prima articuli, de quo loquimur, verba. Et vera quidem sunt; sed conveniens videtur ut horum verborum veritas alia veritate compleatur. Etenim catholica doctrina et Ecclesiae Liturgia multimode ingenium inspiravit et aluit cultorum artium, ita ut dici vere possit quasdam artis formas catholicae religioni origi-

nem et profectum debere. Verba autem articuli sonant quasi omnia quae artem in Ecclesia respiciunt mutuata fuerint, et nihil ipsa ad verae artis incrementum contulisset. Quare praedictus numerus convenientius diceret ita: *Licet Ecclesia auctrix fuerit saepe modorum artis temporis decursu inductorum, ipsa* « nullum artis stylum velut proprium habuit »... etc.

Ad n. 100 animadvertendum censeo opera quae fidei et ac christiani pietati aperte repugnant, vel sensu religioso carent, arcenda esse non modo « ab aedibus sacris », sed etiam ab aliis sacris locis. Nam contingit nonnumquam in coemeteriis statuas super fidelium sepulcra videre, quae nihil pietatis christianae ac religiosi sensus prae se ferunt, sed unice naturalis pietatis sensus, vel etiam illas quae ob insufficientiam artis offendunt. Quapropter, propono ut in n. 100 ultima linea ita legatur: « ab aedibus *aliisque locis* sacris arceantur ».

Verba autem finalia: « ac prorsus expellantur » videtur quod sit conveniens ut supprimantur. Id certe fieri debet quoties imagines sint contra fidem vel mores; sed verbo « expellantur » subiciuntur etiam imagines quae ob insufficientiam vel mediocritatem artis offendunt. Age vero, sunt aliquando in pagis imagines abs dubio artem nullam exprimentes, in quas tamen fidelium devotio magna est, quaeque proinde hac ratione servandae sunt, nam simplices incolae offensionem potius caperent ex remotione earum.

68

EXC.MUS P. D. MAURITIUS RIGAUD
Episcopus Apamiensis

In pag. 197, n. 96, in fine opto ut haec verba addantur: « Cantus populares in paroeciis a commissionibus liturgicis competentibus (ad normam huius schematis nn. 34, 35 et 36 primi capitis) recogniti esse debent, ad pravos cantus progressive ac fortiter expellendos sive quoad modulationes sive quoad verba ».

69

EXC.MUS P. D. ZACHARIAS ROLIM DE MOURA
Episcopus Cajazeirasensis

1. De sacra supellectile ea quae in capite sexto proponuntur opportuna iudico atque probanda.

Tamen, secundum emendationes numeris vigesimo primo et quarto huius constitutionis a me propositas, puto facultatem circa sacrae supellectilis materiam et formam, de qua in numeris octogesimo septimo et octavo agitur, Conciliis Plenariis tribuendam esse, ad maiorem unitatem in diversitate tuendam.

Hoc tamen nihil minuit praestantissimam Conferentiarum episcopalium merita et opportunum laborem. Conferentiarum enim est actuosam Ecclesiae praesentiam urgentioribus negotiis in hodiernis adiunctis facultare, pastoralis studii adaptationem et unitatem fovere, episcopos in eorum munere adimplendo pro viribus iuvare.

Conciliorum Plenariorum vero est normas particulares ad fidei incrementum, ad moderandos mores, ad unam eandemque disciplinam servandam vel inducendam (cf. can. 290), approbante Sede Apostolica, decernere.

In Conciliis Plenariis Papa per suum legatum est praesens qui legatus ea convocat eisque praesidet. Christiani primaevi salutabant Ecclesiam Romanam ut radicem et matrem omnium Ecclesiarum.

2. Quoad nimiam simplificationem et quoad paupertatem, speciatim in episcoporum et cardinalium personis, pontificalibus muneribus fungentibus, velim in mentem Patrum revocare nos praecipuas partes in actione sacra habere. Auctoritas divina qua induti sumus est velut fundamentum nostrae dignitatis quae externam distinctionem exigit. Vestes liturgicae aliquid sacri sunt. Omnia denique ad Dei gloriam referuntur.

Nec sacra pompa populum christianum a vita christiana dicatur arcere. Personae edoctae gaudent quod nos qui impendentes pro animabus earum et sustinentes pondus diei et aestus Christum crucifixum imitamur etiam ministri simus Christi resuscitati, Regis immortalis saeculorum et Regis aeternae gloriae.

Sicut Christus, signum cui contradicetur sumus. Scandalum pharisaicum vitare non possumus. Pauperes, Ecclesiae hereditas, semper nobiscum habebimus.

Plus dicam. Nimia rerum sacrarum vulgarizatio tanquam carentia maturitatis et personalitatis ab eis qui extra Ecclesiam sunt et sensum rectum habeant iudicari potest. Videbimur forsan cannae novitatum ventu agitatae.

Qui bonam voluntatem in terra non habent sophismis conantur sanctam Ecclesiam in oblivionem sepelire, quia eius praesentia et triumphis turbantur.

Sagacitate ac gravitate apostolica qua estis, venerabiles Patres, speramus fore ut iustum aequilibrium in his et in aliis punctis schematis constitutionis de sacra Liturgia invenire sciatis.

70

Exc.mus P. D. CAROLUS ROSSI
Episcopus Bugellensis

Totum cap. V schematis de sacra Liturgia, et in primis eius prooemium, ad hoc mihi tendere videtur, ut ablatis quibusdam non paucis deviationibus, christifidelium pietas rectius perducatur in alvaeum pietatis Ecclesiae et magis illuminetur visione mirabili historiae salutis; et ut percipiat per annum

liturgicum non tantum facta praeterita in memoriam revocari, sed potius eam historiam redemptionis actualiter prosequi, in qua ipsi inserti sunt. Est enim historia nostra quae in Ecclesia perdurat et in nobis cotidie perficitur. Nonne dolendum est, quod non solum fidelium populus, sed saepe etiam sacerdotes cultum Sanctorum cultui mysteriorum Christi anteponant? Nonne dolendum quod sensus Adventus, Septuagesimae, Quadragesimae et ipsius temporis paschalis, necnon sollemnitatum Pentecostes et Ascensionis Domini minor factus sit in aestimatione communi fidelium? Nihil omnino detrahi putamus tum cultui hyperduliae quem ferventer Beatae Virgini exhibemus, tum honori Sanctis debito, si ipsam Dei Matrem et Sanctos semper inspiciendos esse putamus in sua vera luce, relate nempe ad Iesum Christum Redemptorem, qui totius sanctitatis est fons et origo. Et hoc sane clare et pulcherrime exponitur in prooemio capitis quinti, quod sensum praebet ad omnia recte intelligenda quae in eodem capite dicuntur.

In singulis paragraphis quaedam indicantur, quae a commissionibus postconciliaribus sedulo prae oculis erunt habendae, sive ut diversa anni liturgici tempora (et praesertim Adventus) apertius suis characteribus signentur, sive ut firmiter liturgia dominicalis consecretur, sive ne cultus Sanctis debitus, legitimus sane et perutilis, a celebratione tamen mysteriorum Christi fideles abstrahat. Quod opus perficientibus magno erunt auxilio illae « declarationes » quas commissio praeparatoria singulis paragraphis adiecerat.

De festo Paschatis certa die assignando, de quo in n. 85, quamvis theorice mobilitas magis apta mihi videatur ad significandam mysterii paschalis centralitatem, quia illa solemnitate se movente, omnia fere in anno liturgico moventur, tamen ex practicis rationibus optandum est ut festum certa die assignetur.

Liceat nunc mihi unum verbum dicere de ceteris capitibus schematis. Multa audivimus, quae absque dubio evangelicis principiis de paupertate consonant. Quaedam vero, meo iudicio et absque ulla offensione, aliquantisper mihi demagogicum sensum sapiunt. Non certe quoad ea quae respiciunt ornatum personae (et occasione arrepta vellem adicere, quoad quaedam signa personalis reverentiae, ut sunt genuflexiones episcopo faciendae), sed potius quoad templorum magnificentiam et ornatum, quoad altaris et supellectilis pretiositatem. Nonne in hoc etiam revelatur christianorum religiosus sensus, qui pretiosa cultui destinando aliquomodo manifestatur? Nonne Deus ipse in veteri testamento divitias innumeras in templo Ierusalem aedificando voluit expendi? Nonne hoc etiam est in traditione patrum nostrorum, qui in sacris aedibus exstruendis et ornandis nobis mirum suae fidei et religiositatis testimonium reliquerunt? Quamquam rerum pretiositas in rebus ad cultum exercendum non est exigenda, non tamen improbanda mihi videtur.

Quod, translatis rationibus, etiam dicendum puto de musica et cantu, nec non de arte sacra. Omnia quae ab humano ingenio producuntur, vocem suam habent, et quidem diversam pro diversis temporibus et locis; omnia igitur sua voce laudent Dominum. Tantum cavendum est, ne quid sive mu-

sica sive artes in templum et in liturgicam celebrationem inducant, quod cum veritate et dignitate cultus componi non possit. Quae omnia in capitibus VI, VII et VIII satis bene mihi videntur affirmari.

Iuxta quod supra dixi de signis reverentiae, ad n. 89 propono ut adiiciantur haec vel alia similia verba: « Reverentiae signa personis ecclesiasticis exhibenda ita reducantur, ut nullam cultus Deo debiti speciem prae se ferant, ut sunt genuflexiones episcopis faciendae ».

71

Exc.mus P. D. MAURITIUS ROY

Archiepiscopus Quebecensis

Cap. VIII. De arte sacra.

Mens illius capitis optima est. Attamen, cum de facto multa inveniantur in Ecclesia quae principiis artis sacrae consona non sunt, optandum mihi videtur ut mens Ecclesiae clarius et fortius declaretur, ad hoc ut praecaveatur indifferentia multorum et vera renovatio in isto campo foveatur haud secus hac in re proprie liturgica.

Introductio: In par. 1, clarius distinguenda videntur *ars religiosa* in genere, sub qua veniunt etiam ea quae pertinent ad devotionem privatam, et *ars sacra,* de qua, ni fallor, hic specifice agendum est. Valde optatur ergo *ut clare et aperte definiatur ars sacra ut illa quae inservit ad cultum divinum.* Sic plus minusve assimilaretur ars sacra « arti domus Dei » (art d'église, church art), clare distingueretur illa ars ab arte religiosa in genere et clare indicaretur de quanam arte legem ferre intendit Ecclesia. Ita, ex eo quod cultui divino inservit, clarius apparerent eius dignitas eiusque exigentiae.

In 2 paragrapho, dicendum videtur Ecclesiam optare ut habeatur, una cum renovatione liturgiae et in eodem spiritu, renovatio artis sacrae, et consequenter normas statuere. Sic iam ab initio verum incitamentum daretur ad instaurationem quae in isto campo valde desideratur.

Art. 99. Ne mera permissio sed etiam necessaria norma proponatur, addenda videntur sequentia verba: Cum ea quae ad artem spectant intime connectantur cum traditionibus peculiaribus et indole propria cuiusque regionis et nationis, haec S. Synodus optat ut Ordinarii prudenter conentur ut omnia quae divino cultui inserviunt aptentur culturae et sensui aesthetico particulari suae regionis, ita ut ars sacra, nedum sit obstaculum, pro omnibus deveniat clara et eloquens expressio nuntii evangelici.

Art. 100. Ne detur norma solummodo negativa, incipiatur ille articulus sequentibus verbis: « Curent Ordinarii ut artis christianae opera omnia *nobili finalitati artis sacrae satisfaciant* utque artis opera quaecumque quae fidei... etc. ».

Art. 102. In illo articulo designetur ipsum munus commissionis. Dici posset: commissio artis sacrae mediis aptis promoveat artem sacram christianam

huius nominis vere dignam. Omnes inducat ad artem instaurandam, consiliis regat omnes partem habentes in vita artis sacrae, praesertim pastores, religiosos et religiosas, educatores, artifices, etiam mercatores.

Art. 103. Articulus ille nimis brevis est et multa elementa praeterit, cum posset esse velut anima totius capitis. Ut melius foveatur spiritus renovationis in arte sacra, sequentes additiones propono. Dicatur v. g.:

Recordentur artifices (secundum verba Pii XI iterum a Pio XII dicta) artes sacras esse nobiles servos cultus divini. Haec definitio eis revocabit naturam et dignitatem eorum vocationis.

Prae mente habeant artifices fines artis sacrae: nempe res sacras ita conficere ut vitae liturgicae adaequate inservire possint. Curent praesertim ut facilis et commoda fiat actuosa participatio fidelium mysteriis liturgicis. Memores tamen sint non quamcumque utilitatem sufficere, sed necessarium esse ut res sacrae suipsius indole et valore artistico sint laus quaedam Dei et fideles inducant ad reverentiam et orationem. Non tantum architectura sed etiam omnes artes aliae et praesertim pictura et sculptura servire debent vitae liturgicae. Curent omnes ut apte et considerate eligant argumenta et symbola quibus utuntur, e sacra Scriptura maxime hauriendo atque illa potius eligendo quae meliorem participationem fidelium vitae liturgicae fovere queunt quaeque homines nostrae aetatis aptius movere possunt. Vitetur abusus symbolorum et imaginum pertritarum, sed et etiam siccitas vacua qua pietas fidelium suo adminiculo privaretur. Meminerint artifices se opera artistica producere non tantum ut sibi complaceant, sed ad laudem Dei et ad aedificationem populi christiani. Ne ergo ignorent legitimas exigentias fidelium, opera artis conficiendo quae ab illis, etiam post debitam explicationem, tanquam opera sacra agnosci nequeunt. Nec aliunde inducantur ad omnia desideria populi explenda, etiam si fini artis sacrae contraria sint. Recordentur e contra se collaborare institutioni fidelium. Omnibus viribus conantur opera artis praebere quae vere pulchra et religiosa sint, ita ut ex rebus creatis homines ad cognitionem et amorem Dei manuducantur.

Art. 105. In illo articulo propono ut dicatur necessitas institutionis in arte sacra pro religiosis, maxime pro religiosis femineis quae multa pro cultu conficiunt.

72

Exc.mus P. D. ALEXANDER SCANDAR
Episcopus Lycopolitanus

L'année liturgique.

Aujourd'hui l'Orient et l'Occident sont divisés au sujet des deux principales Fêtes et présentent aux non-chrétiens un spectacle scandalisant en célébrant ces mêmes Fêtes à des dates différentes. Ainsi les uns fêtent 1) la Naissance du Christ le 25 décembre, les autres le 7 janvier, 2) la fête de Pâques un dimanche, les autres un autre dimanche et parfois 5 dimanches

plus tard; bien qu'au fond ils savent que le dimanche commémore toujours la Résurrection du Christ. Cela n'empêche que cette divergence extérieure pour la solennité et la mémoire est un obstacle à la diffusion de l'Evangile.

Que l'on me permette de donner un aperçu succint et historique ayant trait à ces deux fêtes soit: Pâques et Noël.

1. *Pâques*: Saint Paul nous dit cette vérité: « Si le Christ n'est pas resuscité, vaine est notre foi ». Ainsi vouloir faire de cette grande fête de la Résurrection, le centre de notre année liturgique, c'est sans doute une inspiration du St-Esprit guidant toujours la Sainte Eglise.

L'histoire nous enseigne que cette fête date des temps apostoliques, elle fut avec la Pentecôte, l'une des premières fêtes célébrées par les chrétiens. Il est à remarquer qu'on a suivi, comme d'ailleurs on le fait aujourd'hui, le calendrier juif lunaire pour sa fixation, soit: le 14 Nisan, donc la pleine lune du printemps. Vers la fin du premier siècle, Alexandrie qui était chargée de fixer cette fête et après elle Rome, décidèrent qu'elle serait célébrée le premier jour de la semaine, soit le dimanche qui suivrait le 14 Nisan. En effet ce premier jour commémore la Résurrection du Christ. Les querelles graves qui eurent lieu alors entre les asiatiques judaïsants et les autres Eglises, sont une preuve de l'attachement des chrétiens à cette date.

Ainsi donc, la date de la fixation de Pâques ne suit pas un calendrier julien, mais plutôt un calendrier lunaire, celui que plus tard suivirent les arabes et que l'on trouve encore chez les musulmans. L'année lunaire devance l'année solaire d'environ onze jours un tiers, et c'est cette raison qui est cause de l'instabilité de la date de Pâques et l'année ambolique, soit celle de 13 mois tous les trois ans.

Après la scission ou le schisme on a adopté deux dates pour cette fête: 1) une Occidentale fixant la fête de Pâques au dimanche qui suit le 14 Nisan, à moins que ce 14 Nisan ne tombe un dimanche, alors le fête est renvoyée au dimanche qui suit; 2) une Orientale fixant la fête au dimanche qui suit toute la semaine pascale des Juifs; c'est pourquoi l'Orient fête Pâques une semaine après l'Occident excepté lorsque la pleine lune tombe le 14 Nisan, alors il y a renvoi au dimanche qui suit et cela fait concorder la même date pour les deux (Orient et Occident).

Quant à l'année ambolique, soit celle de 13 mois, en Orient on double le mois qui précède Nisan, et alors la différence entre les deux Pâques (Orientale et Occidentale) atteint 5 semaines.

Donc pour unifier la date, il ne s'agit point de réformer le calendrier, mais d'arriver à une entente charitable entre catholiques et orthodoxes. Il est à remarquer que la fixation de la date de Pâques règle les autres fêtes du Cycle lunaire, et par conséquent du Temps Quadragésimal.

2. *Noël*: Cette fête date de la fin du second siècle et fut tout d'abord célébrée à Alexandrie, elle s'est étendue ensuite à Rome et de là à tout l'Occident. La date fixée est solaire; c'est pourquoi on peut parler de réforme du calendrier julien ou grégorien.

Depuis la réforme du calendrier ordonnée par St. Grégoire-le-Grand, toutes les fêtes solaires et le Sanctoral ne concordent plus avec les dates de l'Orient. En effet, avant la réforme on avait constaté dix jours de retard sur la date exacte de l'équinoxe du printemps; ces jours furent alors supprimés, et le 5 octobre fut le 15 en Occident. Cette réforme ne fut pas admise par l'Orient, d'où une différence de dix jours entre toutes les fêtes du cycle solaire y compris la fête de Noël. Hors depuis le 16e siècle à cette date, les dix jours ont augmenté de trois, donc une différence de 13 jours, car pour corriger l'erreur du calcul on a établi d'après les recherches que l'année est de 365 jours, 5 heures et quelques minutes. Pour obvier à cette difficulté, on décida que les années bissextiles dont les chiffres ne seraient pas divisibles par 4 seraient de 365 jours, or cela est déjà arrivé trois fois et pourrait continuer avec le temps si on maintient l'erreur du calendrier julien. La question n'est donc pas dogmatique et pourrait être résolue par la charité et la fraternité.

Conclusion et Propositions.

1. La formation d'une Commission choisie par les catholiques et les orthodoxes dont le but d'une entente cordiale qui ne toucherait point les dogmes, les coutumes et les croyances. Il faut comprendre que ces fêtes sont des simples *mémoires* qui glorifient le Christ. Le Christ ne peut pas être glorifié par la division et la mésentente.

2. Suivre l'opinion en vogue et la faire admettre par tous les chrétiens: elle consiste *a*) suivre pour Noël le calendrier réformé grégorien; *b*) suivre pour Pâques le calcul oriental lunaire. La générosité de la Sainte Eglise Catholique ne s'arrêtera pas devant des obstacles qui ne touchent pas à la foi et la portera à faire le premier pas; *c*) s'entendre pour que le dédoublement du mois ambolique soit après Nisan, pas avant, pour être en conformité avec l'Evangile et ne pas célébrer Pâques en mai, lors des fortes chaleurs. Le reniement de Pierre eut lieu parce qu'il se réchauffait.

3. Une réforme internationale pour fixer la fête de Pâques n'est pas à souhaiter. Il nous faut rester dans le cadre de l'histoire et des traditions. L'Unité parmi les chrétiens fera cesser le scandale, éloignera le ridicule qui entache notre religion, qui diffuse l'amour, la charité et l'union, et aidera les esprits à vaincre les préjugés. Elle sera le premier pas vers l'*unité* tant désirée. Je parle d'après l'expérience. Le spectacle en Egypte est beau et touchant, les années où les fêtes sont ensemble et tombent à la même date.

N. 83: le temps quadragésimal. Ce temps a été institué par la Sainte Eglise pour la pénitence et a fini par être une préparation à la grande Fête Pascale clôturée par la Confession et la réception de l'Eucharistie, en sorte que d'après la didascalie en usage dans l'Eglise d'Alexandrie on peut dire: « Sera considéré comme païen, celui qui à Pâques ne se confessera pas et ne communiera pas ». Or, dès les temps les plus reculés, une crainte révérentielle basée sur la foi, poussait les fidèles à préparer cette Communion. Nos vieux ancêtres disaient communément: « La Communion est lumière et feu ».

Le temps quadragésimal a été institué par nos Pères pour rappeler le jeûne

de Notre Seigneur dans le désert et son triomphe sur le démon tentateur. L'amour des fidèles pour Notre Seigneur les poussait à chercher à l'imiter dans ses pénitences (témoins les ascètes, les moines et les récits des Pères du désert). Or aujourd'hui, il semble que poussés par un esprit de matérialisme, les chrétiens sont arrivés à garder le nom sans garder les institutions de ce temps, soit: le jeûne rigoureux ainsi que la prière et les offices. Le rite latin répandu dans la plus grande partie de l'Eglise a exercé son influence sur les autres rites et leur a fait, jusqu'à un certain point abandonner leurs traditions et coutumes, du moins chez les Uniates, et en particulier chez nos fidèles. Tandis que dans l'Eglise Copte Alexandrine séparée, le Carême et les autres temps de jeûne sont observés, respectés et gardés presque pharisaïquement, nous les catholiques du même rite, nous avons admis toutes les facilités pratiquées par les latins. Je peux dire que nos frères séparés sont pour nous un exemple de mortification et d'attachement aux observances légales de la Sainte Eglise.

Il ne faut guère parler d'unité, tant que nous mettons des obstacles entre nous et eux, que nous admettons tout ce qui sépare par nos immortifications qui font l'objet de leurs critiques acerbes. Ainsi le Carême chez nous aussi bien que l'Avent et le jeûne des Apôtres, etc. sont des mémoires plutôt que des réalités parce que:

a) A part pour le Carême et les 15 derniers jours de l'Avent, les mariages sont célébrés avec pompe au scandale de nos frères; les fêtes et les soirées, soit-disant de charité où rien ne manque, musique, danses, boissons sont données.

b) Quant aux jeûnes et à l'abstinence pratiqués par nos frères, c'est l'adoucissement complet, sans aucune réparation rappelant le devoir de la pénitence. Ainsi pour l'abstinence, on admet le laitage ignoré par nos frères; et pour le jeûne du moins chez nous, il se pratique jusqu'à midi avec trois jours maigres et le reste de la semaine, viande et poisson. Même la semaine sainte qui a son dispositif rigoureux dans l'Eglise dissidente, les adoucissements ont pénétré chez les catholiques sous prétexte d'hygiène et d'obligations.

Je propose donc que le temps quadragésimal et les autres temps de jeûne et d'abstinence observés dans les Eglises de nos frères séparés soient une obligation pour nous, et que l'esprit d'immortification, cause de ce matérialisme et de cette tiédeur dans la foi soit banni. Un catholique doit donner l'exemple de la mortification et de la pénitence. « Certains démons ne sont chassés que par la prière et la pénitence », dit Notre Seigneur; n'est-ce pas alors que le démon de la division et de l'orgueil nous demande d'employer ces armes pour fuir et être remplacé par l'Ange de la Charité.

Le jeûne eucharistique. Tandis que l'on parle d'unité avec nos frères séparés, on continue à semer dans la pratique des causes qui accentuent la séparation. Je comprends que l'Occident tenant compte des protestants élargisse ses observances pour les attirer à l'unité, soit en accordant des facilités

pour le jeûne eucharistique, v. g.: *a*) l'eau ne rompt pas le jeûne, *b*) les liquides non alcoolisés peuvent être pris une heure avant la communion, *c*) trois heures suffisent pour le jeûne eucharistique etc.; mais l'Orient a-t-il affaire aux mêmes raisons? Ne croit-on pas au traditionnalisme outré de nos Eglises et à l'esprit tenace de nos peuples? Ils observent le strict jeûne eucharistique et ont tout un code de coutumes en préparation à la Sainte Communion. A vrai dire, nous devenons leur risée et l'objet de leurs moqueries. Pour eux, nous sommes une secte assimilée aux Protestants, et malgré notre nombre c'est à peine s'ils nous considèrent comme chrétiens. Que les latins aient leurs lois et leurs coutumes chez eux, mais qu'ils n'étendent pas cela au Proche-Orient, qui est loin d'être un pays de mission et qui se glorifie d'avoir « le vrai christianisme et de le maintenir dans son intégrité » (sic). Je souhaite donc par charité que les Uniates soient convaincus de revenir à leurs anciennes coutumes pour le bien de leurs frères.

La Messe du soir. Il est à souhaiter tout simplement que l'on observe la coutume de nos Pays pour la manière de compter les 24 h. qui constituent la journée. L'Occident considère la journée de minuit à minuit, tandis que l'Orient la considère du coucher du soleil au coucher du soleil. D'ailleurs c'est ainsi que l'Ancien Testament compte les six jours de la Création et c'est de cette manière que les trois jours de Notre Seigneur au tombeau ont été calculés. Nous ne sommes donc pas contre les Messes du soir, mais celles-ci ne doivent pas commencer avant le coucher du soleil, et après un jeûne eucharistique d'au moins trois heures. Nos Frères exigent huit heures.

Il convient donc de laisser à l'Orient ses vieilles coutumes et chercher à gagner ces vieilles Eglises à l'unité par la tolérance et le respect de leurs traditions.

73

EXC.MUS P. D. ADOLFUS GREGORIUS SCHMITT
Episcopus Bulauaiensis

Pag. 190 constitutionis, linn. 12-17, quaedam dicuntur de speciali praerogativa festorum B. Mariae Virginis. Propono ut clarius appareat ratio intima huius praerogativae, dogma nempe Ephesinum de « Dei Genetrice ». Pag. 190 lin. 12 post verba « gratia salutis repleantur » habeatur novum alinea sic dicendo: « Post festa Dei et Domini nostri Redemptoris locum praecellentem occupant festa B. Dei Genetricis Mariae, cuius memoria indissolubili nexu cohaeret cum Filii sui opere salutari, in qua praecellentem Redemptionis fructum miramur et spem salutis in purissima imagine cum gaudio contemplamur ».

Deinde prosequatur tertium alinea: « Memoriam insuper... ».

Declaratio. Connexio inter Filium et Genetricem causa propria est praerogativae singularis, qua pollent festa B. Mariae Virginis. Quod etiam histo-

rice elucet in festo « Purificationis Mariae Virginis » et in festo Annuntiationis eiusdem. Festum enim diei secundi mensis februarii adhuc a Sergio I (687-701) nominatur festum « s. Symeonis, quod Graeci Ypapanti appellant » (*Lib. Pont.,* ed. Duchesne I, p. 376), quia est festum Domini, qui tunc obviam venit sancto seni. Tamen postea factum est festum B. Mariae Virginis. Ita festum Annuntiationis olim vocatum est « Annuntiatio Dominica », « Annuntiatio Dominicae incarnationis », « Conceptio Domini nostri Iesu Christi » etc. (*A.S.S.,* martii III, p. 538). Tamen hodie celebratur in Missa et Breviario tamquam festum B. Mariae Virginis.

74

Exc.mus P. D. ANSGARIUS SEVRIN
Episcopus tit. Mossinensis

Quoad functiones liturgicas vel para-liturgicas.

1. Supprimatur usus dalmaticae et tunicellae pro episcopis in pontificalibus.

2. Supprimatur usus cappae magnae.

Rationes. Ad 1) Videtur esse ritum excessivum — atque in regionibus calidis nimis onerosum — ad exprimendum symbolum potestatis et dignitatis episcopi. Quae expressio hic non est necessaria, neque generatim intelligitur a populo neque a plerisque sacerdotibus. Ad 2) Apparet esse vestem nimis sumptuosam quae oculos et attentionem a cultu liturgico detrahit et in personam episcopi figit cum nimia distractione. Praeterea est vestis nullo modo practica, creans plures difficultates in usu et distractiones, et est nimis ponderosa in regionibus callidis.

Quoad vestes episcopales in usu quotidiano vel in civilibus caeremoniis.

1. Supprimatur usus vestis « ferraiolo » dictae.

2. Loco crucis pectoralis ex auro cum catena simili, praescribatur usus crucis simplicioris, v. g. eburneae.

3. Anulus adhibeatur multo simplicior.

Rationes. Convenit episcopis exemplum dare humilitatis, simplicitatis et spiritus paupertatis, quae ut pastores populum docent nomine Christi humilis et pauperis.

Paraphernalia ut « ferraiolo » et ornamenta aurea atque argentea spiritum mundanum redolent et anachronistice servantur e tempore quo praelati tentabant talibus mediis aestimationem populi in se convertere.

Hodie populus tam christianus quam non-christianus potius scandalizatur videns viros Deo consecratos quorum est alios in viis Domini ducere secundum spiritum evangelicum, talem sumptuositatem adhibere.

In missionibus scandalizantur pauperes, operam dantes laboribus socialibus, etc., qui cogitant de pecunia inutiliter expensa ad has res sumptuosas comparandas.

Si ab episcopis in Concilio, sponte sua, nihil in hac re, statutum fuerit nihil umquam fiet. Attamen permulti christiani cupiunt ut aliquid fiat, et revera expectant a Concilio aliquid factum iri in hac materia.

Noster, enim, coetus, non sartorum sed pastorum animarum coetus est!

75

EXC.MUS P. D. CESLAUS SIPOVIČ

Episcopus tit. Mariammitanus

Tria mihi occurrunt de quibus loqui intendo, scilicet: 1) De quibusdam in cap. VIII schematis, pag. 199: de Arte sacra; 2) De patrimonio artis christianae Ecclesiarum Orientalium conservando et tuendo; 3) De solemnitate Paschatis.

Ad 1: *Emendationes.* In pag. 200, sub n. 103, in lin. 18, legimus: « ... agi de sacra quadam Dei Creatoris *imitatione* ».

Etsi imitatio Dei Creatoris per se nobilissima est ac non deberet ingenio artificis, vel etiam mensuram mediocritatis excedenti, humiliationem aliquam causare, artifices tamen hac in re magis percussibiles sunt quam ceteri homines ac expressionem « imitatio » in arte abhorrent. Propterea loco « imitatione » haec humiliter propono: *a*) « laude » vel longiorem expressionem, quae mihi magis placet; *b*) « *agi de sacra re cuius Deus, pulchritudo infinita, ipsemet est principium et fons* » (cf. *Enchiridion Clericorum,* Typis Pol. Vaticanis, 1938, p. 648, n. 1203). Proposita hic correctio magis consona videtur Encyclicae *Mediator Dei* (*A.A.S.,* 39 [1947], p. 590), ubi *de nuda rerum imitatione* ac simul de nimio symbolismo artifices praecaventur.

In eadem pag. 200, n. 104. Ista tota paragraphus — salvo iudicio meliore — indolem generaliorem habere debeat nec expressionibus in lin. 28 « recognoscantur » et « instauratae » uti. Ratio ob quam hoc dico est, nam paragraphus ista uti totum cap. VIII omnes Ritus seu Ecclesias particulares respicere debeat. Igitur novam redactionem huius articuli liceat mihi proponere, nempe: « Canones et statuta ecclesiastica quae ad sacrum cultum spectant, praesertim quoad aedium sacrarum dignam et utilem constructionem, altarium formam et locum, tabernaculi eucharistici nobilitatem et securitatem, baptisterii aptitudinem necnon honorem imaginum sacrarum, decorationis et ornatus convenientiam — ad necessitates cultus liturgici hodiernas adaptentur ».

In eadem pag. 200, sub n. 105. Mea humili sententia iste articulus sine necessitate studium sacrae Artis cum liturgia connectit, quod videtur cum praxi in seminariis et Universitatibus etiam cum documentis officialibus hac in re a S. Sede datis pugnare. Debeo etiam notare articulum istum claritate et simplicitate carere. Quis enim — nisi fortasse ab hominibus valde peritis in materia Artis sacrae — capere poterit hanc sententiam: « instruantur etiam

de mutuis relationibus inter Artis sacrae historiam et christianae fidei ac disciplinae (?!) evolutionem ». His consideratis sit mihi licitum totum articulum hac in forma proponere: « Clerici dum philosophicis et theologicis studiis incumbunt etiam de Artis sacrae historia eiusque evolutione instruantur scilicet quatenus Ecclesiae venerabilia monumenta aestiment eaque servent, necnon ut artificibus in novis Artis sacrae operibus efficiendis, consilia illuminata praebere queant ».

Verba in pag. 201, in linn. 3, 4 et 5 delenda sunt.

Ad 2: *Ars sacra Orientalium.* Procul omni dubio Ecclesiae Orientales in ritibus suis splendido apparatu utuntur, quo fidelium pietas erga divina mysteria fovetur. Dum tamen de ritibus praesertim Orientalium agatur non tantum de contentu textuum liturgicorum et caeremoniis sermo esse debeat, sed etiam de musica sacra, de pictura vel iconographia et de architectura aedium sacrarum.

Dicitur artem quidem omnem limitem excedi ac universalem esse. Hoc est verum; attamen uti flosculum silvestre in eodem prato varietate qua delectat ab alio distinguitur, idem et Ars nostra sacra ingenio differentium populorum creata varietatis candore redolet. Affirmare audeo quod Ars sacra Orientis christiani, liceat mihi hic solummodo ad exempli gratiam architecturam et iconographiam byzantino-slavam memini, locum valde honorificum et speciale in thesauro communi Ecclesiae tenet. Mira enim profunditate sensus religiosi ars christiana Ecclesiarum Orientalium enitet tam in exsequendis per picturas et opera musiva historiis S. Scripturae quam in repraesentandis personis D. N. I. C., Mariae Matris Dei et plurimorum Sanctorum.

Humiliter ergo peto ut ab hac sacrosancta Synodo istud nobile patrimonium et thesaurum solemniter agnoscatur ac tuitioni omnium commendetur.

Aliae rationes quae ad istam propositionem faciendam impellunt sunt: *a*) cap. VIII *De arte sacra* indolem generalem habere debet ac pro Ecclesia universali normas generales statuere; *b*) de hac materia in commissione praeparatoria pro Ecclesiis orientalibus non erat sermo; *c*) irreparabile vacuum in laboribus tam amplis huiusce venerandi Concilii crearetur, si explicite de arte sacra Ecclesiarum orientalium nihil diceretur.

His dictis unum solummodo articulum huiusce tenoris ad schema propositum addendum liceat mihi praesentare:

Haec Sacrosancta Oecumenica Synodus patrimonium Ecclesiarum Orientalium, quod in communem thesaurum unius Christi Ecclesiae coalescit, Artem earum sacram quod attinet, imprimis vero musicam ecclesiasticam, imagines sanctas et architecturam, quae devotionem fidelium alunt ac in fidei veritatibus eos educare adiuvant, retinendum et maxime diligendum esse declarat.

Commendatur etiam ut librorum liturgicorum ac cantus sacri editio quantotius pro unaquaque Ecclesia particulari paretur ac typis edatur.

Spero ultimam partem huius propositi grato animo accepturam esse a commissione liturgica, quae sub directione congregationis orientalis tam multa

merita per libros hucusque editos acquisivit. Haud pauca tamen adhuc desiderantur.

Ad 3: *Solemnitas Paschatis.* Hac in re adhaereo eis quae dicta sunt ab exc.mo domino Nabaa. Velim tantum ulteriorem gressum proponere: totam istam difficilem quaestionem secretariatui « Pro Unione », cui em.mus card. Bea praesidet, tradere, attamen eum rogare ut omnia hac in re sine mora executioni dentur. Fortasse Spiritu Sancto adiuvante iam anno proximo festum gloriosum Paschatis totus mundus christianus eodem die celebrare queat.

76

Exc.mus P. D. HERCULANUS VAN DER BURGT

Archiepiscopus Pontianakensis

Pauca tantum verba dicam de cap. VIII n. 100. In titulo huius numeri mea opinione et partis maioris Conferentiae episcoporum Indonesiae addendum sit: [Opera artis fidei, pietati et sobrietati contraria, arceantur].

In fine huius numeri ad regulam 32 addendum sit: « Item curent locorum Ordinarii et superiores maiores religiosorum et religiosarum ut aedificia ecclesiae eorumque supellex et omnia aedificia ecclesiastica ut sunt e. g. domus religiosorum et religiosarum eorumque (earumque) instituta non pandeant luxum et pretiositatem, quae oppugnant functioni sociali religionis christianae et fidelibus eorumque societatibus imponunt onera pecuniaria gravissima ».

Rationes clarae sunt:

1. Ecclesia eiusque instituta non pro numero selecto sed pro omnibus hominibus sunt etiam pro pauperibus et pro iis, qui vivunt ex mercede sui laboris quotidiani. Haec pars hominum plane maior est et non potest aedificare aedificia, quae sunt pretii centenarum millium dollarum.

2. Partes divitiores Ecclesiae auxilium praebere debent (non tantum possunt) partibus pauperibus. Haec obligatio primaria est et actio integralis religionis christianae.

3. Luxus et magnificentia sumptuosa aedificiorum etc. non trahit homines ad crucem Christi sed expellit eos e domo Christi.

Ergo: Aedificia ecclesiae et ecclesiastica sint digna et pulchra, sed sobria et congrua functionibus suis socialibus his in temporibus.

[*Subsignati etiam*:] N. Schneiders, arch. Makassar; P. G. Grimm, ep. Zinceuvensis; A. H. van den Hurk, arch. Medanensis; N. P. van der Westen, ep. Pangkalpinang; W. Demarteau, ep. Bandjarmasin; J. Grent, ep. Amboina; A. Soegijapranata; J. Soudant, coad. Palembangensis; L. v. Kessel, ep. Sintang; Ant. A. O. Carm., ep. de Malang; Tarcisius van Valenberg, ep. tit. Combensis; A. Djajasepoetra, arch. Dj.

77

EXC.MUS P. D. LAMBERTUS VAN KESSEL

Episcopus Sintangensis

In schemate constitutionis de sacra Liturgia, ubi agitur de anno liturgico (cap. V, 1) sermo non fit de Adventus momento. Attamen, in suis litt. encyclicis Pius Pp. XII f. r. hoc tempus ut specialiter aptum designavit, quo fideles munus suum deprecatorium ut Ecclesiae Missioni gratiam divinam ampliorem obtineant adimplerent.

Quapropter, quia tempus loquendi non sufficit, scriptenus tantum de hac re huic exc.mo secretariatui propositum committo, ut qua meliore qua possit via Concilii iudicio subiiciatur.

« Ut Ecclesia sibi a Christo Capite commissum munus " ad divinum verbum usquequaque propagandum " [1] cum omnibus suis membris iuxta uniuscuiusque vocationem ac statum opere et oratione semper ac arctius prosequatur, mandat S. Synodus, sibi faciens ardens monitum f. r. Pii Papae XII, ut " certis liturgici anni temporibus, quae ad sacras fovendas provehendasque expeditiones aptiora videntur... ad fundendas preces animi acrius exstimulentur... Ad quae tempora potissimum pertinere putat (Ecclesia) Sacrum Adventum, quo humani generis exspectatio de Servatore recolitur et salutis provida praeparatio recensetur; Epiphaniae festum, quod hominibus ortam pandit salutem; Pentecosten denique, qua, Paracliti Spiritu flante, condita Ecclesia celebratur "[2] ».

78

EXC.MUS P. D. VALENTINUS WÓJCIK

Episcopus tit. Barenus in Hellesponto, aux. Sandomiriensis

Ad capita V-VIII schematis constitutionis de sacra Liturgia sequentes animadversiones proponere audeo:

1. In pag. 192, post lin. 6 addenda sunt: « Restitutio praxis paenitentialis Quadragesimae incipi debet ab introducenda actuosa participatione fidelium in caeremoniis feriae IV cinerum et ieiunio cum abstinentia eadem die servando ».

Ante par. 84 adiungenda est norma: « In restauratione anni liturgici magni momenti est quoque tempus Adventus, quando fideles monendi sunt, ut se per sacramentum paenitentiae et devotam susceptionem Sanctissimae Eucharistiae ad festum Nativitatis Domini praeparent ».

---

[1] Pii XII litt. enc. *Fidei donum,* 21 apr. 1957: *A.A.S.,* 49, vol. 24, p. 238.
[2] Ibid., p. 239.

2. In pag. 193, in linn. 7-11 omittenda sunt: « At ipsa quoque historia testatur ... in ornatum sacrae supellectilis invexit », nam finis huius constitutionis non est iudicare de praeterito sed normas pro futuro tradere.

In lin. 31, post verba « gradibus conveniat » addantur: « et fidelium devotionem foveat ».

3. In pag. 195, in linn. 17-18 possunt omitti verba: « ex patrum traditione ... ut ei velut ancilla seu administra famuletur », quia mentem contentam in linn. 5-8 huius paginae repetunt.

In pag. 197, post lin. 4 addenda est propositio: « Viri artis poëticae et musicae incitandi sunt ad conscribenda nova carmina religiosa et melodias componendas pro usu communitatis fidelium, quae et menti ecclesiasticae et necessitati spirituali hodierni hominis plene correspondeant ».

4. In pag. 199, post lin. 32 adicere possumus: « Non sunt quoque admittenda opera artis, quae non habeant characterem religiosum vel rem sacram modo laicali proponant ».

In pag. 200, lin. 20, inter verba « instructioni » et « destinatis » addenda sunt: « et eorum pietati atque orationi fovendae ».

79

Exc.mus P. D. Andreas Wronka

Episcopus tit. Vatarbensis, aux. Gnesnensis

Humiliter propono: loco nomenclationis: « Proprium de Tempore » introducatur: « Proprium mysteriorum Christi ».

Eadem nomenclatio introducatur in Missale et Breviarium Romanum, loco: « Proprium de Tempore ».

Rationes:

1. Ob concordantiam cum « Proprio Sanctorum »;

2. Nomenclatio: « Proprium de Tempore » vilitate laborat, caret enim sensu religioso. Ergo elidatur ex libris liturgicis;

3. Substitutio: « Proprii de Tempore » per « Proprium mysteriorum Christi » non causabit lamentationem; nam nomenclatio: « Proprium de Tempore » non provenit ex classicis temporibus vitae liturgicae;

4. Nomenclatio: « Proprium mysteriorum Christi » introducit aperte in spiritum anni liturgici et concordat conspicue cum toto schemate constitutionis de sacra liturgia.

80

Exc.mus P. D. PAULUS YÜ-PIN
Archiepiscopus Nanchimensis

Artes ingenuae — inclusis etiam litteratura, musica necnon caligraphia saltem in Sinis — sunt expressiones vivae et concretae indolis uniuscuiusque populi. Praecise his artibus, philosophia vivendi atque modus agendi singulorum populorum maxime manifestantur. Quo facilius populus in terris missionum ad veritates evangelicas adducatur, necessarium est sacerdotibus scire principia et historiam artium indigenarum, quia peritis hac in materia, psychologia populi eiusdemque modus cogitandi simul cum usibus et traditionibus clarius patent et accessus fit facilior ad intellectuales et classes dignitate superiores uniuscuiusque populi apud quem apostolatum Christi exercent. His in rebus, praeclara exempla apud Sinenses dederunt viri illustrissimi: Matteo Ricci, Castiglione, Celso Costantini et multi alii.

In n. 105 cap. VIII de sacra arte, bene statuitur ut in omnibus Universitatibus Catholicis, sacrae theologiae scholis necnon facultatibus, principia et historia artis sacrae doceantur. Sed melius est, post disciplinam artis sacrae, studium artium indigenarum, clericis similes scholas frequentantibus in regionibus missionum imponere. Haec propositio multis aliis argumentis fulcitur sed prae causa brevitatis ea omitto.

81

Exc.mus P. D. IOSEPH ZAFFONATO
Archiepiscopus Utinensis

Attentis iis quae legimus: in art. 92 huius constitutionis de sacra Liturgia: « Quamvis thesaurus artisticus Musicae sacrae summa cura servandus et fovendus sit, et scholae cantorum assidue provehendae, episcopi ceterique animarum pastores sedulo provideant ut in qualibet sacra actione, vel solemnissima, universus fidelium coetus actuosam participationem sibi propriam in cantu praestare possit »; et in art. 96: « Cantus popularis religiosus sollerter inculcetur, ita ut in piis exercitiis et in ipsis liturgicis actionibus, iuxta normas et praecepta rubricarum, fidelium voces resonare possint ».

Attentis insuper quae legimus in n. 25 memorabilis documenti *Instructio de Musica sacra et sacra Liturgia* Sacrae Congregationis Rituum die 3 sept. 1958 editi: « Ceterum curandum est ut ubique terrarum sequentes faciliores gregoriani moduli a fidelibus addiscantur: Kyrie eleison, Sanctus, Benedictus et Agnus Dei iuxta numerum decimi sexti Gradualis Romani; Gloria in excelsis Deo, una cum Ite Missa est, Deo gratias, iuxta modum decimum

quintum; Credo autem iuxta numerum primum vel tertium. Hac sane via illud maxime optabile obtineri potest, ut christifideles ubique terrarum communem fidem in actuosa participatione sacrosancto Missae sacrificio, communi quoque laetoque concentu manifestare valeant »;

prae oculis ad ultimum habitis frequentissimis et nonnumquam ingentibus migrationibus inter nationes et ipsos continentes multis de causis: labore, studio, commercio, valetudine, turismo, religiosis vel civilibus conventibus et congressis, quae omnia in posterum proculdubio crebriora fient;

omnibus his perpensis valde conveniens et utile, immo et necessarium videtur, si parvum, vel minimum cantus summarium, musica gregoriana et lingua latina pro posse notum et commune ubique terrarum christifidelibus reddatur.

Exempli gratia, relate ad modula gregoriana, ad illa quae, a Sacra Congregatione Rituum pro Missa proposita et commendata sunt, mea modestissima sententia sequentes cantus gregoriani adiungi possunt: Pange lingua et Tantum ergo iuxta modum tertium, O Salutaris Hostia, Adoro Te devote, Veni Creator Spiritus, Parce Domine, Salve Regina.

Relate vero ad cantus populares religiosos, qui, magno cum gaudio, iam in Sanctuario Lapurdensi (vulgo Lourdes) canuntur: Ave Maria, Benedictus qui venit, Lauda Ierusalem Dominum cum hosanna, testimonium afferunt quomodo pauci cantus vel hymni cani valeant a pluribus coetibus fidelium qui ab omnibus mundi partibus quotidie tempore aestivo conveniunt.

Munus edocendi fideles ut hos paucos cantus vel hymnos apprehendant et reapse canere valeant haud facile apparet. Quae difficultates tamen auferri, immo cum quadam commoditate amoveri, possunt, praesertim in dioecesibus quae perfectiori ordinationi polleant, dummodo ad hunc finem obtinendum omnium habeatur adiutrix conspiratio: per alumnorum seminarii institutionem, per christianae doctrinae pueris traditionem, per omnium scholarum nostrarum rationes, per plurima paroeciarum incepta, per visitationem pastoralem, per omnes conventus et congressus.

Hoc agendi consilium iam plures dioeceses amplexae sunt. Valde optandum est ut eandem edocendi rationem aliae dioeceses amplectantur, immo, quantum fieri potest, omnes dioeceses, ita ut ab omnibus fidelibus iidem cantus et hymni liturgici et populares canantur.

Optimum iuvamen ita praeberetur ad fidem omnium christifidelium firmandam, praesertim eorum qui, longe a familiis et paroeciis suis, peculiari auxilio sublevandi sunt.

Qua re ad art. 95: « Compleatur editio typica librorum cantus liturgici; immo paretur editio magis critica librorum iam editorum post instaurationem S. Pii X »; addere rogo: « Pariter, altera paretur editio simpliciores modulos et minimum cantus summarium pro omnibus christifidelibus continens ».

82

Exc.mus P. D. ELIAS ZOGHBY
Archiepiscopus tit. Nubiensis

Vellem submittere venerabilibus Patribus reactionem quandam episcopi orientalis supra aspectum altaris maioris sicut apparet in compluribus ecclesiis.

Minime loquor de ista contabulatione certe parum artistica, confecta ex petris et metallis nullo modo pretiosis, quae elevantur sicut murus in conspectu celebrantis. Ecclesia occidentalis reegit abhinc complures annos adversus abusus istos et magis ac magis restauravit altare simplex et nudum ad instar altaris maioris huius gloriosae ecclesiae S. Petri.

Simpliciter vellem loqui vobis, de quam minimo loco quem imago Iesu Christi occupat in altari in media domo eius.

Bene scitis, quantus sit in Oriente cultus erga sanctas imagines, cultus sanctorum et praesertim B. M. Virginis Theotokos, Matris Dei. Nolo his verbis diminuere minime cultum istum, sed tantum meae intentionis est Christo Filio Dei restituere momentum illi debitum in domo Patris sui.

Altare maius, ut dicitur centrale, habet in Ecclesia momentum primum et inalienabile: est locus praesidentiae. Nunc me fuisse semper miratum, et simul scandalizatum confiteor, cum vidissem simulacrum vel imaginem B. M. V. aut etiam Sancti Titularis ecclesiae, repraesentata in magnitudine naturali, quae dominant totaliter altare, dum e contra, crucifixus reducitur ad aliquam minusculam crucem metallicam vix visibilem. Quod magnam disproportionem constituit.

In ecclesia, altare maius est thronus Christi, sacerdotis et victimae, et propterea, nullo praetextu, tribuendus est thronus iste Iesu Christo reservatus, sancto vel sanctae, etiam si agitur de Matre Iesu. Ipsa enim restat semper creatura, quamquam privilegiata. Nec illa nec sanctus alter debet solium occupare in sacrificii altari, vel praeesse in templo Dei. Isti, testes sunt sacrificii altaris. Functio illa bene repraesentatur in iconis Ecclesiae orientalis in quibus Mater Filium suum divinum in gremio fert. Dum e contra simulacra B. M. V. quae non portant Filium, manifestant modo inadaequato functionem istam.

Nec ex alia parte vellem imponere consuetudines Ecclesiarum orientalium catholicarum et praesertim orthodoxarum, quae transformant altare centrale in veram calvariam. In medio altaris elevatur magnus crucifixus, in magnitudine quasi naturali, circumdatus a B. M. Virgine et S. Ioanne Evangelista. Ut mihi videtur, solutio ista bene satisfacit rationi et fidei.

Quantum pertinet ad B. M. Virginem et Titularem ecclesiae, dicerem collocari posse in abside Ecclesiae sub forma picturae, operis musivi vel etiam simulacri.

Haec consideratio est una inter alias. Certe abusus penetraverunt in devotionem et in exercitium cultus. Sancti sunt intercessores nostri. Sunt nobis modus naturalis et legitimus, qui nos appropinquat Christo. Sed nihil amplius sunt quam modus et intercessores. Aliquae formae pietatis, accensae abusibus artis sacrae, eas transformaverunt in finem devotionis et cultus. Tribuamus B. M. Virgini et omnibus sanctis in ecclesiis nostris idem momentum quod ipsis reservatur, in coelo, in circuitu Agni, nec plus nec minus.

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis x

PAG.

Secretarii generalis monitum 9

Patrum orationes quoad cap. II schematis *de S. Liturgia* 10
Card. Godfrey 10
Card. Gracias 12
Card. Bueno y Monreal 14
Card. Alfrink 16
Card. Ottaviani 18
Card. Bea 22
Card. Browne 26
Exc. Florit 28
Exc. Melendro 30
Exc. Alvim Pereira 32
Exc. Lokuang 33
Exc. Rusch 35
Exc. Dwyer 37
Exc. Trindade Salgueiro 39
Exc. Zazinović 41
Exc. Arattukulam 42
Exc. McQuaid 44
Exc. Fernandes 45
Exc. Helmsing 45
Exc. Ddungu 46
Rev. Kleiner 47
Exc. Stein 49
Exc. Sansierra 51

Congregatio Generalis xi

Secretarii generalis monitum 55

Patrum orationes quoad cap. II schematis *de S. Liturgia* 56
Card. Lercaro 56
Card. König 58
Exc. Cambiaghi 59
Exc. Jop 60

PAG.
Exc. Iglesias Navarri 61
Exc. Nuer 64
Exc. Jubany 64
Exc. Przyklenk 68
Exc. Devoto 71
Exc. Satoshi Nagae 74
Exc. Hallinan 75
Exc. Jäger 76
Exc. da Cunha Marelim 78
Exc. Weber 79
Exc. Elchinger 80
Exc. Khoury 83
Exc. Edelby 85
Exc. Aramburu 88
Exc. Tou 90
Exc. Himmer 92
Exc. Van Cauwelaert 94
Exc. Zohrabian 96
Exc. Boillon 97
Exc. de Vito 97
Exc. Melas 100

Congregatio Generalis XII

Secretarii generalis monitum 105
Patrum orationes quoad cap. II schematis *de S. Liturgia* 106
Card. Confalonieri 106
Card. McIntyre 108
Exc. Duschak 109
Exc. László 112
Exc. Ferrari 115
Exc. Fares 116
Exc. Saboia Bandeira De Mello 117
Exc. Cousineau 119
Exc. Jenny 121
Exc. Perraudin 122
Exc. Barrachina Estevan 123
Exc. Lopes De Moura 125
Rev. Gut 127
Exc. Yü-Pin 128
Exc. Bekkers 129
Exc. Vicuña Aranguiz 130
Exc. Seitz 133
Exc. Pont y Gol 134
Exc. Muldoon 135
Exc. Xenopulos 137

PAG.
Exc. Théas 139
Exc. Mosquera Corral 140
Exc. Modrego y Casáus 141
Exc. D'Avack 145

Congregatio Generalis XIII

Secretarii generalis monitum 149

Patrum orationes quoad cap. II schematis *de S. Liturgia* 150
Exc. Zak 150
Exc. Zauner 151
Exc. Kandela 154
Exc. Pildáin y Zapiáin 156

Secretarii generalis monitum quoad cessationem a disceptatione 159
Moniti translationes in linguas vernaculas 159

Praesidis card. Tisserant monitum de cessatione a disceptatione cap. II schematis *de S. Liturgia* 160

Secretarii generalis monitum 160

Patrum orationes quoad cap. III schematis *de S. Liturgia* 161
Card. Ruffini 161
Card. Cento 163
Card. Browne 164
Exc. Hengsbach 166
Exc. Arnerić 167
Exc. Capozi 169
Exc. Kozlowiecki 171
Exc. Pham-ngoc-Chi 172
Exc. Maziers 174
Exc. Plaza 176
Exc. Lebrun Moratinos 177
Exc. Botero Salazar 178

Secretarii generalis monitum de fine I periodo Concilii imponendo . . . 180
Exc. de Carvalho 180
Exc. Cabrera Cruz 181
Exc. Tomizawa 182
Exc. Ruotolo 183
Exc. Garković 184
Rev. Reetz 186
Exc. Barbero 187
Exc. Pailloux 190

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD CAP. II SCHEMATIS DE S. LITURGIA

PAG.

Card. D'Alton . . . 195
Card. de Barros Câmara . . . 195
Card. McGuigan . . . 196
Card. Santos . . . 198
Exc. Aparicio y Quintanilla . . . 199
Exc. Arcilla . . . 200
Exc. Argaya Goicoechea . . . 200
Exc. Austrogésilo de Mesquita . . . 203
Exc. Basoli . . . 203
Exc. Benítez Fontúrvel . . . 205
Exc. Bergonzini . . . 205
Exc. Bidawid . . . 206
Exc. Bonomini . . . 209
Exc. Borromeo . . . 209
Rev. Braunstorfer . . . 209
Exc. Bressane de Araújo . . . 210
Exc. Brizgys . . . 211
Exc. Carli . . . 212
Beat. Cheikho . . . 213
Exc. Coroli . . . 213
Exc. Couderc . . . 215
Exc. da Mota e Albuquerque . . . 216
Exc. Dantas . . . 217
Exc. de Uriarte Bengoa . . . 218
Exc. de Vizcarra . . . 219
Exc. Doumith . . . 221
Exc. Dubois . . . 222
Exc. Fady . . . 222
Exc. Fenocchio . . . 223
Exc. Ferrero di Cavallerleone . . . 223
Exc. Franco Cascón . . . 224
Exc. Gawlina . . . 225
Exc. Ghattas . . . 225
Rev. Giabbani . . . 227
Exc. Gianfranceschi . . . 228
Exc. Gómez Villa . . . 228
Exc. Gonzaga y Rasdesales . . . 229
Exc. González y Robleto . . . 231
Rev. Hage . . . 231
Exc. Hakim . . . 233
Exc. Hannan . . . 234
Exc. Heerey . . . 235
Rev. Heiligers . . . 236
Exc. Hermaniuk . . . 236
Exc. Howard . . . 237

PAG.

Exc. Iglesias Navarri 238
Exc. Isnard 238
Exc. Kemerer 240
Exc. Kovács 241
Rev. Kühner y Kühner 241
Exc. Landersdorfer 243
Exc. Lebrun Moratinos 245
Exc. Llopis Ivorra 245
Exc. Maricevich Fleitas 246
Exc. Márquez Tóriz 248
Exc. McEleney 249
Exc. Méndez Arceo 251
Exc. Moscato 254
Exc. Muguerza 256
Exc. Nécsey 256
Exc. Nežić 257
Exc. Nigris 258
Exc. Oblak 258
Exc. Olalia 259
Exc. Pailloux 260
Exc. Parente 262
Exc. Parteli 263
Exc. Pereira Venancio 263
Exc. Philippe 264
Rev. Prou 266
Exc. Romanantoanina 267
Exc. Roatta 267
Exc. Rolim de Moura 267
Exc. Romo Gutierrez 268
Exc. Scandar 269
Exc. Scapinelli di Leguigno 270
Exc. Šeper 270
Rev. Sépinski 272
Exc. Sfair 273
Rev. Sortais 273
Exc. Souto Vizoso 274
Exc. Stella 275
Exc. Terrienne 276
Exc. Tortora 277
Exc. Valerii 277
Exc. Varthalitis 278
Exc. Vielmo 279
Exc. Vuccino 285
Exc. Zoa 287

Congregatio Generalis XIV

PAG.

Secretarii generalis monitum 291

Patrum orationes quoad cap. III schematis *de S. Liturgia* 292
Exc. Rougé 292
Exc. Angelini 294
Exc. Kempf 297
Exc. Isnard 300
Exc. Sansierra 301
Exc. Faveri 302
Exc. Mistrorigo 305
Exc. Del Pino Gómez 306

Secretarii generalis monitum de exsequiis Patrum defunctorum 308
Exc. Sibomana 308
Exc. Peralta y Ballabriga 309
Exc. Djajasepoetra 311
Exc. Bekkers 313
Exc. Wojtyla 314
Exc. Van Bekkum 316
Exc. D'Souza 317
Exc. Mendoza Castro 320
Exc. Wronka 321
Exc. Malula 323
Exc. Romo Gutierrez 324
Exc. Garcia Martinez 325
Exc. Tagle Covarrubias 326

Secretarii generalis monitum de initio disceptationis quoad cap. IV *de S. Liturgia* 326

Patrum orationes quoad cap. IV schematis de S. Liturgia 327
Card. Frings 327
Card. Ruffini 328
Card. Valeri 330
Card. Quiroga y Palacios 332
Card. Léger 334

Animadversiones scripto exhibitae quoad cap. III schematis de S. Liturgia

Card. Confalonieri 341
Card. Godfrey 342
Card. Rugambwa 343
Card. Valeri 344
Exc. Alvares Macua 345
Exc. Aparicio y Quintanilla 346
Exc. Arcilla 346

PAG.

Exc. Begin 346
Exc. Bonomini 347
Exc. Borromeo 348
Exc. Brizgys 348
Exc. Cantero Cuadrado 350
Exc. Carli 351
Exc. Carraro 352
Exc. Carretto 352
Exc. Carta 353
Exc. Cogoni 354
Exc. da Cunha Cintra 354
Exc. da Cunha Marelim 355
Exc. Dadone 355
Exc. Deane 356
Exc. De Kesel 357
Exc. Delgado y Gómez 358
Exc. Descuffi 358
Exc. de Vito 359
Exc. de Vizcarra 360
Exc. Evangelisti 361
Exc. Fares 362
Exc. Fenocchio 363
Exc. Ferrero di Cavallerleone 365
Exc. Forst 365
Exc. Gómez Tamayo 366
Rev. Gusi 367
Rev. Heiligers 368
Exc. Hermaniuk 368
Exc. Jäger 369
Exc. Kovács 370
Exc. László 370
Exc. Lebrun Moratinos 371
Exc. Lokuang 371
Exc. Longo 372
Exc. Malanczuk 372
Exc. McEleney 372
Exc. Nežić 374
Exc. Nigris 374
Exc. Olazar Muruaga 375
Exc. Parente 376
Rev. Prou 377
Exc. Rastouil 377
Exc. Rosario 377
Exc. Rupp 378
Exc. Saboia Bandeira de Mello 378
Exc. Scandar 379
Exc. Scapinelli di Leguigno 379
Rev. Sépinski 380

PAG.
Rev. Sortais 380
Exc. Tomassini 381
Exc. Volk 381
Exc. Vozzi 382
Exc. Zohrabian 384
Conferentia episcoporum Chiliensis Ditionis 384

Congregatio Generalis XV

Secretarii generalis monitum 389

Patrum orationes quoad cap. IV schematis *de S. Liturgia* 390
Card. Gonçalves Cerejeira 390
Card. Spellman 391
Card. Wyszyński 392
Card. Godfrey 394
Card. Lefebvre 396
Card. Döpfner 398
Card. Meyer 403
Card. Santos 405
Card. Landázuri Ricketts 407
Card. Bacci 409
Card. Bea 411
Card. Albareda 413
Exc. Connare 415
Exc. Méndez Arceo 416
Exc. Weber 418
Exc. Franić 420
Exc. Corboy 423

Praesidis monitum de centenario vitae exc.mi Carinci 425
Exc. Reh 425
Exc. Aguirre 427

Secretarii generalis monitum de nuntio exc.mo Carinci mittendo 428
Exc. Melendro 429

Congregatio Generalis XVI

Secretarii generalis monitum 435

Praesidis monitum circa plausus in aula 435

Patrum orationes quoad cap. IV schematis *de S. Liturgia* 436
Exc. Flores Martin 436
Exc. Garcia Martinez 439
Exc. Vielmo 440
Rev. Prou 445
Exc. Reuss 447
Exc. Piérard 449

PAG.

Exc. Garcia y Garcia de Castro 450
Exc. Gonzi 451
Exc. Leven 452
Exc. Garrone 453
Exc. Marling 455
Exc. Guano 457
Rev. Fernandez 459
Exc. Carli 463
Exc. Yago 466
Exc. Souto Vizoso 468
Rev. Van Hees 470
Exc. Costantini 472

Praesidis monitum circa finem disceptationi de cap. IV *de S. Liturgia* imponendum 474

Secretarii generalis monitum 474

Patrum orationes quoad capp. V-VIII schematis *de S. Liturgia* 475
Card. Spellman 475
Exc. Nabaa 475
Exc. Plaza 477
Exc. Čule 478
Exc. Tedde 481
Exc. González Moralejo 484

Animadversiones scripto exhibitae
quoad cap. IV schematis de S. Liturgia

Card. Browne 491
Card. De Barros Câmara 491
Card. Silva Henriquez 492
Card. Valeri 493
Exc. Abed 494
Rev. Adrover 496
Exc. Angrisani 497
Exc. Aparicio y Quintanilla 499
Exc. Arcilla 499
Exc. Begin 500
Exc. Bekkers 500
Exc. Bianconi 501
Exc. Bonomini 502
Exc. Buteler 502
Exc. Calewaert 504
Exc. Capozi 504
Exc. Cecchi 506
Exc. Čekada 506
Exc. Cooray 508
Exc. da Cunha Marelim 509

PAG.

Exc. De Kesel 510
Exc. Descuffi 510
Exc. De Smedt 511
Exc. Doumith 512
Exc. Elchinger 513
Exc. Falconieri 515
Exc. Fares 518
Exc. Ferrero di Cavallerleone 520
Exc. Fiordelli 520
Exc. Florit 522
Exc. Franco Cascón 525
Exc. Gonzaga y Rasdesales 526
Exc. González Arbeláez 527
Exc. González y Robleto 528
Exc. Gúrpide Beope 529
Exc. Hannan 531
Rev. Heiligers 532
Exc. Hervás y Benet 532
Exc. Nguyen-Van Hien 536
Exc. Kiwanuka 536
Exc. La Ravoire Morrow 537
Exc. László 538
Exc. Laudadio 539
Exc. Liverzani 540
Exc. Lokuang 541
Exc. Malanczuk 541
Exc. Manrique 541
Exc. Márquez Tóriz 544
Exc. McEleney 545
Exc. Melas 546
Exc. Molin 548
Exc. Mosquera Corral 549
Exc. Mulrooney 550
Exc. Nežić 552
Exc. Nigris 552
Exc. Oblak 552
Exc. Oddi 553
Exc. Olano y Urteaga 554
Rev. Oscoz 555
Exc. Philippe 556
Exc. Prata 556
Exc. Printesis 558
Rev. Reetz 559
Exc. Reiterer 560
Exc. Remy 561
Exc. Rendeiro 562
Exc. Rodriguez-Quirós 564
Exc. Russell 566

PAG.
Exc. Saboia Bandeira de Mello 567
Exc. Sánchez Tinoco 569
Exc. Scalais 570
Exc. Scandar 571
Exc. Schneider 571
Exc. Schneiders 573
Exc. Schröffer 575
Rev. Sépinski 575
Rev. Sortais 577
Exc. Tedde 577
Exc. Temiño Saiz 578
Exc. Théas 578
Exc. Tomassini 579
Exc. Tracy 579
Exc. Viola 580
Exc. Volk 581
Exc. Vuccino 582
Exc. Ziadé 583

CONGREGATIO GENERALIS XVII

Secretarii generalis monitum 587
Patrum orationes quoad capp. V-VIII schematis *de S. Liturgia* 588
Card. De Barros Câmara 588
Card. Feltin 590
Card. Rugambwa 592
Exc. Bafile 593
Exc. Melendro 597
Exc. Marling 598
Exc. Baraniak 599
Exc. Soares De Resende 600
Exc. Khoury 602
Exc. Reed 605
Exc. Zohrabian 607
Exc. Jannucci 608
Exc. McVinney 610
Exc. Bereciartua Balerdi 612
Exc. Nguyen-Van Hien 613
Exc. Raymond 616
Exc. Castellano 618
Exc. Ngo-dinh-Thuc 620
Exc. Larraín Errázuriz 621
Exc. Gasbarri 623
Exc. Gouyon 626

CONGREGATIO GENERALIS XVIII

PAG.

Secretarii generalis monitum 631

Patrum orationes quoad capp. V-VIII schematis *de S. Liturgia* 632
Exc. Urtasun 632
Exc. Alonso Muñoyerro 633
Exc. Fustella 636
Exc. D'Amato 636
Exc. Almarcha Hernández 638
Rev. Zilianti 640
Rev. Soetemans 642

Monitum card. Cicognani, secretarii Status, de nomine S. Ioseph in canonem Missae inserendo 644
Exc. Golland Trindade 645
Exc. Kowalski 647
Exc. Yoshigoro Taguchi 650
Exc. Jop 652
Exc. Van Lierde 654
Exc. Kempf 659
Exc. Sapelak 660
Exc. Seitz 661
Exc. Volk 662
Exc. Nowicki 665
Exc. Baudoux 666
Exc. Cheng Tien-Siang 668
Exc. Miranda y Gómez 669
Exc. López Ortiz 671
Exc. Pohlschneider 673

Praesidis monitum de disceptatione circa constitutionem *de S. Liturgia* concludenda 674

Secretarii generalis monitum de consistorio proxima feria V celebrando . . 675

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE QUOAD CAPP. V-VIII SCHEMATIS DE S. LITURGIA

Card. Döpfner 679
Card. Silva Henriquez 680
Exc. Ancel 682
Exc. Bednorz 683
Exc. Begin 684
Exc. Blanchet 684
Exc. Borromeo 685
Exc. Buswell 685
Rev. Buttarazzi 686
Exc. Carli 690

PAG.

Exc. da Cunha Marelim 691
Exc. D'Agostino 691
Rev. Dayez 693
Exc. de Castro Mayer 695
Exc. Descuffi 697
Exc. De Smedt 697
Exc. de Uriarte Bengoa 700
Exc. de Vito 702
Exc. Duval 703
Exc. Emanuel 703
Exc. Enciso Viana 704
Exc. Fady 706
Exc. Fares 707
Exc. Fenocchio 708
Exc. Fernandes 709
Exc. Fernández-Conde 709
Exc. Ferrero di Cavallerleone 710
Exc. Ferro 711
Exc. Garcia Martinez 712
Exc. Garrone 712
Exc. Gatimu 713
Exc. Gawlina 715
Exc. González y Robleto 715
Exc. Gúrpide Beope 715
Exc. Gutiérrez Diez 717
Exc. Hasler 717
Exc. Jachym 718
Exc. Jenny 719
Exc. Kandela 720
Exc. Kérautret 721
Exc. Kien Samophithak 722
Rev. Kleiner 723
Exc. Lafayette 724
Exc. László 725
Exc. Loayza Gumiel 726
Exc. Longo 728
Exc. Malanczuk 728
Exc. Malula 729
Exc. Martinez Gonzáles 730
Exc. Mazzieri 732
Exc. McEleney 733
Exc. McGrath 734
Exc. Méndez Arceo 735
Exc. Minerva 736
Exc. Morgante 737
Exc. Nežić 738
Exc. Nicodemo 739
Exc. Nigris 741

PAG.
Exc. Nuer 741
Exc. Olaechea Loizaga 742
Exc. Olalia 743
Exc. Olano y Urteaga 744
Exc. Picachy 745
Rev. Prou 746
Exc. Quintero Arce 748
Exc. Radicioni 749
Exc. Reyes 750
Exc. Rigaud 751
Exc. Rolim de Moura 751
Exc. Rossi 752
Exc. Roy 754
Exc. Scandar 755
Exc. Schmitt 759
Exc. Sevrin 760
Exc. Sipovič 761
Exc. Van der Burgt 763
Exc. Van Kessel 764
Exc. Wójcik 764
Exc. Wronka 765
Exc. Yü-Pin 766
Exc. Zaffonato 766
Exc. Zoghby 768

INDEX 771